
VALENTINI
CHIRURGIA
MEDICA.

VALENTINI
CHIRURCHIA
MEDICA.



MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI,
Archiatri & Prof. P. Giesseni,

PRAXEOS MEDICINÆ INFALLIBILIS

PARS ALTERA

CHIRURGICA,

Consiliis & Observationibus, Medico - Chirurgorum, nostro Seculo Felicissimorum,


BRUNNERI, MURALTI, MUYSII, RAUII, RUISCHII, VERDUC AC RESPONSIS FACULT. MED. ILLUSTRATA.

CUM

NOSOCOMII ACADEMICI CONTINUATIONE,


Appendice de Suturis & Fasciis, ac Myrotheca Castrensi.





FRANCOFURTI AD MOENUM,
Apud DOMINICUM à SANDE. M DCC XV.





TITULI EXPLANATIO SCULPTI.

Quo Medicos vexat MOLIERIUS hiſtrio Gallos
Opprobrium (*) Titulus totus & omnis habet.
Chirurgus venam pertundit ſanguine plenam,
Fons ruber in patinam, quam tenet ipſe, ruit.
A tergo *Archiater Gallus ſua pharmaca miſcens*
Spectat & expectat, quo ferat illa modo
Virgo vel mulier, vel quo ſit nomine digna,
Siqúe Gynecæum dixeris, omnis erit.
Quid verò *Sipho* ſibi vult quem tertius adfert?
Hoc ſcopis ſacrum tendit adire ſcopum.
Scilicet hoc ſclopo mox *Pharmacopœus* in hoſtem
Irruit, explodens *clyſmatis* arma ſui.
O TAUBMANNE Vates, poſthac non carmina fundes,
Si Myropola Tibi parcat & Orbilius.

Sed

(*) Alluditur hic ad ſcopticum MOLIERII dicterium: *Purgare, ſeignare & puis clyſterium donnare*; quo methodum medendi Conterraneis ſuis familiarem explodit.

Sed nova nunc urget Doctorum quæstio Juris:
An Chirurgus eô jure fruatur? ais?
Pernego: Distinguo: Concedo conciliando
Unguina Tonsori, jus Myropola Tibi.
Lucri namque bonum res quævis spargit odorem,
Auri sacra fames quælibet apta facit.
Utraq; Pars partem hanc sibi vindicat inspiciendam,
Ut scriptis alibi (**) disqueputando dedi.
Artis principiis hæc stat sententia Doctis,
Appellas? abeas! cætera textus habet.

(**) Scil. in *Novellis Medico-legalibus* pag. 731.





PRÆFATIO



Amiliariſſimum & Agyrtis in more poſitum ſtratagema eſt, ut antequam crepundias ſuas & quisquilias venum exponant, enchireſin aliquam Chirurgicam difficiliorem, cataractæ ſc. depoſitionem, Lithotomiam, aut herniotomiam, publice, in forô aut compitis viarum, convocataque hominum frequentia prius exerceant, quo credulam vulgi turbam in applauſum rapere & ineruditæ plebeculæ eò promptius medicamentis internis imponere valeant. Norunt enim ex omnibus Me-

dicinæ partibus solam & unicam ferè Chirurgiam esse, cujus effectus in ipsos oculos incurrat, cum in reliquis Medicinæ partibus dubium sit, an sanitas ope remediorum, an ab ipsâ Naturâ (quæ morborum medicatrix audit) producta fuerit. Hinc & Exteris Doctoribus Medicis in usu est, ut Artem Chirurgicam Medicinæ iungant, prout Fabricii ab Aquapendente, Marchetti, Severini *Italorum*, Paræi, Verneji, Verducci *Gallorum*, Solingii, Bidlovii, Cypriani, Ruyschii, Rauii *Belgarum ipso opere testantur. Quid quod antiquissimi Medicinæ Parentes* Hippocrates & Celsus *Artis hujus fuerint gnarissimi, cum prior Chirurgiam optimum dicendi magistrum vocet, uterque autem plurima scripta ad Chirurgiam pertinentia reliquerit; quapropter & Celebris Lipsiensium Machaon* D. Bohnius *in exasciato de lethalitate vulnerum tractatu Coum nostrum Summum Chirurgorum Magistrum appellare non dubitat. Ad oculum id ostendimus in Chirurgiâ Hippocraticâ, quam* Medicinæ Nov-Antiquæ, *nuperrimè recusa, è scriptis Hippocraticis anneximus, utpote quâ tantum*

non

non omnes Artis hujus enchireses & operationes, etiam nouissimæ putatæ, continentur. Unde primus Chirurgiæ restaurator Guido de Cauliaco *in catalogo Chirurgorum antiquissimorum primum* Coo *locum tribuit. Juvabit propria ejus verba allegasse, quæ licet pro more seculi sint barbara, rem ipsam tamen & historiam Chirurgiæ antiquiorem quammaximè dilucidare poterunt: Primus omnium* „
fuit Hippocrates, *qui, ut legitur in Introductorio* „
Medicinæ, superavit omnes & primò duxit ad „
lucem perfectam apud Graecos Medicinam. I- „
psa enim (ut dicit Macrobius & Isidorus 4. Ety- „
mologiarum, quod & recitatur in Prologo totius „
continentis) ante Hippocratem siluerat per quin- „
gentos annos à tempore Apollinis & Asclepii, qui „
fuerunt primi ejus inventores. Ipse enim vixit 95. „
annis & scripsit multos libros Chirurgiæ. Sed cre- „
do, quod propter bonam ordinationem librorum „
Galeni libri Hippocratis & aliorum multorum „
fuerunt omissi. Galenus *secutus est eum, & quæ* „
Hippocrates seminavit, tanquam bonus Agrico- „
la excoluit & augmentavit, unde multos libros „
scripsit, in quibus multa de Chirurgia miscuit, & „

„ ſpecialiter librum de tumoribus præter naturam
„ aſſummavit. Poſt Galenum invenimus Paulum,
„ qui, ut teſtatur Raſes in toto continente, multa in
„ Chirurgiâ fecit. Librorum tantum ſex Chirur-
„ giæ ſuæ inveni. Subſequenter invenitur Raſes,
„ Albucas & Azaram, qui ſive fuerit idem vel
„ diverſi, optime ſe habuerunt. Hali abbas ma-
„ gnus fuit Magiſter & præter ſeminationem in li-
„ bris diſpoſitionis regalis novam partem ſecundi ſer-
„ monis de Chirurgiâ ordinavit. Avicenna, Illu-
„ ſtris Princeps, ſecutus eſt eum & valde ordinatè, ut
„ de aliis, in 4. lib. de Chirurgiâ tractavit & us-
„ que ad eum omnes inveniuntur fuiſſe Phyſici &
„ Chirurgici. Sed poſt, vel propter laſciviam, vel
„ occupationem curarum nimiam, ſeparata fuit Chi-
„ rurgia & dimiſſa in manibus Mechanicorum:
„ quorum primus fuit Rogerius Rotlandus atque
„ 4. Magiſtri, qui libros ſpeciales in Chirurgia edide-
„ runt & multa empirica in eis miſcuerunt. De-
„ inde invenitur Jamerius, qui quandam Chirur-
„ giam brutalem edidit, in qua multa fatua nomi-
„ navit, in multis tamen Rogerium ſecutus eſt. Sub-
ſequenter

ſequenter autem invenitur Brunus, *qui ſatis diſcretè doctrinam Galeni, Avicennæ & operationum Albucaſis aſſummavit, translationem tamen librorum Galeni totam non habuit & anatomiam penitus dimiſit. Poſt ipſum immediatè venit* Theodoricus, *qui rapiendo omnia quæ dixit Brunus, cum quibusdam fabulis Hugonis de Luca, Magiſtri ſui, librum edidit.* Guilielmus de Saliceto *valens homo fuit, & in Phyſica & Chirurgia duas ſummas compoſuit.* Lanfrancus *etiam librum ſcripſit, in quo non multa poſuit, niſi quæ à Guilielmo recepit. In hoc tempore* Arnoldus de Villa nova *in utraque facultate floruit & multa pulchra opera fecit.* Henricus de Hermondavilla *Pariſiis tractatum per notabilia incepit, in quo nitebatur de Theodorico & Lanfranco facere matrimonium. In hoc tempore in Calabria Magiſter* Nicolaus de Regio *in Lingua Græca & Latina perfectiſſimos libros translatavit. Ultimo inſurrexit una fatua* Roſa Anglicana, *quæ mihi mandata fuit & viſa. Credidi in ea invenire odorem ſuavitatum, & inveni fabulas Hiſpani Gilberti & Theodorici.*

„ *Tempore autem meo fuerunt Chirurgici Operato-*
„ *res Tholosæ Magister* Nicolaus Cathalanus: *in*
„ *Montepessulano* Bovetus, *filius Laufranci: Bono-*
„ *niæ Magister peregrinus atque* Mercadantus: *Pa-*
„ *risiis Magister* Petrus de Argenteria: *In Lugdu-*
„ *no (ubi practicavi longo tempore)* Petrus de Bo-
„ nanto: *In Avenione Magister* Petrus de Arelate
„ *& socius meus Mag.* Joannes de Paxina *& Ego*
„ Guido de Caulico, *Chirurgicus Magister in Me-*
„ *dicina de confinibus Dioec. Munacensis, Medi-*
„ *cus & Commensalis Domini nostri Papæ; hactenus Guido Cauliacensis, de Scriptoribus Chirurgicis antiquissimis, quorum Commentarii magnam ad partem adjuncti sunt Thesauro Aromatariorum Venetiis A.* 1513. *impresso. Quibus jungi poterunt ii, qui saeculo IV. & V. floruerunt & à Conrado* Gesnero *A.* 1555. *Tiguri simul editi sunt. Qui vero eosdem sequebantur, ut* Ioh. de Vigo *ejusdemque Interpres* Tagaultius, Placentinus, Gordinus *& qui saeculo VI. & VII. inclaruere:* Guilielmus, Fallopius, Paræus, Hildanus, Fabritius, Jessenius à Jessen, Gourmelinus, Vidus Vidius, Severinus, Guillemæus, Barbette, Scultetus, *eorumq; scripta non sine judicio*

recen-

recensentur ab Hornio *in fine Microtechnæ, quam tyronibus Medicorum impensè commendat* Schelhammerus *in Via Regia ad artem p.* 123. *Recentissimus nostri saeculi Chirurgos addidit D.* Goelicke *in eleganti Scriptorum Chirurgicorum Historiâ, anno superiori in salivam publicam emissa. Quanti verò in Germaniâ à Magnatibus æstimentur illi Medici, qui in Casibus Chirurgicis difficilioribus ipsi manum operi admovere solent, superiori saeculo testabatur Inclytus* Wepferus, *nostris vero annis generosus ejus Gener* D. Brunnerus, *qui calamo æque ac ferro igneque Morbonæ obviam eundo non tantum summum nominis celebritatem, sed & insignem opum affluentiam titulo modoque acquirendi honestissimo Sibi compararunt. Optandum ergo esset, ut & alii Artis Medicæ alumni illorum vestigia premendo enchireses Chirurgiæ difficiliores, Operatoribus, quos vocant, hactenus relictas addiscerent: quod si non propriis, Magnatum tamen & Dominorum Territorialium impensis & subsidiis, ad itinera versus Exteros suscipienda requisitis, fieri posset, ut haud ita pridem* Facultas Medica Gissena *in medium consuluit, quando jussu Serenissimi Hassorum Landgravii gratiosissimo*

ſimo ſeq. Reſponſum ad Serenitatem ſuam exaravit:

Sereniſſime Princeps ac Domine,

Princeps ac Nutritie Clementiſſime!

Poſtquam Sereniſſima Veſtra Celſitudo Reſcripto gratioſiſſimo, die 30. Decemb. A. 1713. Darmſtadiô ad Facultatem Medicam hujus Academiæ expedito, clementiſſimè Nobis in mandatis dedit, ut, cum diverſæ Præfecturæ Principatus Haſſiæ Superioris aut nullis omnino, aut ad minimum non ſolenniter examinatis Medicis & Chirurgis ſint inſtructi, in medium conſuleretur, qua ratione defectus ille reſarciri posſit? hinc ſubjectisſimâ cum devotione humillime referimus, quod his in locis Chirurgorum quidem examinatorum copia adhuc detur, qui alibi forte ſtipendia mererentur, cum in civitate hâc Giſſenâ non omnes & ſinguli familiam ſuam alere & honeſte, ut decet, ſuſtinere valeant, adeò quidem, ut intra decurſum unius anni duo ex illis, Benderus ſc. & Gutvveinius, locum hunc prorſus deſeruerint & familias ſuas in oppida vicina tranſtulerint: Medicorum vero examinatorum, cumprimis inquilinorum & in Haſſiâ natorum, tanta ſit annona,

nona, ut praeter subjecta illa, quæ nuper admodum ad Medicorum Pestilentialium officium humilimè commendavimus vix de unicô nobis constet. Ratio forte est, quod studium Medicum sumtuosum sit, multaque subsidia requirat, Incolis autem & Civibus Patriæ, imo & ipsis Medicis, ob summos artis abusus, indies rerum gerendarum nervus exarescat, ut verendum sit, ne propediem experiamur veritatem distichi, ab Argentinensium Professore Medico, D. Sebizio, *quondam Studiosorum albis inserti:*

Ære carent Medici, Medicis mox æra carebunt,
Nausea supplicium, sentiet illa malum.

Malo autem huic ut tempestivè obviam eatur, de nostro quidem humilimo neminique præjudicaturo consilio, è re totius territorii Principalis Patriæque dulcissimæ æquè ac Academiæ Giessenæ esset, si Serenissima Vestra Celsitudo gratiosissimè jubere acquiesceret, ut selecta quædam ingenia stipendiis sufficientibus (ad quorum collectionem forte adhuc fundus, nec Cameræ redituum Principali, nec fisco Academico gravis, suppeteret) instruerentur & donarentur, quibus Studium Medico-Chirurgi-

cum penes nos æque ac exteros majori cum soliditate prosequi poßent, sicque obligati essent, ut Serenissimæ V. Celsitudini, *Patriæ & Academiæ officia sua fidißima humilime commodare bonumque publicum legitimè & feliciter promovere tenerentur. Quod institutum* Sereniss. Vestræ Celsitudinis *Gratiæ & Dispositioni Principali relinquentes æternum perseveramus*

Serenissimæ Vestræ Celsitudinis

Servi humilimi

Decanus, Senior & Prof. Fac. Med. Giss.

Quum vero hæc in votis adhuc & desideratis sint omnibusque Corinthum adire non liceat; hinc muti tantisper Doctores & Magistri, scripta sc. Medicorum & Chirurgorum, in arte præstantiorum & versatiorum evolvenda eorumque consilia, curæ & enchireses eruenda & in Praxi repetenda sunt; quo labore ut quadantenus subleventur Philiatri, haud ingratum aut inutile fore duxi, si non tantum è Scriptorum Chirurgicorum, cumprimis autem Modernorum, commentariis Morborum Externorum curationem legitimam colligerem, sed & omnia Consiliis

Medico

Medico-Chirurgorum felicissimorum, Observationibus in Diariis Eruditorum, cumprimis autem Misc. S. R. I. Acad. Nat. Cur. *occurrentibus, Responsis Facultatum Medicarum propriaque experientia illustrarem, sicque* alteram Praxeos Medicinæ infallibilis partem, *CHIRURGIAM MEDICAM continentem, priori adderem & scriptis Medicis colophonem tandem felicissime imponerem. Hâc enim ratione non tantum ea, quæ* Dolæus *olim in* Encyclopædia Chirurgica, & Verduccius *nuper admodum in* Pathologiâ Chirurgica *fusius tractarunt, selectu quodam habito, brevius expediri, sed & promissis de*

Authenticis Medico - Legalibus,

hîc intermixtis, satisfieri posse cogitabam, ne

- - - - *magno Promissor hiatu*

Lectoribus in Novellarum Medico-Legalium Procemio *verba dedidisse videar, quod à Genio meo quam alienum esse plurimis, nî vehementer fallor, documentis publicis comprobatum dedi. Plura stipulari non licet, quum ob ætatem ingravescentem de ultima rerum lineâ cogitandum sit, sine quâ ut nulla dies meditando abeat, omnibus ex animo voveo!* Dab. è Museo, die 12. August. A. MDCCXIV.

SERIES SECTIONVM & CAPITVM

SECTIO I.
DE AFFECTIBVS CAPITIS.

SECT.

SECTIO II.

DE AFFECTIBUS COLLI & THORACIS.

SECTIO III.
DE
AFFECTIBUS ABDOMINIS.



SECTIO VI.

DE AFFECTIBVS ARTUUM.



CHIRURGIÆ MEDICÆ
SECTIONIS I.
DE
AFFECTIBUS CAPITIS
CAPUT I.
DE
AFFECTIBUS CAPITIS UNIVERSI.

§. I.

CHirurgicos & magis externos corporis humani affectus deſcripturus à capite ſtatim exordior, utpote quod injuriis externis (ceu lapis offenſionis) præ aliis magis obnoxium eſt, ſive jam integra totâque ſphæra, ſive variæ ejuſdem partes, tam externæ, quàm internæ conſiderentur. Totius intuitu vel omnino deficit, vel excedit, tam quoad numerum, quàm magnitudinem, vel & ſitus ejus depravatur. Deficit autem in

ACEPHALIS,

qui vel in uterô maternô, ſub prima fœtus formatione, vel externâ quadam violentiâ capitis jacturam ferunt. De prioribus

 elegantes

elegantes hiſtorias in lucem edidit D. *Marcus Mappus*, Profeſſor quondam & Archiater Argentinenſis, è quibus *Fig.* 1. TAB. XV. mutuò deſumpſimus.

Poſteriores aut ab hoſtibus in bello, aut ad mortem condemnati à Carnificis manu capite plectuntur.

Quemadmodum autem in prioribus curandis vel ipſi Curtorum Chirurgiæ nimis curta eſt ſupellex, ita de poſterioribus in integrum reſtituendis ſpes omnino decollat. Interim nequicquam intentatum reliquit hominum audacia, quæ eò quondam proceſſit, ut per ſententiam Judicis decollato hic ſuppetias ferre auſi ſint, quod ex ore *Marci Marci* (Philoſophi & Medici celeberrimi) refert *Bohislaus Balbinus*, Soc. Jeſu, *in Miſcellaneis Hiſtoricis Regni Bohemiæ Lib.* 3. *cap.* 18. §. 4. *pag.* 215. Huic enim optimus Senex enarravit, quod ſub initio ſeculi præcedentis ipſe adhuc adoleſcens interfuerit juſtificationi cujuſdam, qui in Hradezan in Arcis Regiæ conſpectu capite minueretur reus a Carnifice. Vidiſſe ſe ibi turmam Medicorum atque Chirurgorum (quibus nominatim *Schatto*, Regni Bohemiæ Phyſicus, à *Sennerto* in Phil. laudatus, interfuerit) inſtrumentis, emplaſtris atque tæniis armatam: qui, cum id à Cæſare, Rege & Ordinibus impetrarint, experiri voluêre, utrùm reo vita aliquo tempore ſuſtentari poſſet; ubi igitur caput demeſſum, alii Chirurgorum truncum elevârunt, alii emplaſtris venas muniêrunt, alii caput impoſuerunt, Medici analeptica infuderunt, ut reverâ recreari viſus atque etiam nictare, cum totius populi vociferatione & applauſu, inciperet. Elevatus deinde lentiſſimè tractus magis quàm ductus in vicinam domum, poſtquam non parva vitæ indicia dediſſet, tandem tamen inter manus Medicorum & Chirurgorum exſpiravit, ſicque Carnificis enchireſis magis infallibilis, quàm Chirurgorum, obſervata fuit.

§. 2. Vix

§. 2.

Vix majorem ſanationis ſpem concipere poterimus, ſi caput quantitate diſcretâ exceſſerit in

BICIPITIBUS,

ſub hiſtoriis monſtrorum ſæpe occurrentibus, ubi è pluribus unicum tantummodò *in Fig.* 2. TAB. I. ob oculos ponimus, quod *Diarium Medicum Gallorum*, (vulgò *Journal de Medecine*) *A.* 86. *Menſ. Majo. Artic.* IV. deſcripſit. Quis enim absque lethali hæmorrhagiâ alterius capitis reſectionem auderet?

Aliter autem res ſeſe habet ſub quantitate continuâ peccante, in

HYDROCEPHALIS,

quorum utut in *Parte I. Praxeos hujus* jamdum paucis meminerimus, eorum tamen hîc quoque (ne manca videatur diſtributio) ratio erat habenda. Oritur autem hic affectus utplurimum à vaſis lymphaticis ſive obſtructis, ſive diſruptis, unde lymphæ extravaſatæ collectiones fiunt, aut externè inter cutem & cranium, aut internè inter cranium & τὸ ἐγκέφαλον, imo & inter meninges & cerebrum. Utrobique non poteſt non inde tumor ille capitis oriri, quem hoc in caſu non tam enchireſi Chirurgicâ (ſub qua tantùm non omnes exſpirant) quàm medicamentis diſcutientibus tractare decet, è quibus ſeq. cataplaſma à Practico quodam ſingulari cum ſucceſſu adhibitum legitur apud *Nuckium in Experimentis Chirurg. pag.* 59.

℞. Pulv. Rad. cucum. aſinini. Irid. aa. ℥ß.
Sem. cumin. ℥i.
Farin. Fabarum
Flor. meliſſ.
anthos ana q. v.
cùm s. q. vini F. cataplaſma, ſæpius calide applicandum.

In casu obstructionis sudorifera interna è ⊖ vol. decoct. lignorum & similibus conveniunt.

Quodsi lympha nimis acris fuerit, præter interna quoque vesicatoria, setaceum & fonticuli laudantur.

Suturis à se invicem discedentibus, imposito emplastro de cumino, applicetur fascia capitalis, quam Galli la capelline vocare solent.

§. 3.

Situs tandem capitis erectus depravatur in

CAPITE OBSTIPO,

aliâs & COLLUM INCURVATUM, vulgò **der Krumme Halß** dicto, quod malum sæpissime oritur à musculo mastoideo alterius lateris, sive convulso, sive paralysi affecto, aut & indurato. Musculo enim mastoideo, caput moventi & vertenti, fimbriam quandam tenuem & latam adhærere notat *Bartholinus in Anatom. lib.* 4. *cap. V.* Hæc non rarò adeò indurata, exsiccata & corrugata deprehenditur, ut tendini arefacto similis videatur: unde fieri non potest, quin ad principium suum retractus musculus caput versus humerum illius lateris inclinet, ut *in Fig. 1. Tab. I.* videre licet.

Nisi ergò talis incurvatio colli homini sit connata (in cujus sanatione spes in angusto est locata) opera navanda est, ut tendines & musculi illi aut emolliantur & confortentur, aut manu Chirurgica prorsus abscindantur.

Medicamenta hîc convenientia sunt emollientia, oleosa & mucilaginosa: Axungia humana & vulpina, ℴ℘. lilior. lumbricorum terrestrium & similia, v. g.

Rec. Unguent. dialth. ℥ii.
Axung. human. ʒiii.
ℴ℘. lumbr. terr. ʒii.
M. F. Linimentum

Fig. 1.



Fig. 2.





Fig. 3.



Fig. 4.



Vel


Rec. ℴℴ. Lil. Alb.
Nardin.
Anethi aa. ℥ß.
Camphor. gr. x.
V. ℥ß.

M. pro inunctione, sub cujus usu *Nuckius* supra laudatus suadet, ut æger singulis diebus ter vel quater per horæ quadrantis spatium ex instrumento *in Fig.* 5. Tab. III. depicto & torqui haud absimili suspendatur, idque tamdiu, donec caput pristino statui restitutum sit.

Hisce verò nihil proficientibus sectionem suadet *Tulpius in Observ. p.* 371. quam *Jobus van Meckeren in Observat. Medico-Chirurgicis p.* 157. cum aliis ita instituit: Detectis per dissectionem cutis musculis colli tendinosa musculi mastoidei pars, claviculæ adhærens, arripiatur & si fieri potest, unicâ incisione forfice acutiore aut cultello falcato præscindatur, cavendo arterias, ut omnia *in Fig.* 2. Tab. I. ob oculos ponuntur, ubi

Lit. A. est musculus mastoideus;
B. Arteria fugienda.
C. Clavicula, cui tendo musculi adhæret.

Quodsi hæmorrhagia insignis superveniat, liquore stiptico aut aliis in vulgus notis sistatur, vulnus amplietur, ejusque labia plumaceolis balsamo de copaiva imprægnatis foveantur, donec omnibus ad sanationem deductis cicatrix generetur. Hæc operatio, quàm crudelis etiam videatur, præstat cauterio potentiali, ab aliis laudato.



CAPUT II.

DE AFFECTIBUS CAPITIS PARTICULARIBUS, in PILIS cumprimis & CUTE obſervandis.

§. 1.

QUùm Sacra Scriptura teſte abſque providentiâ divinâ ne unicus quidem pilus de capite noſtro defluat ipſique capilli etiam ſuum inter partes corporis humani locum habeant; hinc illorum pariter affectus ſunt conſiderandi, inter quos

PILORUM DEFECTUS

ſexui virili eſt exoſus, eaque de cauſa variis nominibus appellari ſolet, ita ut in juvenibus & à morbis exortus

CAPILLORUM DEFLUVIUM,

in Senibus

CALVITIES

dicatur. Quòdſi autem in ſyncipite tantùm excidant,

AREA,

(quam ob vulpis, cujus proprium eſt, imitationem ALOPECIAM quoque vocant) ab occipitio verò duorum digitorum latitudinem non excedens & ad aures duobus capitibus, quæ ſerpens viperasque flexu tortuoſo referunt, conſtans

OPHIASIS

nominatur, prout affectus hoſce inter ſe cognatos egregiè diſtinguit *Haſenrefferus, in Noſodochio cutis lib.* 1.*cap.* 9. *p.*67.

§. 2.

§. 2.

Quemadmodùm verò præſentes affectus aut ab alimenti defectu in ſeneſcentibus, hecticis & phthiſicis, aut ab humorum circulantium acrimoniâ, radices pilorum erodente, in morbis, venenis & lue Venerea, aut a pororum dilatatione & cauſis aliis oriuntur: ita illorum intuitu aut curationem admittunt, aut recuſant, hæcque varia remedia requirit. Recuſant autem, ſi à ſenio naturaliter, aut à phthiſi & hectica præternaturaliter oriantur. Reliquis in caſibus, imperatâ priùs diætâ laudabili & balſamica, humores p. n. purgantibus & diaphoreticis convenientibus educantur & externis acriuſculis, humores nutritios ad cutim allicientibus, pilorum generatio procuretur. Illîc

Rec. Extract. Helleb. nigri ℈i.
capill. ♀. ℈ß.
Scammon. 🜍rati gr. vi.

c. s. q. ſyrup. de beton. F. Pil. pondere gr. i. conſperg. pulv. lycopod. D. pro doſi in adultis.

Vel & Infuſio fiat ex herbis capillaribus cum fol. Sennæ, Rhabarb. Agarico & ſimilibus.

Quibus præmiſſis externè, præter frictiones matutinas *à D. Joh. Mich.* laudatas, linimenta & unguenta ex ſimplicibus acriuſculis adhibeantur, è quibus hic axungia ſerpentis & anguillæ, radices aſari c. lapatho, cumprimis autem pulvis lacertarum viridium ſpecificè laudantur, quem ita parare ſolent:

Rec. Lacertarum virid. truncatis capitibus N. iii.
Apum M. i.

Ollæ non vitreatæ, & benè lutatæ inſerta & furno figulino commiſſa calcinentur in pulverem, qui c. ℅. ovorum locis depilis inungatur.

In defluvio capillorum à ſola cutis relaxatione & pororum dilatatione poſt ægritudines conveniunt lixivia è cineribus ſarmentorum vitis, aut herbarum capillarium, vel & decoctum inde pararum

tum & externè adhibitum, cui folia myrti & rosſ. rubr. addi poſſunt.

IN ALOPECIA LEPROSA

ſecretum eſt unguentum auratum, quod extat inter medicamenta ſingularia *D. Andreæ Cnöffelii*, quæ *in Append. Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. & VII.* enumerantur. Paratur ita:

Rec. Balſ. ♀. Terebinthin. ℥iß.
☍. ♀. fœtid. rectif. cum cin. ℥ß.
Flor. ♀. ʒii.
♀. aurati è ſcor. Reg. ♁. ʒ i. ℈i.
☿. dulc. gr. xx. M.
F. Linimentum.

§. 3.

Contrarium his & ſexui ſequiori quammaximè exoſum & adverſum eſt vitium

INCONCINNA PILORUM EXCRESCENTIA,

cumprimis in ſyncipite atque fronte, quùm pro magno decoris & formoſitatis argumento in puellis habeatur frons altum petens & exſurgens, wann ſie eine hohe Stirn haben. Hinc videas, quæ omnes ſuas facultates impenderent, ſi ejus compotes fieri poſſent. At plerumque hic ſpes corvos deludit hiantes. Pſilothra enim ex auripigmento parari ſolita & infida & periculoſa ſunt. Lac eſulæ ſimiliter eſt corroſivum, quod eundem fere, quem aqua fortis in ancilla quadam Gieſſenſi olim relinquebat, effectum inferre poteſt. Huic enim, neſcio an jocô, an ſeriô, ſuaſerat amaſius, ut pilis in fronte aquam ſtygiam illineret, quo factum, ut ab hujus corroſivitate non tantum eſchara & ſcabies horrenda in fronte excitaretur, ſed & capilli rubigineo & colore croceo, non ſine inſigni dedecore tingerentur. An

Turca-

Turcarum RUSMA meliorem & certiorem præstet usum, in tantâ ejus annonâ determinare non ausim, conf. *Musei Museorum Tom. I. p.* 38. Optimum & præsentaneum remedium est evulsio per Vollellam, quâ supercilia aliâs ponere & componere solent. Hæc si non placuerit, ad novacularum usum confugias, oportet, quâ nec viros, in seculo, quod vivimus, effœminato, frontem sibi excelsum efficere pudet, ut capillitia, bubones auritos referentia, eò decentius discrimen ob oculos ponant.

§. 3.

An & PLICA POLONICA sive in capite, sive in pudendis & barbâ impune eradicari & abscindi possit? adhuc sub judice lis est: id quod facilius decidi poterit, si primum de quæstione illa præliminari, an plica pro morbo haberi debeat? nonnulla præmiserimus. Notum est magnam olim hac de re controversiam obortam fuisse inter *Wilhelmum Davisonium*. Nob. Scotum & *Vopiscum Fortunatum Plempium* Prof. Lovaniensium, quorum prior *Comment. in Ideam Medicinæ Philosophicæ Severini* negabat plicam esse morbum ejusque non aliam dicebat causam, quam pectendi capillos negligentiam: Posterior autem eandem morbis asserebat, nixus testimoniis Polonorum, cumprimis *Theodori Skuminovii*, Episcopi Gratianopolitani, qui peculiari Epistola ad Plempium exarata confirmabat Polonos etiam munditiei quammaxime studentes, morbo huic esse subjectos, adeò quidem ut teste *D. Wincklero* in *Disp. de plica Heidelbergæ* 1682. habitâ, nonnullæ familiæ in Poloniâ se non legitimè natas putent, si tales plicas non habeant; & quamvis personatus quidam *Theophrastus Veridicus* Scotus, allegatæ modò Epistolæ scriptum satis acerbum & injuriosum, cui *Plicomastix* nomen est, opposuerit, eô ipso tamen plicam è numero morborum, ut rubrica ejus stipulabatur, ejicere non valuit, adeò quidem, ut Poloni, in specie autem *D. Laurentius Starnigelius*,

B Aca-

Academiæ Zamoſcienſis Rector & Eloquentiæ Profeſſor ab Academiæ Patavinæ Profeſſoribus conſilium & auxilium contra illam petierint, ut ex Epiſtolâ ultimo die Oct. A. 1599. ad illos data & in Praxi *Sennerti Lib. V. Part. 3. Cap.* 8. legenda videre licet, in quâ tum origo (ad annum Chriſti 1287. fere incidens) tum & ſymptomata conjuncta fuſe explicantur.

Quamcunque jam ſententiam amplectamur, nequicquam tamen obſtabit plicam Polonicam ſalvâ remanente vitâ quandoque abſcindi poſſe, quicquid etiam *Sebizius Diſſ. de Divin. in morb. theſ.* 127. in contrarium objiciat. Sive enim à plectendi negligentia ſive ab humoribus criticè eò depoſitis oriatur, utrobique ſeparatio & reſectio ejus adhibitis cautelis inſtitui poteſt, quum *Simon Schulzius in Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. & VII.* teſtetur plicas quandoque ſponte ſua decidere & experientiâ conſtet plicas colliſione lapidum acutorum ſine damno demeſſas fuiſſe.

Interim præſtat in cachecticis & cumprimis in conjuncta ſæpe lue Venereâ præmiſiſſe ☿rialia, à *Martin. Bernh. à Berniz*, Medico Polono, ſummoperè laudata, quando in *Miſcel.* modò laudatis *Dec. I. A. 2. Obſ. VII.* hoc ſcio pro certo, dicit, & ſæpiſſimè probavi, quod Mercurius, qui aliâs morbum Gallicum curare ſolet & in plica certiſſimum ſit remedium & qui illam *infallibiliter* per ſalivationem expellere ſolet.

Alias verò morbus hic curam methodicam fere reſpuit, ita ut nec V. S. nec purgantia quid efficiant. V. S. certè plus obfuiſſe quam contuliſſe exemplo Matronæ Polonæ teſtatur *Hercules Saxon. Med. Pract. lib.* 10. *de plica cap.* 7. Purgantia alios cæcos alios claudos reddidiſſe refert *Schulzius* l. c. qui tandem nonniſi Empirica in Polonia obſervata laudat verbis ibi: Curationem plicæ perfectam nemo ſibi polliceatur, niſi loci ejus, ubi morbus hic endemius eſt, genium & incolas cæteraque ad hoc pertinentia cognoverit &c.

Inter

Inter ea autem, quæ Polonis hactenus probata ſunt, præter dia-phoretica interna, materiam peccantem à centro ad circumferentia & ipſos pilos expellentia, ſunt ſpecifica, è quibus duo ferè eminent, branca ſc. urſina & muſcus clavellatus, plicaria herba illis dictus. E priori decoctum paratur in Sileſia nomine Bartſch quoque ſatis famoſum, quod tamen in plica externè magis, quam internè confert. Muſco autem terreſtri nihil frequentius contra hunc adfectum adhibetur in Polonia, ſcribitque ſupra laudatus *Bernhardus à Berniz* Leopoli Presbyterum quendam Græcum ipſi affirmaſſe quaſi juramento, ſe mediante decocto ex muſco terreſtri plusquam centum perſonas utriusque ſexûs dicto modô curaſſe; narraviſſe etiam omnes plantas ſcandentes inſtar convolvuli & ſignaturam capillorum habentes, ut hederam, bryoniam, ſarſaparillam &c. huic morbo laborantibus prodeſſe. Sunt qui ante lotionem pulverem quendam odoriferum cephalicum pilis, ut materia viſcida illis adhærens quodammodo exſiccetur, inſpergunt, lixivio abhinc abluendum v. g.

Rec. Muſc. quercin. lib. ß.
Calaminth. mont.
Mari veri aa. ℥ iß.
Sem. lycopod. ℥ß.
Rad. Ir. Flor. ʒiii.
Ambr. gryſ.
Moſchi ana ℈i.
℅ ligni Rhod. ℈ß.
M. F. Pulv.

§. 4.

Reliqua pilorum vitia, PORRIGO ſc. FISSURA & SCISSURA, eorumque cura vel lippis & Tonſoribus haud incognita Medicoque ferè indigna ſunt.

§. 5.

Majoris verò ponderis & momenti ſunt ſubſtratæ Cutis in

capite pathemata, ubi præter achores, tineam & favum, in priori jamdum parte expedita, CONTUSIO potissimum & SIRIASIS aliquam adhuc considerationem merentur, è quibus illa à variis violentiis externis, lapsibus ab alto, plagis & ictibus, hæc verò à causis quammaximè internis oriri solent.

CONTUSIO

quidem, nî sanguis ob fibras distortas in cute stagnans, aut ob illas disruptas extravasatus & sub cute hærens internè per diaphoretica & sanguinem coagulatum resolventia, ut ♂ diaph. ocul. 69. Mumiam, Grapp & similia discutiatur & externè per decoctum sigill. Salom. Rad. Irid. bryon c. Herb. beton &c. dissipetur, acorem corrosivum contrahendo facile cariem in cranio causari valet, cujus exemplum luculentum vid. *infra in Cap. VIII.*

§. 6.

SIRIASIS

Infantibus familiare malum est, in quo membranacea illa portio in summitate capitis, quam vulgo fonticulum, Germani autem das Blatt vocant, subsidet & foveam quandam relinquit: unde plebeji affectum hunc das Blattfallen oder Blattschiessen vocare solent.

Oritur autem à cerebri & vicinarum partium inflammatione, eaque de causa ut aliæ inflammationes est curanda. *Sennertus* & ex eô *Primerosius Lib. de Morb. Puerorum* præter clysteres laudant emulsiones refrigerantes, externè verò ▽ & unguentum rosaceum, quibus B. *Sebastianus Schefferus*, Practicus quondam Francofurtensium Felicissimus, succum raparum c. but. rec. substituit, referente *Kisselio* in *Disp. grad. de Siriasi* Heidelbergæ olim habitâ.

CAP.



CAP. III.

DE AFFECTIBUS FACIEI.

§. 1.

SI quicquam est, quod faciem insigniter deturpat, est sanè rubedo illa præternaturalis, quam

GUTTAM ROSACEAM

vulgò appellant, ex eo, quod guttis qs. roseis conspersa esset. Germani nostri eandem vocant den Kupffer-Handel/ ob similitudinem coloris, quem cum ære Cyprio polito aut cupro communem habet.

Species, vel si mavis, gradus ejus diversi sunt, ita, ut vel sola adsit rubedo, vel simul exigua tubercula, vel & tumores majores sint conjuncti, naribus cumprimis & labiis infensi. Quandoque enim Nasus in tantum augetur, ut & ciborum assumtioni, aut lectioni & loquelæ incommodet, adeò, ut plures sæpe portiones de naso abscindendæ sint, cujus rei exemplum habet *Sennertus* in *Praxi Lib. V. Part. I. Cap. XXXI.* simileque in Crumenario Gissenô olim vidimus. Conf. *Timæus à Güldenkle p.* 282.

Originem ab hepate nimis calido vulgò trahere dicitur, sed ex falsa hypothesi de sanguificatione, hepati olim adscripta. Rectius M.S. nimis fervidæ & plus minus acri tribuitur eaque de causa potatoribus & ebrionibus familiare malum est, maximè vinum & V. in nimia copia ingurgitantibus, non tamen exclusa cerevisia. *Sennertus* enim c. l. Studiosum novit faciem ex hoc malo fœdissimam, ob nimium ceresiæ abusum, præ se ferentem, qui

in Italiam & Galliam abiens ibique cerevisiæ valedicens, inde in patriam reversus se melius habuit. Similiter *Drelincurtius* in *Colleg. Pract. Msc.* testatur se ejusmodi ruborem in Pictore Leydense abstemio vidisse.

Quamvis autem malum hoc sit satis contumax, cumprimis, si pustulæ adsint crebriores, attamen nihil intentatum relinquendum.

Præmissis ergo universalibus internè dentur ea, quæ sanguinis excandescentiam imminuunt, ejusdemq; acrimoniam muriaticam tollunt, qualia sunt succi herbarum acidi, granatorum sc. ribium, berb. acetosæ, cremor & cryst. ♀ & exinde constans hepaticum rubrum, acidulæ. It. Terrea & absorbentia corallina & caucrina, Martialia, ⊕rata.

In adhibitione Externorum valdè operosum hic se exhibet *Mayerne*, Practicus Anglicus, qui *Tr. II. Cap. XIII. Praxeos* suæ 1. laudat Unguentum ad lumbos ex lithargyrio cum ✚. ♁. ros. & camphora. Vel

Rec. ♁. omphacin. ℥ii.
crem. lact. rec. ℥iv.
ovor. N. iv. M. &
diu agitatis adde sacch. ♄. ℥ß.
camph. ʒß. F. Unguent.

2. Plantis pedum circa vesperam applicat caules virides tritos cum sapone nigro & ⊖.

Vel

Rec. Limac. cum test. ℔ß.
⊕. ℥iv.
Sapon. nigri ℥ii. M. F.

Cataplasma, plantis pedum admovendum. 3. Collo applicat torquem ex refriger. cum pulv. bufonum, ranarum virid. & sacch. ♄ cum tragac. in globulos redactis. 4. Topica demulcentia & discutientia, borracem, camphoram, lac Virginum &c.

Commune

Commune experimentum est ♃. cui fraga & camphora sunt infusa. Vel

Rec. Decoct. Sigill. Salom. lib. i.
☿. albi ℥iii.
camphoræ ♃. sol. ʒi. M.

It.

Rec. ♂ ☿ p. d. ʒi.
♁ viv. pulverif. ʒii.
Ceruss. ℥ß.
▽ rof. q. f.

stent in vitro clauso ad Solem & abhinc applicentur.

Guttæ rosaceæ affines quodammodo sunt pustulæ illæ, quæ post variolas sæpe mandibulas occupant in infantibus, de quibus in *Miscellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Decur. I. Anno IV. & V. Obs. LX. pag.* 47. seqq. habet *D. Andreas Cnöffelius*, Practicus quondam celeberrimus: Sæpissime, inquit, evenire solet, ut infantes laborantes ex variolis, cumprimis si facies copiose ab iis inficiatur, in ore & quidem circa finem mandibularum pustulas quasdam contrahant, quæ deinde, si earum ratio non habetur, ulcus corrosivum faciunt & genam perforant. Hoc ulcus si non statim ab initio medicamentis gangrænæ medentibus præservetur, tandem totam genam usque ad radicem nasi inferiorem absumit, comitante lenta, sed certissime, morte pedissequa. Multa hujus casus possem adferre exempla, sed nolo esse prolixus, quoniam non casum, sed curam proponere constitui. Itaque multis vel à Chirurgis, vel etiam aliis Practicis applicatis, quæ alias non infimam merentur laudem, remediis, cum alii saccharum ℞ vino incoctum sine fructu loco applicant affecto, alii, balsamis lenientibus & unguentis stypticis adhibitis incassum & frustra laborarint, cum successu & fructu ~ ⊕. vel ℞. melle rosaceo ad sufficientem aciditatem permistus, loco ulceroso illitus

tus semper respondit voto medentis, etsi dimidiam genam ulcus assumpserit. Hactenus *Cnöffelius.*

Porro huc referri etiam meretur

TUMOR MALÆ

contumacissimus, *Miscellan.* supra laudatorum *Dec. II. Anno V. Obs. LXXX.* à me olim insertus, qui verbis *Gothofredi Hennike*, Archiatri tunc Erpacensis, nunc Hoënlocensis, ita describebatur: Vix duæ elapsæ sunt septimanæ, ex quo Virgo XX. circiter annorum curæ meæ est concessa, quæ menses antehac parcos experta, nunc per aliquot septimanas cum odontalgia est conflictata; illa verò cessante in tumorem insignem elevabatur mala sinistra eumque durum admodum & cum doloribus capitis intensissimis conjunctum. In usum vocata erant, ut fit, domestica varia, cataplasmata & alia sed sine fructu. Appetitus interea emoriebatur, vires vacillabant, lipothymiæ satis graves & vigiliæ urgebant. Adveniens ego jubeo fieri ex melle, croco, vitello ovi & farina secalina cataplasma, inuncta prius mala cum axungia leporina (nam tumor jam durarat tres hebdomadas): Intus propino pulverem absorbentem traumaticum & roborantem potiunculam, quibus Deo fortunante optatum effectum edentibus, demum post discessum meum & diebus, ni fallor, octo elapsis rumpitur tumor: Inde verò imponitur emplastrum satis bonum & non ita diu post ossiculum quoque secedit porosum. Interim circumferentia tumoris dura permanet. Nuper ad Nos huc perlatæ Virgini mea ulterius manu applico quædam balsamica & jubeo os eluere vino calido, cui myrrha incocta, ad fœtorem oris corrigendum & alium quoque scopum obtinendum. Timebam namque maxillæ cariem: Turundas verò detestor, utut profundè lateat pus, nec exstillet, nisi in os truso digito. Pridiè remisit tumoris durities, sanies prodit bona, vires constant; benè ingerit, digerit & egerit patiens, nullum symptoma adest,

quod

quod mereretur attentionem vel tantillam. Quæritur jam, an ſecedere queat particula maxillæ, cui tamen caries non adſit vel in toto vel in parte? an ſanatio, cui nunc omnia ſe aptant, genuina ſit futura? &c.

Reliqua Faciei pathemata, variæ ſc. maculæ, inflammatio, vari & ſimilia iisdem vel ſimilibus remediis curantur, ut fruſtraneum eſſe ducam crambembis coctam hîc apponere, eoque magis, quod in Prima Parte Sectione I. Cap. VIII. de iis quoque actum ſit. Unicam ſaltem

OBSERVATIONEM

adjungere hic liceat, quæ in Studioſo quodam Medicinæ olim ſe truſit. Laborabat is VARIS copioſis & effloreſcentiis in facie. Suadebam illi ℅ ♀ per deliq. uſum, c. ▽ temperando quamvis ejus applicationem. Ille ſolum, idque crebrius, adhibendo liquorem acriuſculum in inflammationem faciei incurrebat, quam cum unguento albo camphorato & ceruſsâ ſedaſſet, cuticula ſquamatim decidebat & poſtquam nova illîc generata eſſet, tam eleganti atque glabra poſtmodum facie ſuperbiebat, ut puellæ Francofurtenſes in nuptiis, quas ſimul celebrabat, Fratris flagranti ejus amore caperentur.

Idem ſæpe accidit poſt ▽. Coſmeticæ ☿rialis uſum, de qua vid. *Williſ. Part. 2. pharm. rat. ſect. 3. cap. 5.* Paratur ita:

Rec. ☿. Sublim. ʒ.
▽. Fontanæ, lib. iij M.

Dig. agitetur & filtretur. *vid. loc. cit.*



CAP. IV.

DE AFFECTIBUS OCULORUM

§. I.

OCulorum morbi aut integrum oculi bulbum affligunt, aut aliquam ejus partem. Inter priores eminet

ATROPHIA OCULORUM,

profundum & imminutum oculum efficiens, quæ vel ex nimia spirituum jactura aut humectatione debita intermissa, vel ob nimium calorem, vel ineptam palpebrarum sectionem & punctorum lachrymalium consolidationem oritur. Singulare hîc remedium invenit & commendat *D. Joachimus Georgius Elsnerus*, quod in *Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec. I. A.I. Obs. XII. p. 23.* „seqq. verbis describit: Affectus hic quidem rarus curatuque dif„ficilimus est, cui etiam vix medicamenta ore assumta solùm „resistere possunt: at enim restituendus medicamento plane spe„cifico humectante foras oculis instillato; id quod docuit juve„nis atrophia incipiente correptus, qui naturâ aliàs siccus & a „nimia ♀ calidisque, ad Venerem confortandam, assumtis ma„lum sibi asciverat, ut oculi periodus imminui videretur, sic„citas adesset & cum dolore levis ardor. Qui cum consilium „ex me peteret, opportunè se menti insinuat confortativum hu„mectans singulare in affectibus oculorum, quod mihi forte for„tuna ante aliquot septimanas culter Anatomicus detexerat, „cùm occupatus fueram in anatomia oculi urogalli, quem cum

nimium

nimium pressissem, incisione profunda effeceram, ut humor „ aqueus casu oculo insiliret, illumque madefaceret, ex quo a- „ ciei visûs consultum iri percepi & lenitivum dolori & siccitati, „ quibus tum temporis oculus mihi ex nimia lucubratione ve- „ xabatur, sponte offerri sensi. Consulenti igitur Autor fui, ut „ ex erutis mactato urogallo cæteroque gallinaceo generi oculis, „ (in copiâ quippe tum in Italia habeamus) sibi instillaret hunc „ liquorem, pro diæta vero sibi eligeret gallinas coctas cum en- „ divia: de cætero continentia eo anniteretur, ut abstineret „ nimia Venere & usu medicamentorum nutrimentorumque „ quæ gradum calidi debitum excedunt: hisque effeci, ut pau- „ cis ecclipsata illius lumina illustrarentur & globus oculorum ad „ pristinam rediret figuram. Idem efficere valet liquor ex vesiculis ulmi, à *Burrhô* ad restitutionem humoris aquei post vulnus elapsi pro secreto habitus; in defectu autem illorum lotiones capitis, & collyria ex humectantibus laudantur, quorum formulas habet *Bartischius* im Augen-Dienst *part. I. cap. XVI. p. 214.*

Quodsi affectus hic solam pupillam concernat, RYSSOSIS, RYTIDOSIS &

PUPILLÆ PHTHISIS

dicitur iisdemque remediis curatur.

§. 2.

Contrarium huic vitium est

OCULI PROCIDENTIA

Græcis μυδρίασις & πλατικορία, Germ. die grosse herausstrotzende Blotz-Augen dicta, quæ juxta *Joelem* in Praxi aut paralysi nervorum, aut membranarum ruptionem post crapulam, vomitum, tussim nimiam, ineptum cataractæ depositionem & partum oritur difficilem. Duo insignia hujus exempla recenset Illustris *Schroeckius*, in *Schol.* ad *Obs. CXXVI. Misc. S. R. I. Acad. Nat.*

Cur. Dec. 2. A. 3. p. 261. unum ex *Petri Pavvii observationibus*, quæ *cent. 4. Histor. Anat. Bartholin.* accesserunt, *num.* 23. desumptum, in puerulo, qui aliquot mensibus tumore oculi sinistri tanto laboraverat, ut integer bulbus ocularis cum musculis foras protuberaret, in tantamque excreverit molem, ut duos pugnos æquaret: in quo post mortem dissecto substantia cerebro plane similis, permixto sanguine concreto, reperta fuerat: alterum verò ex *Fel. Plateri lib. 3. Obs. Med.* itidem in infante, cui oculus horrendo aspectu propendebat & veluti extra orbitam penitus exsertus adparebat, ovi gallinæ majoris magnitudine, quem tamen unicum cataplasma, per mensem usurpatum, sine ulla visûs noxa, feliciter curaverat. Cataplasma tale vel Saccus sic parari poterit:

Rec. Fol. Cupressi ℥i.
Flor. Chamom.
Rad. ir. Flor. aa ℥ß.
Succin. alb.
Mastich. aa ʒii.

Contus. grosso modo immitte sacculo lin. interpassato, coq. in ▽ vel Decoct. rad. althææ & tepida applica oculo. Vel

Rec. Schoenanth.
Plantagin.
Sed. maj.
Fol. balaust. aa ℥iß

Ollæ rec. inserta coq. in ▽ pro fotu.

His nihil juvantibus oculus aut inciditur, aut omnino exstirpatur. Prioris exemplum proponit *D. Joh. de Muralto* in *Ephem. Germ. Cur.* loco modo cit. verbis ibi: Filia Moldensis per quadriennium procidentiâ oculi dextri monstrosâ laborabat: nam „oculus extra orbitam protuberabat magnitudine ovi, excre„scentia carnosa propemodum & stipatus durus; palpebra inferior „inversa erat, cum ineffabili dolore, ob extensionem musculorum

lorum & nervi optici. Causa hujus procidentiæ catarrhus erat, „ insensibiliter musculos oculi relaxans, quippe ægra sub initio „ mali sensum depressionis oculi percepit sensimque visum amisit, „ inflammatio magna cum extremis doloribus supervenit, ut „ Chirurgos adire cogeretur. Vena ægræ secta collyriaque ocu- „ lo applicata, purgata, tumefactus oculus cultello pertusus, sed „ nulli humores evacuati sunt, dolores remanserunt, tumorque „ neutiquam diminutus est. Hinc mox suppurativa, mox ca- „ thæretica, mox anodyna, mox detergentia medicamenta, ut „ & ea, quæ carnes abundantes consumunt, applicata sunt, at „ in vanum omnia. Ad corrosiva tandem deventum est, sed „ rivuli lachrymarum vim horum infregerunt, majorem humi- „ ditatem à capite ad glandulam lachrymalem adduxerunt, pe- „ riculumque ob viciniam cerebri non leve prædixerunt.

Post plures concelebratas V. S. hirudinum, cucurbitula- „ rum, causticorumque applicationes, derivata fluxione oculus „ maximam partem consumtus fuit & caro excrescens sub pal- „ pebrâ superiore cum inferiore inversa coaluit, massaque car- „ nea, dura, sani ad instar oculi, remansit, dolor cessavit, tan- „ demque convaluit.

Evulsio oculi qua ratione instituenda sit, eleganter osten- dit *Bartischius Part. XI. Cap. XI. p. 363. lib. cit.* ubi tum ipsum affectum, tum & instrumenta ad hanc enchiresin necessaria in figuris depingit, è quibus omnia exactius videri, quàm meris verbis describi possunt.

§. 3.

Porrò totum etiam bulbum afficit & detorquet

STRABISMUS.

malum si non valetudini, faciei tamen elegantiæ atque formæ adversum, adeo, ut joco magis, quàm seriò, das Liebäugeln vocetur.

Ortum ſuum habet vel in utero materno, ſive jure hæreditariò, cum luſci luſcos, ſtrabones ſtrabones generent, aut ſi prægnantes fulgurationes, tormentorum exploſiones, radios ſolares, arma denudata, aut oculos brutorum mactatorum vel epilepticorum aſpiciunt: vel & poſt natiuitatem in recens natis (huic morbo ob teneritatem muſculorū magis obnoxiis) à pertinaci Solis lucis & aſpectione, cumprimis obliquâ verſus candelam ardentem aut feneſtras, terrore item & convulſionibus epilepticis, cujus rei exemplum legitur in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 1. *A.* 3. *Obſ. CLXII.* 252. ubi ſtrabiſmus ex epilepſia, ſub eruptione variolarum accidente, refertur. Idem à paralyſi contingere poteſt. Nam Muſculorum uno hac ipſa vel convulſione laxatô aut à mala conſuetudine detorto, ejus antagoniſta nimium contrahitur, aut extenditur & ſic oculus ad hoc vel illud latus detorquetur. Dum igitur muſculus oculum adducens afficitur, naſum aut canthum majorem: ſin abducens, canthum minorem reſpicit.

In ipſa curatione (quæ in puerulis & infantibus, non verò adultis, partibus minus flexibilibus gaudentibus, locum habet) è re erit cunas ita locare, ut infantes candelas aut lucem obliquè aſpicere non valeant. Sin verò oculus jam quodammodò diſtortus fuerit, priori ſitui contrariam diſpoſitionem eligere debemus, ut oculus diſtortus motui naturali ſenſim iterum aſſueſcat.

Sunt, qui in diſtorſione verſus nares floccos panni rubri angulo oculi externo apponunt, ut hos continuò reſpicientes oculi in integrum reſtituantur.

Quodſi humores acres muſculum hunc vel illum in oculo vellicent & ad ſpaſmodicam contractionem irritent, præter laxantia & veſicas in nucha excitatas, juvat cataplaſma demulcens ex lacte recente cum pane triticeo bis coctò, & tantillo croci oculo calidè applicandum.

In

In constitutione verò paralyticâ fotus ex nervinis, fol. beton. salviæ, rorism. sem. anethi & similibus magnæ sunt efficaciæ.

Omnibus autem his nihil conferentibus unicum refugium ad larvas duobus foraminibus, oculorum regioni oppositis gaudentes est sumendum, quarum figuras & præparationes omnium optime ob oculos ponit sæpius laudatus *Bartischius lib. cit. part. 2. cap. 2. p. 25. & seqq.* Conf. & *Scultet. in Append. Armam. Chirurg. Tab. 9. fig. 6.*

§. 4.

CANCER OCULORUM

vix nisi per oculi exstirpationem radicitus curari valet, quam *D. Wesemius* (Practicus quondam Francofurtensis & in oculorum affectibus curandis adeò famosus, ut κατ' ἐξοχὴν der Augen-Doctor audierit) juxta methodum *Hildani* feliciter instituit, quam delineatam vide in Ejusdem *Observat. Chir. Cent. 1. pag. 9.* Oculus exstirpatus autem per oculum artificialem palliativè restitui poterit, de quo elegantèr *Nuckius in Experim. Chir. pag. 38.*

Curiosum est, quod de oculo Virginis cujusdam cancroso extra orbitam, ob nimiam inflammationem, acto mihi retulit supra laudatus *Wesemius*, quòd, cùm punctum quasi igneum in illo observarit & ex Virgine quæsiverit, annon & noctu quoque videret objecta oculis obversantia, illa affirmaverit, adeò quidem, ut per fenestrarum occlusionem obscuratâ camerâ omnia in tenebricosis etiam angulis reposita curatissimè discernere potuerit; id quod effecit, ut Mater puellæ veneficii crimen imputasset, nisi ob nimiam partis inflammationem hoc sæpe evenire adstruxisset ipse Medicus, vid. *Ephem. Germ. Cur. Dec. 2. A. VI. p. 160.*

§. 5. FI-

§. 5.

FICUS OCULORUM CANCROSOS

ſimiliter exſtirpando curat *Hildanus*, ſtatim in principio ſuarum *Obſerv. Cent. 1. pag 1. 2. 3. 4.*

§. 6.

OCULI PERFORATIONEM

idem *pag. 21. c. l.* aliquoties curavit, oculo vulnerato ſtatim imponendo albumen ovi cum aqua roſarum & nonnihil croci: Fronti defenſivum ex bolo Armen. terra ſigillat. cum ℴℴ roſ. paucaque cera & ✱ in formam unguenti redactum, injecto ſtatim enemate: ſeq. die purgando & anodynis ad 7. usque diem vulnus tractando, quod tandem ex ▽ euphraſiæ cum ſaccharo & tutia ad cicatricem deducendo feliciter curavit. *Franciſcus Joſephus Burrhus* ad reſtituendum humorem aqueum (qui hic ſemper effluit) ſecretum ſuum, ſcilicet liquorem ex veſiculis ulmi, commendat, de quo jam ſupra quædam dicta ſunt.

§. 7.

Quemadmodum verò uno abſurdorum poſitò haud difficulter ſequuntur plura, ita ſæpe accidit, ut poſt hæc oculorum vulnera negligentius obſervata palpebræ aut cum bulbo oculi, aut ſecum invicem concreſcant & coaleſcant, adeò, ut amplius diduci nequeant. Prius vitium vocatur

ANCYLOSIS.

Poſterius

ANCYLOBLEPHARUM.

Utrumque generali COALITUS nomine venire ſolet & rarò vel nunquam abſque ſectione tollitur.

Prioris

Prioris curam elegantissimam proponit, ut ipsemet exercuit, *Guil. Fabricius Hildanus Cent. VI. Observat. VII. pagin.* 503. Præscriptâ sc. optimâ victûs ratione, præmissisque purgat. & V. S. stylum exploratorium incurvatum versus canthum majorem, subter palpebram blandè immisit, donec saltem apex styli ex cantho minori prominerct. Abhinc stylo exploratorio filum sericeum tenuissimum annexuit, mox stylum eâdem viâ, quâ ipsum immiserat, sc. per canthum majorem extraxit & extremitates fili sub oculo conjunxit, eique frustum plumbi ℥i. circiter ponderis annexit. Plumbum hocce pensile interdiu liberum erat, & hinc atque illinc, prout æger caput in unam vel in alteram partem inclinabat, movebatur. Noctu verò, ne forsan incommodum aliquod aut dolorem excitaret, plumbum illud seposuit, oculumque fascia leviter obtexit. Oculo frequenter collyrium sequens penicillo, ex pennis gallinæ facto, per angulum majorem ter quaterve in die per ministros imponere jussit:

Rec. ▽. rosarum.
plantag.
euphras. aa ℥ß.
Tut. præparatæ
Cerussæ lotæ
Corn. cervi usti & præp. aa. ℈iß.

M. in mortario, addendo mucilag. sem. cydon. q. s. ad formam linimenti. Ita beneficio prædicti fili & plumbi, quicquid sub palpebra oculo annexum erat, intra octiduum abscissum fuit.

Posterioris cura citius absolvitur scalpello obtuso ad ductum *Hieron. Fabricii ab Aquapendente Tr. de Operat. Chirurg. p.* 208. loco cujus *Nuckius* in *Experim. Chirurg. VIII. p.* 35. utitur lanceola, qua portionem palpebrarum separat reliquumque forfice (cujus altera extremitas cuspide obtusâ aut quodammodò rotundâ prædita est) incidit: abhinc collyrium ex cicatrisantibus & leniter adstringentibus adhibendo. Externè igitur imponit misturam ex album ovi. ⊖. & ▽ ros. intra palpebras autem

collyrium ex ▽ plantag. cum Tut. præp. Interserendo laminam ex pergamena cum ℞. astring. aut Vino Tinto, ne novus sequatur coalitus.

§. 8.

Quodsi verò oculus non totus, sed ex parte saltem obtegatur, illud vel à palpebræ tumore œdematoso, aut ejusdem procidentiâ oritur, quorum prius EMPHYSEMA, posterius autem PHALANGOSIN constituit.

EMPHYSEMA

quidem tantum non semper à sero lymphatico, plus minus pituitoso, inter membranas palpebrarum, harumque musculos stagnante oritur, cui violentiæ externæ, ictus v. g. vesparum apumque occasionem subministrant.

Curatur præmissô purgante & vesicatoriô epithematibus & aliis topicis discutientibus, v. g.

Rec. ▽. ros.
endiv.
portul. aa ℥i.
Camphor. in ▽ rect. sol. ʒi.
M. & linteis quadruplicatis sæpe applica.

His nisi cedat malum, sed augmentum capit,

PHALANGOSIS,

quâ palpebra omnino decidit (unde & πτῶσις, χάλασις seu casus palpebræ vocatur) facile oriri potest, quæ rarissimè purgantibus & topicis antedictis cedit, sed enchiresi Chirurgicâ sæpius opus habet, ad quam peculiare instrumentum excogitavit *Bartischius*, quod depingit im Augendienst *part. 9. cap. 14. p. 300.* Instrumentum scil. est compressorium, cochlea, qua indies arctius constringi potest, instructum, quo palpebræ delapsæ portio ita constringitur, ut intercepta nutrimento via pars ejus extima emoriatur & decidat: quod cum paucis immutatis in usum quoque adhibuisset *Ruyschius* Amstelodamensis, hocque

ipsi

ipsi exprobraretur à *D. Joh. Rauiô*, Operatore olim Amstelodamensi, nunc Professore Lugdunensi in Bataviâ, dissidium illud inter utrumque ortum est, quod legitur in *Epistolis Museo Anatomico Ruyschii* subjunctis.

§ 9.

Contraria hisce mala sunt, quando palpebræ se invicem nec attingere, neque oculum omninò obtegere possunt, unde ECTROPIUM & LAGOPHTHALMIA oriuntur, quorum hæc superiori, illud verò inferiori palpebræ tribuitur.

ECTROPIUM

scilicet oritur, quando palpebra inferior extravertitur, ita ut pars interna cum insigni deformitate instar carnis crudæ inversa observetur. Vulgus die Plarr = Augen vocat & plerumque ob relaxationem musculi clausoris paralyticam, aut carnis luxuriantis excrescentiam, aut carunculæ lachrymalis protuberantiam oritur, sive jam hæc talia à causa interna, seri sc. abundantia, aut à violentia externa scaturiant.

Præmissis universalibus curatur adstringentibus, v. g.

Rec. Acetum vini rubri ℥iß.
Succi acaciæ
O. ana ʒi.

ebulliant & sæpe palpebram eô fove.

In malo contumaciori carnis exsuperantis resectio requiritur, quæ operatio Chirurgum expertum requirit. Operationem in figura ligno incisam & simul descriptam vid. in *Bartischio l. c. p.* 303. *& seqq.*

LAGOPHTHALMIA

seu palpebræ leporinæ similem palpebræ superioris conniventiam designat, tempore somni notabilem, idque propter musculi elevatoris palpebræ stricturam spasmodicam, aut ob pravam infantum consuetudinem, superiora versus elevationem perpetuam, aut & ineptam vulneris aut ulceris prægressi curationem.

Plempius Corybantiasmum Antiquorum ejus ſpeciem eſſe dicit in *Ophthalmograph. Lib.V.C.I.*

Curatur emollientibus & demulcentibus v.g.

Rec. Rad. alth.
Sem. fœnugr.
Fl. cham. aa ℥ii.
croci ℥i.

Groſſo modô inciſ. & contuſ. inſue ſacculo interpaſſando, macera in lacte vel ▽. ebul. coq. leniter & applica freq. oculo

Rariſſima ejus ſpecies eſt

COLOBOMA,

Celſo curtum dictum, quando ſc. vel ex matris imaginatione, vel nutrimenti defectu, vel viol. externa portio extrema in palpebris deſideratur, ita ut ſemper hiet, ut labium in labio leporino. Malum ferè incurabile eſt, niſi pondere palpebræ appenſo elongari poſſit.

§. 10.

Omnibus hiſce tandem etiam anſam dare poteſt

TRACHOMA

ſeu Palpebrarum aſperitas, cum rubedine & pruritu, cujus V. ferè ſpecies conſtituit *Aëtius Tetrab.* 2. *Serm.* 3. *c.* 43. ad quas nonnulli CALLUM, SCABIEM illarum & PSOROPHTHALMIAM referunt; quæ omnia ut à catarrhis ſalſis & lachrymis acrioribus proveniunt, ita præmiſſis evacuantibus internis per demulcentia & mucilaginoſa, abſtinendo à corroſivis mineralibus, curanda ſunt. In Muliere quadam Giſſena olim unguento de ceruſſa, cum pauc. . malum hoc curavi: loco cujus

Rec.

Rec. ▽. fœniculi
flor. fab. aa ℥iii.
Ocul. 69. præp.
Tut. præp. aa ℥ß.
Camphor.
Maſtich.
Succin. præp. aa ʒii.
Croci ʒß. M. F. Collyr.
quò abluantur ſæpius palpebræ.

§. 11.

Euntes ad marginem palpebrarum offendimus morbos ciliorum, quos inter

TRICHIASIS,

quâ pili introrſum flexi tunicam annatam continuò vellicant, omnium moleſtiſſima eſt. Oritur autem poſt vulnera & ulcera oculorum male curata, aut & duplici vel triplici ſerie pilorum p. n. generatorum, quod ultimum plures etiam PHALANGOSIN vocant.

Curatur triplici ratione. 1. Medicamentis 2. Cauſticis & erodentibus. 3. Sectione, aut evulſione. Priora, ſc. medicamenta, purgantia, veſicatoria & emollientia parum vel nihil efficiunt. Corroſiva 2. ipſo ſæpe morbo ſunt moleſtiora. Sectio 3. crudelis, adeoque evulſio cum volſella eſt tutiſſima, qua peracta adſtringentia & novum pilorum proventum impedientia commendantur, qualia ſunt aluminoſa, ⊖lata &c.

Rec. Flores pyri exſiccat.
Camphor.
O.
⊖ ana, calcin. ad albed.
pulveriſata ſpatula poris pilorum evulſorum immitte, compreſſo per ſemihorulam oculo: quo plures ſe ſanaſſe teſtatur *Bartiſchius p.* 327. ubi & enchireſis ſectionis occurrit l. c.

§. 12.

§. 12.

Contrarium huic malum eſt

MADAROSIS

μίλφωσις & πτίλωσις ſeu

GLABRITIES PALPEBRARUM

ab acrimoniâ ſeroſa, aut conſtitutione variolarum purulenta, aut & virulenta in lue Venerea & lepra, radices pilorum abſumente, producta: quæ cum iisdem, queis Alopecia curatur, remediis tractanda ſit, hinc prolixitate omni hic ſuperſedere poterimus. Unicum ſaltem addemus topicum, quod inſtar omnium:

Rec. Plumbi uſti ℥ß.
nucl. dactyli calcinat. ℥iiß.
Spicanardi Ind. ʒiß.
♁ calcin.
pip. nigri aa ʒi.
axung. urſin. q. ſ. ad

conſiſt. linim. quod ciliis frequenter illinendum.

§. 13.

Aliâs in confiniis ciliorum ſæpiſſime generatur tuberculum, humorem continens albumini ovi, aut vitro fuſo, aut grandini ſimilem, unde &

GRANDO,

Græcis autem, χάλαζα vocatur: à quo nonniſi figurâ & immobilitate differt aliud in limbo ciliorum quandoque obvium & à figurâ, quam cum hordei granis communem habet,

HORDEOLUM,

Græcis verò κριθὴ nominatum, in tenui folliculo chyloſi quid, non facile ſuppurabile, comprehendens.

Utrumque ſæpe in abſceſſum degenerat ſicque ſponte ſua rumpitur. Quodſi non fiat, acu capitulum albicans aperiendum, materia intus contenta exprimenda & abhinc emplaſtrum aliquod

Saturninum

Saturninum imponendum eſt. Quandoque, ſi pedunculo tereti & anguſto inſiſtit, inſtar verrucæ ligari & ſeparari poteſt.

Quando verò nimis durum eſt, cataplaſmate quodam ad maturitatem deducatur, v. g.

Rec. Medull. pan. tritic. ℥I.
Croci ʒß.
Vitell. ovi N. i.

c. s. q. Lact. caprilli F. Catapl. applic. inter duo lintea.

Alii empl. de ammoniaco adhibent. Quibus ſi tuberculum ſuppuretur, facile dehinc aperiri poterit.

§. 14.

Quodſi tandem ſub converſatione cum hominibus impuris aut ſordidis morpionum (quibus & ſuum eſſe Regulum alibi docuimus) ſeminia ſeu ovula ciliis ſe miſcuerint inibique excluſa fuerint, pediculatio ſeu

PHTHIRIASIS CILIORUM

oritur, quæ ſemine Nicot. ſtaphyſagriæ, ♀ & cumprimis Mercurialibus, omnibus inſectis inimicis, tollitur; eaque de cauſa laciniæ aurifabrorum, quibus vaſa auro obducta detergent, tanquam medicamentum infallibile laudantur.

§. 15.

Ad oculorum angulos & inibi contentas glandulas lachrymales procedentibus offerunt ſe duo affectus cognati

ANCHILOPS & ÆGILOPS,

quorum prior tumor eſt glandulæ lachrymalis, poſterior autem Fiſtula, ſaniem & pus compreſſa refundens.

Uterque à ſanguinis & ſeri acrioris extraverſione & collectione, variolis aut aliis læſionibus oriri ſolet.

In curatione præmiſſis evacuantibus tam internis, quam externis, purgantibus, ſudorif. veſicat. Topica oculis dicata applicentur, qualia ſunt Sief album c. vel ſine op. albumen ovi cum ▽. roſ.

rof. concussum, ut & lac muliebre, quod non secus ac pomum in lacte coctum dolorem egregiè minuit. Conveniunt præterea mucilagines sem. fœnugræci, psyllii cum ▽. rof. vel violarum appositæ. Non minus balsamica, myrrhata, succinata, per syringas in fistulam immissa, in quibus essentia myrrhæ, elixir. propriet. & similia egregiè sese gerunt.

Quodsi his non cedat malum & metuendum sit, ne FISTULA ossi substrato cariem inducat, ad cauteria, tam actualia, quam potentialia deveniendum, quorum figuram, applicationem & tractationem vid. apud sæpius laudatum *Bartischium lib. cit. p.* 285.

In memoriam hîc incidit

CASUS

in Matronâ magnæ prosapiæ olim hîc observatus, quæ ex acidulis Sualbacensibus rediens meoque consilio utens fistulam ejusmodi in dextro oculorum cantho ostendebat, quæ tantos cuniculos egerat, ut humores purulentos per dentes & gingivas in os deduceret, non sine maximâ & prorsus incurabili molestia Matronæ cæterum formosissimæ. Neque enim dentis extractio, in fistula genæ ad dentem cariosum terminata aliâs laudatissima, hîc quicquam conferre poterat, eoque minus, quod effluxu per os impeditô humores alibi per oculos emanarent.

§. 16.

In tunica oculorum annata, præter inflammationem & ophthalmiam, in Prima Parte expeditam, offert se

VARICULA,

in qua venularum illîc discurrentium inæqualis & nodosa protuberantia, citra inflammationem, à sanguine acido-viscoso & tartareô in circulatione sua intercepto, valvulasque venularum distendente oritur. Cum verò pejora inde mala pertimescenda sint, hinc nî sanguis interceptus per collyria discutientia & cumprimis camphorata & crocata dissolvi possit, venulam unam, quæ magis turget, secare sicque morbum hunc curare docet *Marcus Aureli-*

us

us Severinus Tr. *de recondita abscessuum natura pag.* 184.

§. 17.

Annatæ cum tunicâ cornea communis & paucis forte cognitus est affectus *hiatus* seu

ECCHYMOSIS,

sejunctiva, scilicet expansio tunicæ annatæ supra corneam, à divulsione fibrillarum illas connectentium, orta ab humoribus interfluis, Ab illa facile oritur

HYDROPHTHALMIA,

ad quam funditus curandam eradicationem jam suaserat *D. Wesemius*, Medicus Ocularis Francofurtensis: Tentata tamen prius oculi pertusione, adhibitis simul externis & imperata legitima diætâ, humores felicissime educti fuere, ut ex eius relatione in *Miscellaneis S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *A. VI. Obs.* 71. *p.* 160. olim inserui.

Eadem quoque ratione

HYPOPIUM

Seu

OCULUM PURULENTUM

feliciter curabat, in quo loco aquæ pus inter corneæ lamellas, vel inter corneam & uveam, vel inter hanc & humores subditos colliguntur, vid. *cit. loc.* & *Joh. van Meckeren Obs. Chir. cap.* 9. *ut & Nuck. in Exper. Chir. p.* 46.

De aliis Corneæ affectibus, PTERYGIO, NEBULA &c. pleni sunt Chirurgorum libri, Conf. *Tom.* 1. *Prax. Infall. cap. penult.*

§. 17.

An SUFFUSIO & CATARACTA in humore aqueo, juxta Antiquos, an vero in crystallino, juxta Recentissimos Autores sit quærenda, adhuc sub judice lis est, de qua eleganter agit,

 D. Lau-

D. Laurentius Heisterus P. P. Altorfinus, in *Tr. de Cataracta, Glaucomate & Amavrosi*: ubi posterior sententia plurimis rationibus & experimentis stabilitur. Quicquid sit, sufficit, quod in Cura utraque pars conveniat, quæ aliter in incipiente, aliter in confirmatâ instituitur. Prior immatura, Germ. der Wasser-stern dicta, medicamentis: Posterior per depositionem acu factam tollenda est. Medicamenta sunt tum evacuantia appropriatis mixta, tum discutientia, nervina, ut è cura *Mindereri* in Principe quodam instituta videtur, qua 2000. Imperiales lucrabatur, teste *Grembs. in Arb. hom. ruinos. & integr. Conf. & Pars Prima.*

Depositionis Enchiresin ostendimus *in Medicinæ Nov-Antiq. Parte ultima*, quam in figura ænea ob oculos ponit laudatus modo *Heisterus.* Maximum hîc momentum situm est in acu convenientе, quam non tam ex argento, cum *Bartischio*, sed chalybe optimo conficiendam existimo. Sunt qui talem adhibent acum, quæ in oculo dividitur, ita ut tunicam cataractam efformantem comprehendere & extrahere valeant. Interim simul antea laudati *Nuckii* apparatus est laudandus, qui primò acum obtusam & instar itinerarii sulcatam adhibet, cui ad dimidiam partem extractæ aliam obtusam inserit, ne reliquæ partes oculi lædantur. vid. *Fig. 4. TAB. V.*

§. 17.

In GUTTA SERENA (quam à vesica nervum opticum comprimente ortam observavit *Petrus Pavv obs. 2.*) ab omnibus pro incurabili habita notabilis est curatio, quam in figuræ ænea proponit *Frid. Decker. 2.* in *Exercit. Pract. p. 140.*, qua Virgo Cæca fonticulo in capite per cauterium inusto curata & quoties vulnus curatum recidivam passa est. Amaurosin autem salivatione curatam refert *Heisterus cit. lib.* Curiosus est sequens

CA-

CASUS OPTICO-MEDICUS.

Virgo nobilissima, septendecim annorum, regulis diæteticis minus adstricta, vitæ sedentariæ dedita & ad cibos pravæ coctionis proclivis, ante annum & semis variis affectibus affligebatur, e. gr. vertigine dolore capitis asthmate præcordiali, stupore quandoque brachii & pedis in latere dextro aphoniâ &c. Hæc symptomata, alternatim invadentia nihilominus largam purgationem menstruam instante luna inhibuerunt, Circa nativitatem Christi 1708. ægra sentiebat quotidie matutino tempore vomitum sapore subacido - austerum; & quod per vomitum eructabatur erat materia viscida & mucosa interdum verò bilis æruginosa. Cùm varia verò exhiberentur medicamenta acidum invertentia, alia, stomachum roborantia &c. ab unica dosi ♀ri Emetici levamen per quatuordecim dies sentiebat redeunte tunc vomitu. Die 14. Julii 1719. incidit in arthritidem vagam scorbuticam valde dolorosam (cessante tunc omni vomitu) & quidem adeo ut die noctuque dolores lancinantes ei somnum capere non permitterent, unde vires ita prostratæ fuerunt, ut de loco in locum se movere nesciret: post exhibitionem vero medicamentorũ, tam internorũ quam externorum malum mitigatum videbatur; incipiebat tunc ægra de caligine oculorum conqueri, ut objecta ei quævis in duplo viderentur, & cum, non animadvertentibus adstantibus vires assurgendi intenderet dejectæ verò id recusarent, summa cum vehementia cum animi deliquio in terram ruit; altero die non obstante lapsu & caligine oculorum, ægra ad laxandum paulisper animum chartis lusoriis utebatur: sequenti verò die vix adstantes cognoscere potuit: sequentibus diebus tota privatio visûs subsecuta fuit. Instituta oculorum inspectione observatum fuit iridem aliàs colore cœruleo

præditam unâ cum pupilla, colore ſubfuſco & obſcuro conſpicuam eſſe, qui color ſubinde ſubfuſcus & obſcurus ſubſequentibus diebus iterum diſparuit & iris æquali dimenſione iterum in conſpectum ſe dedit, ut ſchema ſub Lit. A, demonſtrat: ex quo patet affectum hunc nihil aliud eſſe, quam dilatationem nimiam præternaturalem pupillæ, quæ dilatatio radios lucis ſine dubio in majori copia, quàm par erat per humorem cryſtallinum usque ad tunicam retinam transmittebat, concentrationem verò radiorum haud permittens, undè neceſſariò privatio lucis ſubſecuta fuit. Cum verò ab exhibitis medicamentis ſenſim ſenſimque pupilla decreſceret & tamen minus quã antea ſpatium occuparet, ut ſchema ſub Lit. B. oſtendit; hinc conqueri incipiebat ægra de perenni ſoculorum dolore circa pupillã, & ſplendorem ante oculos ejus eſſe inſtar Solis referebat. In hoc ſymptomate non intermiſſa fuere medicamenta. Externa fuerunt ſacculi ex herbis cephalicis & ophthalmicis parati & in vino cocti, collyria leni adſtringendi virtute prædita & viſũ roborandi, veſicatoria & fonticulus in nucha applicatus. Interna ſanguinem mundificantia, decoctum lignorum cum radicibus, antiſcorbutica aperientia volatilia, abſorbentia, tam liquida, quam ſolida forma, quæ in tantum operationem ſuam præſtiterunt, ut objecta ante viſum oblata ei apparerent quaſi per linteum nigrum (durch einen ſchwartzen Flor) trajecta: colores quoque exaltatos diſcernere, objecta vero extus allata de hac vel illa forma dijudicare nequit. Ægra noſtra nunc in priſtinam ſanitatem reſtituta & vegeta incolumis eſt, præter morbum jam recenſitum ocularem.

Quia igitur caſus iſte merito inter rariores collocari debet, neceſſe eſt hunc inclytæ Facultati Medicæ communicare, ut, quid de eo ſentiant, me certiorem reddant: ad quem finem ſequentes quæſtiones circa hunc morbum ventilandæ ſunt:

I. *An talis caligo oculorum ſolummodo dependeat à nimia dilatatione pupillæ, an verò ad obſtructionem nervi optici etiam referenda ſit?*

II. *An arthritis vaga ſcorbutica dilatationem pupillæ & obſtructionem nervi optici producere & relinquere poſſit?*


III. *An*

III. *An vis dilatandi & constringendi ejusdem conditionis sit in pupilla ac in cæteris partibus musculosis, ut in paralysi videre est: uno laxato enim, musculus alter ex opposita parte stringitur, & hoc pacto privativè fieret dilatatio pupillæ præternaturalis; Vel positivè potius à particulis rigidis & hispidis interstitia fibrillarum iridem constituentium occupantibus, ut necessariò dilatationem istam pupillæ excitatam fuisse constet?*

IV. *An spes ad recuperationem visûs jamjam ægræ affulgere possit?*

Hoc est quod obnixè rogat

Georgius Theodosius Zinck,
Med. Lic.



RESPONSUM FACLUTATIS MEDICÆ GISSENÆ

PRævia requiſitione Nos Decanus, Doctores & Profeſſores Facultatis Medicæ h. l. transmiſſum nobis caſum læſionem viſûs in Virgine deſponſata concernentem quoad omnes illic obvias circumſtantias, Collegialiter & ſolicitè ponderavimus, & ad quæſtiones inibi inde Nobis propoſitas ita reſpondendum eſſe duximus, ut

Ad I.

An deſcripta caligo oculorum ſolummodò à nimia dilatatione „ pupillæ dependeat? an verò ad obſtructionem nervi optici „ etiam referenda ſit?

utrumque cenſendum eſſe ſtatuamus. Quamvis enim deſcripta in caſu caligo maxima ex parte & quidem eo, quo pupilla talem, quæ *Lit. A.* depingitur, figuram præ ſe ferebat, tempore à nimia pupillæ dilatatione provenerit & non tantùm in ſtatu ſ. n. animalia quæ pupilla latiori gaudent, eam ob cauſam interdiu cæcutiant, ut in Noctuis obſervare licet, ſed & in ſtatu p. n. idem à variis cauſis contingere poſſit, ut ex principiis Opticis oſtendit Profeſſor Matheſeos hujus loci & Collega noſter Honoratiſſimus *Dn. Liebknechtius* in adjectis hîc literis: attamen cùm illa ipſa caligo, etiam reſtitutâ ad ſenſum & ad priſtinam diametrum redactâ pupillâ remanſerit, nemo non videt ipſum nervum opticum, vel quod credibile magis eſt, expanſionem ejus, quam tunicam retinam vocamus, ſuos quoque Manes pati. Equidem cum ægra, juxta tenorem Relationis, objecta externa oculo admota velut per ſindonem nigram videre & colores exaltatos quodammodò diſcernere valeat, neruum opticum prorſus obſtructum dicere non

poſſu-

possumus, cum & pupillæ dilatatio & constrictio hactenus observata fuerit, quod non tam nervi optici, quam retinæ tunicæ læsionem arguit,

Vid. *Ettmullerus in Praxi, ubi de gutta serena.*

Cùm autem in retinâ objecta visibilia tanquam in Camerâ quadam obscurâ depingantur, ut non tantum *P. Zahnius* oculo suô artificiali, sed & Moderni Philosophi Experimentales in oculo vitulino, animali recentissimè mactato eruto & tum à tegumentis externis, tum musculis ad tunicam retinam usque separatis, per candelam pupillæ obversam ad oculum demonstrant,

Conf. Sturmius in Colleg. Curioso Tent. II. pag. 9. Schmidtius in Theatr. Nat. & Artis Fig. 136. 137. Adeoque tunica hæc non sine causa pro immediato visus organo habeatur, hinc si vel p. n. convellatur, aut paralyticè quasi resolvatur, non potest non visus læsio, obscuratio, aut plenaria deperditio inde oboriri An verò

II. *Arthritis vaga scorbutica dilatationem pupillæ & obstructionem nervi optici producere & relinquere possit?*

de eo non est ut dubitemus, siquidem non tantùm dolores capitis vehementiores, verum & arthrittis vaga intensior tunicam retinam fibrasque ciliares nimis tendendo & extendendo ad resolutionem & flacciditatem paralyticam disponere & ita à tono suo (qui ad recipiendas species visibiles summoperè necessarius erat) haud aliter dejicere valent, ac aliàs Colica vehementior Paresin post colicam eadem de causa relinquere solet, quam simili ratione cæcitas insecuta legitur apud *Schenckium Obs. Medic. Lib. 1. de cæcitat. obs. 1. p. 159.* Ut nil de humoribus excrementitiis in morbis illis peccantibus & partes hasce pariter inundantibus addamus. Quibus omnibus tandem & lapsum in terram symbolum suum addidisse, tristis eventus docuit, quod die immediatè sequenti adstantes vix agnoscere potuerit: quod dubio procul à summa & violenta capitis concussione, partes visui dicatas & jamdum debilitatas magis corrumpente, ortum fuit, cùm ex solo lapsu in

syncipur

ſyncipur,aut oculi percuſſione, imo & forti ſternutatione tunicam retinam in tono ſuo læſam aut penitus laceratam, ſicque cæcitatem oboriri doceat *Ettmullerus in prax. l. c.*

III. QUÆSTIO.

„ *An vis dilatandi & conſtringendi ejusdem conditionis ſit in* „ *pupilla ac cæteris partibus muſculoſis, ita ut ſicut in paralyſi videre eſt,* „ *uno laxato alter muſculus ex oppoſita parte ſtringatur & hoc pacto* „ *privativè potius fieret dilatatio pupillæ p. n.? Vel an poſitivè potius à* „ *particulis rigidis & hiſpidis interſtitia fibrillarum iridem conſtitu-* „ *entium occupantibus, ut neceſſario dilatationem iſtam pupillæ ex-* *citatam fuiſſe conſtet.*

Trimembris eſt, dum 1. quæritur, an vis dilatandi in pupilla ejusdem conditionis ſit cum partibus muſculoſis. 2. An dilatatio privativè? an vero 3. poſitivè à partic. rigidis contingat?

Ad 1. Reſpondemus dilatationem pupillæ aliquam quidem ſimilitudinem habere cum motu partium muſculoſarum, inſignem tamen in eo differentiam intercedere, quod fibrillæ in iride ſimiles antagoniſtas non habeant ut muſculi, quorum uno laxato alter fortius ſtringitur & VV. Fibrillæ enim iridem conſtituentes partim circulares ſunt, partim recti lineæ, vel quodammodo perpendiculares verſus retinam progrediuntur. Unde licet 2. dilatationem illam ob inſignem fibrillarum relaxationem quadantenus privationem dicere poſſimus, eadem tamen ut in muſculorum paralyſi, ratione modoque non contingit, alias neceſſario luſcioſitas quædam conjuncta eſſet. Interim 3. quoque aliquid poſitivi humorumque p. n. colluviem adeſſe ex ſupra adducta ætiologia facile pateſcit, quam hic pariter repetimus.

Quod tandem ultimam & palmariam qu. attinet:

An

„ *ſc. IV. ſpes aliqua ad recuperationem viſûs jamjam ægra af-* „ *fulgere poſſit?*

Diffiteri non poſſumus, quod, cum ex relatione morbi appareat colorē illum ſubfuſcum & obſcurum poſt medicamentorū uſū diſpa-

disparuisse, pupillam antea dilatatam pristinum spatium occupasse solitamque diametrum recuperasse, sicque nullo fere amplius in ipso oculo vitio externo comparente, visum tamen maxima ex parte deperditum esse, affectum hunc satis quidem arduum & contumacem esse, adeo quidem, ut non obstante fulgore & coruscatione, quam adhuc percipiunt, ægros ejusmodi ad patientiam Christianam & solatium divinum remittat & absque ulteriori remediorum periclitatione prognostico relinquat Operator in aff. oculorum peritissimus.

Bartischius Part. VI. des Augen-Dienst *pag.* 141.


Attamen & quoniam affectus hic maxima ex parte à vitiosa Diæta subortus fuit, virgo adhuc in ætate florida constituta, ipsaque experientia testatur similes visus læsiones, in sexu cumprimis sequiori (cui tempore graviditatis cæcitas ejusmodi der Frauen-Staar dictus, haud insolita est) tempore puerperii evanuisse aut medic. adhibitus cessisse.

vid. Hildanus Centur. V. Obs. XX. pag. 400. *Sennertus Prax. Lib.* 1. *Part.* 3. *sect.* 2. *C.* 37. *p.* 851. *&* 852.

hinc Virgini huic omnem prorsus reconvalescentiæ spem adimere non possumus, dummodo præscriptas sine dubio convenientes diætæ regulas stricte observaverit debitaque artis adminicula porrò admittere non recusaverit: quod subscriptione nostra & impresso Sigillo Facultatis ordinario attestari voluimus. Sign. Gissæ Hassorum, die Febr. A. MDCCXI.

(L. S.)

Decanus, Doctores & Professores Facult. Med. Ordinarii ibidem.



JUDICIUM

Binorum DNN. Archiatrorum Onolsbacensium, *Dn. D.D. Hoffmanni*, Prof. Altorfini & *D. Crameri*,

DE

RESPONSO GIESSENSIUM,

extractum è literis Anonymi ad Dn. Requirentem.

P. P.

NOn possum ergò non ad desiderium Dominat. tuæ referre, quænam *Dn. D. Hoffmannus*, & *Dn. D. Cramerus* hac de re sentiant? Videtur sc. illis Dn. Giessensium sententiam minus firmo stare talo, dum mox pro causâ pupillam à morbo dilatatam, ubi juxta illorum hypothesin tonus fibrarum ciliarium sic satis destructus hæque ad flacciditatem paralyticam deductæ sunt: mox verò alio in locô obstructionem nervi optici cum tunicâ retinâ accersivit, suspicando insimul binas hasce partes ex pupillæ dilatatione & constrictione damnum quoddam perpessas esse; unde e binis causis jacturam visionis deducunt: cujus rei certitudo non omninò sibi constet, quoniam partes hæ exteriores in multis per vulnera aut alia accidentia in situ suô & figurâ sæpius insigniter læduntur, salvo adhuc manente visu: in fine tandem culpam erroribus diætæ adscribi.

Quemadmodum verò Dnn. nostrorum Archiatrorum judicio prima causa eapropter locum habere non potest, quod non obstante pupillâ ad pristinam figuram redactâ obscuratio visûs tamen

non

non cesset, quæ si a causa illa penderet, impossibiliter perdurare posset, juxta illud: sublata causa tollitur effectus; ita videre non licet, quare hîc errores in diæta tantoperè inculpandi sint, quorum excessus neque in hâc, neque aliis virginibus tantopere præsumi possunt, & vel a 1000. subjectis virilibus perpetrantur, quorum tamen paucissimi, vel omnino nulli, visione privantur, licet ratione dispositionis in quamplurimis eandem naturam habeant. Econtra nulli dubitant malum hoc unicè ab obstructo nervô opticô & tonô fibrarum tunicæ retinæ maximè debilitato dependere, cujus causæ antecedentes, quacumque etiam diligentia adhibitâ, forte difficulter satis erui possent; & licet sub præsente caligine quis putare posset, eam ob causam partes oculorum externas magis quam immediatum visûs organon læsas esse, quod aliqualis adhuc splendor observetur, qui si hoc pro subjecto mali haberi debeat, vix ac ne vix quidem sentiri posset: facilius tamen credi posse, aliquos adhuc meatus & porulos apertos esse, per quos influxus spirituum animalium adhuc fieri, neque tantum impediri possit, quò minus adhuc objecta quædam visibilia, cumprimis intenso splendidoque colore prædita oculumque magis ferentia, veluti per nebulam & minori adhuc obscuritate distinguere possint. Quapropter se non facile adduci patiuntur, ut credant aliquam adhuc ad recuperandum visum spem superesse eòque minus, quod morbus jamdum pro inveterato & hâc de causa de sententiâ plurimorum Medicorum pro incurabili sit censendus, prout in ejus rei testimonium *Bartichius* etiam in responso allegatus fuit Adhæc de subsecuturo effectu frustraneam tot medicamentorum adhibitionem testari &c. &c. Sign. *Onolsbaci d.* 28. *Martii.* 1711.

RESPONSIO APOLOGETICA
Dn. Georgii Theodosii Zinckii, Lic. Medici Aulici, Provincialis & Urbici Meiningensis.

LIteras tuas die 28. Martii exaratas 5. Aprilis optimè obtinui, indeque judicium à Dnn. Archiatis Onolsbacensibus de Responso Giessensium formatum sufficienter hausi; ad hæc autem repono allegatas in Responso citato rationes mihi quidem tam crudè rejiciendas non videri, utut ad quæsita mea non ubivis categoricè responderint. Cùm enim unius rei plures causæ esse possint, hinc allegatæ ætiologiæ hujus caliginis utique suo adhuc talo videntur stare, quum fundamentis Medicis omnino consentaneæ sint.

Quod enim Dnn. Archiatri allegarunt, ablata causa tolli effectum, hoc Facultas Medica Gissensis in responso suo ad primam quæstionem ambabus largitur manibus, dum expressè docet, quod, cum dilatatio pupillæ ad pristinam diametrum sit redacta (licet nondum ad justam perfectionem) & nihilominus obscuratio permanserit, hæc partim ab obstructione nervi optici, partim a læsione tunicæ retinæ profluat. Unde sequitur primariam morbi causam esse obstructionem quandam nervi optici & læsionem tunicæ retinæ: quæ duæ rationes indicant influxum spirituum animalium denegatum & propterea abolitionem visûs subsecutam esse.

Quod è regimine diætæ, (quæ sex causas nonnaturales sub se complectitur, unde & sanitas & morbi profluunt) minus observato arthritis vaga scorbutica & ex hac postmodum obscuratio visûs oriri possit, nemo forte inficias ire poterit; & licet nulla in scholis Medicis observatio reperiretur ex arthritide vaga scorbuticâ visum aliquando deperditum fuisse, attamen quotidiana testatur experientia quamplurimos, si non omnes

arthri-

arthritide vagâ detentos de visûs hebetudine conqueri. Quòd autem ægra nostra hoc experta sit, loco observationis & exempli erit, possibile utique esse hoc ex morbo idem evenire posse. Neque enim ex omnibus consignatis observationibus argumentari licet eadem semper ab omnibus ægris symptomata observari: Observationes enim nihil probant, sed tantum illustrant rem.


Quod porrò objicitur, symptomata similia in iis non oriri, qui tamen ratione dispositionis & in quamplurimis eandem naturam habere videntur, eò forte abit, in unô eodemque affectu semper eadem symptomata observari, quod apertè falsum est. Ex diversa enim dispositione (naturali sc.) diversa oriuntur symptomata, e.g. symptomata arthritidis non sunt uniusmodi.

Porrò DNN. Archiatri existimant malum hoc unicè ab obstructô nervô optico & tonô fibrarum tunicæ retinæ maximè debilitatô oriri & quoniam hac ratione immediatum visûs organum læsum, ipseque affectus, juxta plurimorum Medicorum sententiam, inveteratus sit, malum hoc pro incurabili habendum esse.

Hoc ipsum quod concernit, negari quidem non potest, pupillâ minori redditâ necessariò visum (si hæc unica & genuina caussa fuisset) auctiorem evadere debuisse: quoniam verò hoc insecutum non est, hinc utique nulla alia causa, quam nervi optici obstructio & toni fibrarum in tunicâ retinâ debilitatio, hîc dari poterit, ita ut meô quidem judicio malum hoc depravatæ visionis nihil aliud, quam transpositio humorum, ex arthritide vagâ scorbutica exorta, fuerit, quæ ansam ad obstruendum nervum opticum & ad debilitandum tonum fibrarum tunicæ retinæ dedit. Quod autem malum hoc inveteratum & omnino incurabile sit, nemo adhuc certò determinare poterit. Quoniam enim quidam nervi optici tubuli adhuc patent, tonus fibrarum tunicæ retinæ quidem maximè debilitatus, non verò in totum destructus est, ægra quoque indies adhuc dolores & tensiones in oculis sentire valet; adhæc dilatatio & constrictio pupillæ in integrum & pristinum statum nondum restituta est, hinc exinde sequitur morbum hunc

neutiquam pro gutta serenâ confirmatâ & consequenter etiam non pro inveterato, multo minus simpliciter & absolute incurabili, habendum esse.

Hoc quidem de nihilo non est, quod sit affectus contumax & arduus curandi, qui non semper est in potestate Medici; quoniam verò Deus, ceu summus & optimus Archiater, nostrô quoque tempore sæpe miracula in Arte nostra facit, hinc eundem devotis & ardentibus precibus rogamus, ut medicamentis benedicere & ut in salutem ægræ nostræ vergant, clementissime largiri velit. Vale! *D. Meiningæ, die 12. Aprilis, 1711.*



JUDICIUM DN. PROF. LIEBKNECHTII AD D. MICH. BERNHARDUM VALENTINI.

MAGNIFICE

VIR Amplissime, Experientissime, Excellentissime,
Inclutæ Facultatis Medicæ Domine Decane Spectatissime,
Patrone atque Collega honoratissime.

UT jussu tuo meam de transmisso casu Optico-Medico sententiam feram, talis quidem est, qui inter singulares atque rariores locum agnoscere potest; quare optandum licet, ut reliquæ circumstantiæ, præter istas à Domino Referente Medico eleganter adnotatas, ulterius adnotarentur & nobiscum communicarentur. In præsenti tamen ut ad quæstionem à SPECTABILITATE TVA mihi propositam, ex regulis Opticis, respondeam; *An sc. nimia pupillæ dilatatio in casu præsenti descripta symptomata adferre queat nec ne?* Liceat mihi antequam ad ipsam respon-

responsionem veniam melioris ordinis causa duas istas formare quæstiones:

1. *An in genere dilatatio pupillæ per se talis visum impedire, vel, quod magis est, ejus totam privationem, (verba hæc sunt Domini Referentis) causari queat?*
2. *An in speciali hoc casu nimia, imo præternaturalis, dilatatio pupillæ indicata symptomata effecerit?*

Quod prioris quæstionis resolutionem attinet, notum est ex Mathematicorum observationibus Cameram obscuram nudi foraminis, id quod pupillæ loco est, ita esse comparatam, ut, si foramen ipsum paulo amplius est, objecta confundat anteposita plus tamen minusve certis in casibus, prout illa lucida sunt vel minus talia: quodsi tamen foramini adplicatur vitrum seu lens convexa, tunc objecta, quo magis sunt lucida, eo etiam majorem foraminis contractionem requirunt, ubi & quandocunque illorum adcuratior in pariete dealbato desideratur pictura. Dico adcuratior; dantur enim casus e.gr.: si quando lentes bene elaboratæ sunt, aut tota machina artificiosiori manu parata, qualem in Collegio meo curioso Auditoribus meis commonstrare ac parare soleo & omni tempore SPECTABILITATI TUÆ exhibendam promitto, ubi imagines objectorum sat ac sufficienter adcuratæ sine confusione pinguntur, quantumvis justo amplior sit & maneat lentis apertura. Et id quidem in armatis Cameris felicius exspectatur quam quidem nudis seu simplicibus, in quibus ampliationis & obtectionis foraminis semper habenda est ratio. Neque id mirum est; lens enim, vi demonstrationum, totam rei imaginem sistit, licet circa marginem colores exhibeat, qui picturas modo plus modo minus turbant; imo lens est, (non foramen) quæ recipit radios ab objecto venientes, in ordinem redigit, &, quod probe notandum, istos axi paralleliter illapsos (debet autem vitrum sphærice convexum intelligi) sub angulo 20. graduum minori in distantia fere semidiametri unit,

Conf. Keplerus in dioptr. t. 1. pr. 3. it. Cartes. in dioptr. cap. 2. Molin. Dioptricks part. 1.

Dico

Dico fere: Nam id ipsum quando radii non in uno lentium uniuntur puncto s. foco, colores efficit. Quid si vero lentes dentur, quarum superficies proportionatam magis haberent compositionem? Quid si ex una parte lentis Sphæricam, ex altera superficie Parabolicam, Hyperbolicam, Eccliptiсam admitteremus formam? imo ex superficie utraque ex earum numero unam? nonne istarum lentium, licet ampliorum, radii magis conjungerentur, quam lentium Sphæricarum, quas tamen vulgo Cameris obscuris nostris adplicamus, & his dein mediantibus de oculis judicium, sed quale, eventus nonnunquam docet, ferimus? Nonne recensitarum lentium radios in uno puncto convenire omnium Catoptricorum Scriptorum consensus est, testante *Casp. Schotto?*

in Magiæ Nat. part. 1. l. 7. p. m. 384. Conf. Sturmii Matth. Enucl. l. 2. Renatum Sclusium in Mesolabio, Gerard. Kinckhuysen in Algebra ofte Stel Konst & alios, qui de figurarum istarum proprietatibus scripserunt.

Et quanquam istæ figuræ lentium atque Cameræ obscuræ, tanquam oculi artificiales, paratu difficiliores sint, patet tamen ex adductis, ad objectorum se ingerendorum rationem proprie, certis in casibus, etiam adcurationem, non requiri lentis aliqualem objectionem, ut ita loquar, vel ampliationem; & ad qualemcunque objectorum perceptionem, ast satis dignoscibilem, non æque ullam lentis, concessis tamen iis quæ hactenus sunt adducta, mutationem.

Utut vero ex artis rigore hæc talia adducta sunt, & vel ideo adduci debebant, quia oculus perfectissima & Artis & Naturæ Camera obscura est, in qua saltim discamus Deum arte nostra, quam interdum summam putamus, ludere, nobisque propriam sententiam affectantibus probe illudere.

Utut etiam nemini hodie contranitente certum est visionem eo, quo in Camera obs. fieri modo: nihilo secius oculi quoad omnes partes, i. e. tunicas, humores, musculos, præferendi sunt omni arti, præsertim in eo, quod, quo sunt ejus partes interiores, eo & sensibiliorem imo sensibilissimam, ut ita loquar, habeant rationem.

Ex hac etiam est ut nobis inſciis ſeſe moveant, removeant partes omnes. Dein humor cryſtallinus in ſuperficie poſtica, fatentibus omnibus fere Opticis & Anatomicis, habet unam ex ſuperius recenſitis figuram, vix arte imitabilem.

Quare certiſſimum eſt picturam objectorum, ſalvis tamen reliquis oculi partibus longe perfectiorem quaque eſſe, quam illorum in Camera obſcura, vel ita, ut oculus, cæteris paribus, nullo tegmine opus habeat, quo humor cryſtallinus magis tegatur in videndis lucidis, quemadmodum id in ſupra recenſito oculo artificiali & in oculo demortuo videre eſt; id quod ſaltim ideò dictum velim, quod concentratio radiorum non veniat à pupilla oculi, ut Dominus Referens putat, ſed ab humore cryſtall. ipſo. Quamdiu enim iſte ſalvus, i. e. purus & quietus, cum reliquis humoribus eſt; quamdiu etiam cornea pellucida ſatis præſertim vero retina cum ſuis fibrillis illæſa, & nullis particulis heterogeneis adimpleta, tamdiu viſio ſe ritè habeat neceſſe eſt. Quia vero recenſitæ partes ſubtiles admodum ſunt, interiores vero ſubtiliſſimæ, ideo natura & externis dedit tegmen, nempe palpebras ciliaque, & internis, maxime humori cryſtallino, & dein retinæ, nimirum proceſſus ciliares, humorem illum ambientes, retrahentes, complanantes, cum *uveæ foramen* aliquod admittentes quod pupillam vocant, quæ ſe contrahit in objectis lucidis, ampliat in obſcuris, ſicque ſuperfluos & facile nocentes lucis radios removens, ne retina corrumpatur, vel titilletur, aut pungatur. *An igitur à nimia dilatatione pupillæ tota viſus privatio dependeat, eſt quod nego?*

An vero nimia dilatatio pupillæ partibus viſoriis, vel quia facile lædi & corrumpi poſſunt, vel quia corruptæ adhuc ſenſibiliores redduntur ac ſi eſſent ſanæ, facillime *impedimento ſit, eſt quod concedo*: Et id quidem libentius, quo certius eſt, pupillam eſſe oculi quaſi feneſtram, concedente *Zahnio*, rerum Opticarum indagatore indefeſſo

in *Teleſcopio p. m.* 56. Conf. *Sturmii Jun. Math. tom.* II. *p. m.* 20. *ſeqq.*

Quemadmodum nunc antea dicta ad visionem faciunt & pupillæ ampliatio vel ejus contractio ad visionem commodam, imo commodissimam: ita facilior quoque ad quæstionem 2. erit Responsio:

An in præsenti casu recensita Symptomata à nimia dilatatione pupillæ, hac vel etiam præternaturaliter magna venerint?

Ubi necessario quivis concedet præternaturale idem esse ac id quod à statu naturali & ordinario recedit, id quod quatuor modis fit, conf. *Zahnius l.c.* & Cel. *Hambergerus* in *Diss. de Opticis ocul. vitiis*, & fieri debet:

Si 1.) justo plus dilatetur pupilla. 2.) Si magis constringatur & pene claudatur. 3.) Si in aliam partem dislocetur. & 4.) rumpatur penitus.

Posteriora præternaturalia momenta in præsenti casu locum non habent, neque habere possunt, ergo prius. Sed undenam præternaturalis dilatatio est?

Respondet laudatus *Zahnius* ab uveæ tensione, quæ vel ob intemperiem nimium siccam, ut aliqui volunt, vel ob inclusum flatum, spiritum, aut qualemcunque heterogeneum humorem, qui per vitam sedentariam, ceu in ægra, & arthritidem scorbuticam antecessam facile contrahitur: de quibus omnibus ulterius TUÆ SPECTABILITATIS valebit Judicium. Interim ego *à recensitis symptomatibus præternaturalem*, si modo adfuit, *dilatationem pupillæ mallem derivare*, quam ab hac quidem illa Symptomata; & hæc est altera ad alteram quæstionem mea Responsio.

Restat ut ad Symptomata ipsa respondeam, sed brevissime ad ea tantum, quæ Opticas observationes & regulas admittunt, & quidem

1.) *Ægra de caligine oculorum conqueri cœpit*: Resp. Ob peccantes humores, uti totum corpus, ita & oculorum subtiles partes facile occupantes, præsertim vero processus ciliares tangentes, qui dein humorem crystallinum justo plus retinæ admoverunt; vel

vel ob tumorem ab ea removerunt per quæstionem 1. & hinc est caligo objectorum.

2.) *Ægra objecta in duplo vidit.* Resp. Ob antea dictum tumorem unus oculorum præ dolore ab axi visorio detorqueri facile potuit, sicuti in majoribus animi affectibus, it. humoribus caput occupantibus accidere solet, it. si quis vertigine agitatur, ebrius aut iracundus est, aut si carnifex caput decollare debet.

3.) *Cum animi deliquio in terram ruit.* R. Ob nimiam radiorum retinam titillantium adurentium, copiam &c.

4.) *Ægra mox chartis Tusoriis uti potuit.* R. Ob tumoris remissionem. Melius autem fuisset, si ægra in Cameram obscuratam, viridibus umbraculis obductam delata, aut perspicillis viridibus instructa fuisset: sic forsan istam remissionem non excepisset gravius symptoma, nempe

5.) *Color subfuscus & obscurus in & circa pupillam.* Resp. Potest hic color esse ab intempestivo oculorum usu, vel & humor aqueus, pupillam alias transiens, mox ejusmodi coloribus adimpletus est, qui etiam post adhibita medicamenta recessit, sicque Iridi

6.) *Pristinum colorem ex parte* dedit, ob eandem rationem.

7.) *Splendor* potest esse à radiis uveam læsosque processus ciliares tangentibus. Quando autem

8.) *Ægra hodienum*, cui DEUS gratiam suam concedat! quasi *per linteum nigrum videt &c.* ex nostris adductis facile responderi potest, quod nempe vel humor crystallinus nondum veram à retina distantiam occupaverit, vel quod radii retinam ipsam sauciaverint. Interim dispiciendum est ut ægra intra parietes obscuriores retineatur, atque ejus oculi perspicillis viridibus muniantur, alias enim Symptomata ista præternaturalia in Naturalia abirent, imo ipsam cæcitatem; ubi præsertim *Nervum O-*

pticum adgredientur; id quod tamen ex hactenus dictis non putarem, neque sperarem. Quod reliquum est, TE VIR EXCELLENTISSIME DEO commendo meque TUO ulteriori favori, qui sum

N. T.

Scripsi raptiss. *GIESSAE*
d. 19. *Februarii*
CIↃ IↃ CCXI.

Observ.

(L. S.)

Jo. Georg. Liebknecht,
Mathem. Prof. Publ. Ordinarius.

P. S.

Posset Dominus Medicus ægræ varias adplicare lentes, variæ convexitatis, quibus mediantibus saltim humoris crystallini situm examinabit facilius atque corriget.

Vale faveque.

§. 18.

§. 18.

Dum in his exarandis occupatus ſum, CASUS haud abſimilis de Sutore Grunbergenſi, qui ob viſûs imbecillitatem privilegium de pluribus ſervis alendis, Tribu tamen Sutorum contradicente, obtinuerat, ſe trudit, cujus occaſione ſequens

MANDATUM PRINCIPALE

haud ita pridem advolabat:

ERN. LUDOVICUS, Dei gratiâ,

Landgravius Haſſiæ, Princeps Hersfeldiæ, &c. &c.

Eruditiſſimi, Dilecti Fidique! Tribus Sutorum Grunbergenſium aliquoties conqueſta eſt, quod bina ejus membra, Reinhardus Schallius & Johann Petrus Feſſerus diſpenſatione clementiſſima, quam de binis ſervis alendis obtinuerunt, eam ob cauſam indigna ſint, quod morbi ab illis prætenſi ſimulati potius quam veri ſint, & conſequenter ſufficientibus adhuc ad labores conſuetos viribus gaudeant; & quamvis Phyſicus Ord. Grunbergenſis, *Lic. Schmidtius*, hâc de re conſultus illis bina, his incluſa, atteſtata dederit, in his acquieſcere tamen recuſat, ſed ad veſtrum judicium provocavit. Noſtrum ergo mandatum gratioſiſſimum eò vergit, ut ante nominatos Schallium & Feſſerum in præſentiâ Tribus Sutoriæ probe & ſollicitè inſpiciatis, oculorum & corporis conſtitutionem in illis probè exploretis & qua ratione omnia inveneritis, Nobis cum remiſſione incluſorum ſubjectiſſimè referatis. Ita fore confidimus Vobisque gratioſè favemus. Darmſtád. die 21. Nov. 1713.

Ex ſpeciali Commiſſione Sereniſſimi Præſes, Cancellarius & Conſiliarii Intimi Principales Haſſiaci.

J. V. Schroedern.

RELATIO MEDICA,

Quandoquidem á Johanne Petro Feſſero, Cive & Sutore Grunbergenſi, requiſitus ſim, ut teſtimonium infucatum de corporis ſui ſtatu ipſi impertirem; hinc vi officii refero, quod Feſſius hic per-

ſona ſit valetudinaria à Parentibus Phthiſicis nata , cùm non tantum Pater ejus aliquot ante annos inde obierit, ſed & nuper admodum Mater ejus eô quoque malo correpta ſit; & quamvis ab aſthmate, quô cum rejectione plurimæ ſ. h. pituitæ & materiæ purulentæ binos ante annos per aliquot ſeptimanas laboravit, reconvaluerit attamen ab eo tempore continuo medicamentis uti debuit, remanentibus circa mediam noctem ſudoribus debilitantibus, tuſſi manutina, cum rejectione materiæ purulentæ & ſæpiuſculè ſanguine permixtæ, horripilatione & calore, virium proſtratione, dolore præcordiorum & puncturis; ut adeoque ob ulcus, quô laborat pulmonum, inhabilis ſit ad artem ſuam & labores duriores exercendos, impoſterum ſemper debilior futurus: id quod in ſubſidium veritatis atteſtor

Henricus Schmidt,
Med. Lic. & Phyſ. Ord. Grunb.

ALIA RELATIO,

Sereniſſime Princeps, Domine Clementisſime!

E binis libellis ſupplicibus huc remiſſis humilimâ cum veneratione perſpexi, quâ ratione Tribus Sutorum contra atteſtata Medica, binis ejusdem Sociis, Reinhardo Schallio & Joh. Petro Feſſio, data excipiat, quod veritati minus conſentanea ſint, cum Schallius modò dictus nullo oculorum vitio laboret, ſed tantum otii ergò gratiam Principalem & privilegium de duobus ſervis alendis venetur & ſimiliter Phthiſis à Joh. Petro Feſſio prætenſa ſimulata magis quam vera ſit.

Quandoquidem verò, *Princeps ac Domine Clementisſime*, plurimis è Tribu Sutorum, utut diffiteantur, conſtet, ipſa etiam inſpectio ocularis ſatis doceat Reinhardum Schallium magnam oculorum obfuſcationem & obnubilationem experiri, idque ſemper aliquot poſt prandium horis: reliquo verò tempore pomeridiano continua qſ. nebula oculos ejus obducat, ut in ſuendis calceis per-

gere

gere nequeat: Similiter in Johanne Petro Fessio, parvæ staturæ & debilis constitutionis, Viro, omnia illa occurrant, quorum in relatione mea antea memini; hinc denuo, ceu XXXVII. annorum Physicus, idem attestor, facileque (si necessitas efflagitaret) binæ illæ personæ Darmstadium evocari sicque relationum mearum Medicarum veritas confirmari posset.

Sereniss. V. Celsitudinis

Servus humillimus

Henricus Schmidt,

Med. Lic. & Physs. Ord.

LIBELLUS SUPPLEX

Tribus Sutoriæ.

Serenissime Princeps, Domine Clementissime

Nos universi Sutores Grunbergenses die 24. Febr. A. 1713. humilimum memoriale obtulimus, Fesserum & Consortem ejus concernens, utpote qui sub vario invaletudinis prætextu contra jura & consuetudinem duos servos sutorios alunt.

Quoniam verò nullam usquedum resolutionem obtinuimus; hinc Serenissimam V. Celsitudinem humilime rogamus, velit gratiosissime acquiescere & jubere, ut res hæc decidatur & intuitu vani illius & nullius prætextus clementissimè mandetur, ut mori hactenus recepto morem gerant. Ita fore subjectissimè confidit

Sereniss. Vestræ Celsitudini

humilima

Tribus Sutorum

Grunbergensis.

Daniel

Daniel Kreuder, Tribunus.
Johannes Bach.
Andreas Wolff.
Henrich Bach.
Paul Franz.
Joh. Pet. Franz.
Joh. Conrad Ritter.
Andreas Chrift.
Joh. Martin Ritter.
Juftus Kreuder.
Jacob Franck.
Valentin Banf.
Johannes Heff.
Ludovicus Baufch.
Johannes Ritter.
Joh. Henrich Ritter.
Joh. Henrich Volthat.
Joh. Conrad Wolff.
Johannes Volthat.
Conrad Kesner.
Nicolaus Ritter.
Cafpar Ritter.
Joh. Joft. Lincker.
Johannes Flick.
Andreas Kreuder.
Georg. Grif.
Joh. Juftus Theif.
Joh. Kimmel, jun.
Tobias Franck.
Henrich Ritter.
Joh. Kreuder.
Cafpar Franz.
Elias Bach.
Peter Franck.
Joh. Henrich. Wolff.
Chriftoph. Kreuder.
Chriftoph. Kimmel.
Johann Michael Gal.
Conrad Chrift.
Henrich Kreuder.
Johannes Wolff.
Otto Franck.
Henrich Scultheif.
Joh. Adam Daubert.
Emerich Franck.
Joh. Kimmel Sen.
Elias Volthat.
Johann. Chrift. Sen.
Joh. Chrift. jun.
Joh. Kreuder.
Joh. Volthat.
Wilhelm Deline.
Joh. Adam Bingemantel.
Nicol. Baufel.
Joh. Erling.
Henrich Herz.
Joh. Adam Mütter.

RESPON-

RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ.

Serenissime Princeps!

Princeps ac Domine Clementissime.

Jussu Sereniss. V. Celsitudinis Gratiosissimo binos Sutores Grunbergenses, Reinhardum Schallium & Johannem Petrum Fessenium, una cum Tribu Sutorum, ad diem 29. Jan. huc citavimus, inspectioni oculari subjecimus & in statum corporis & oculorum illorum debita cum sedulitate inquisivimus; ubi observavimus, priorem, Reinhardum sc. Schallium, juxta externum intuitum claris adhuc & intemeratis, utut quodammodò rubicundis, gaudere oculis; cum verò ex eô quæreretur, an continuò debilitato atque obnubilato visu laboret? asseverabat se quidem tempore matutinò servis suis corium prosecando nullum incommodum sentire: quamprimum verò à meridie incalescat, visum ita deperdere, ut ab omni labore abstinere cogeretur, idque magis prono, quam erecto corpore. Ostendebatur illi moneta quædam, quam bene adhuc agnoscere & distinguere valebat; ut adeoque non tam ex inspectione oculari, quam relatione ejus concludi possit eundem dispositionem aliquam ad ἀμαύρωσιν fovere, cum Argentorati & alibi plurimorum Medicorum & Operatorum consilio, sed absque ullo emolumento & effectu usus fuerit, ut sanctè testabatur & juramento corporali, si desideretur, confirmaturus erat.

Alterum Joh. Petrum Fessenium quod attinet, facie adhuc satis plenâ instructus erat, montesque in volis manuum (qui in Phthisicis aliâs collabascunt & pereunt) elevatos habebat, referens

rens se bino, ante annos affectu asthmatico, cum doloribus pectoris & calore p. n. correptum plurimum sputi p. n. ejecisse: & cum interrogaremus, an igitur usquedum adhuc sputum ejuscemodi excerneret? id affirmabat seque nunquam non pituitam striis sanguineis permixtam ejicere adstruebat. Percontando ulterius, an aliquot post pastum horis calore p. n. perfunderetur? ajebat se elapsa post cibum assumptum semihorula sudore perfundi, ut circa mediam noctem quoque contingeret; id quod ego D. Dillenius, cum statim à prandio ad me rediret, cum pulsu celeri ac ferè febrili caloreque p. n. (quod haud minimum phthiseos incipientis indicium est) in eô quoque observavi. Quæsitus an respiratione difficili urgeretur, Resp. interdum aere minus sereno nubiloque existente, vel sub motu corporis intensiori.

E quibus omnibus concludebatur virum hunc non tam phthisi perfectâ, quam dispositione ad eandem laborare: quod S. V. Celsit. humilimè referre debuimus &c. &c. Sign. Gissæ d. 5. Jan. A. 1714.

Justus Fridericus Dillenius D.
D. Mich. Bernhard Valentini,
p. t. Decan.



CAPUT V.
DE AFFECTIBUS AURIUM CHIRURGICIS.

§. 1.

PRæter morbos aurium in *Tomo Primô h. l. cap. ultimo* expeditos occurrunt adhuc alii manu Chirurgicâ magis percurandi, è quibus agmen ducit

AURIS

AURIS EXTERNÆ DEFECTUS,

qui vel ab ipſa nativitate oritur, quale exemplum habet *Schenckius Obſ. Med. Lib.* 1. *Obſ.* 331. vel à violentia externâ & frigoris inclementia proficiſcitur, vid. *Veſlingius Syntagm. Anat. Cap.* 16. Utrobique auditus inſigniter impeditur. Licet enim taliter mutilati audiant loquentium voces, attamen cum rauco quodam murmure, inſtar fluentis aquæ aut cicadæ, ſtrepitum ſimul percipiunt, teſte *Hieron. Fabric. ab Aquapendente Oper. Part.* 3. *p.* 258.

Reſtitutio & curatio illi tantum eſt poſſibilis, qui aurem homini inplantavit & ſolus eſt infallibilis. Quemadmodum enim ſurdos & mutos ab ortu vel unico verbô curaſſe legitur in ſacris, ita ſolo quoque attactu Malcho auriculam reſtituit. Chirurgia econtra Curtorum *Taliacotii* nimis curta videtur, adeoque cura palliativa per aurem artificialem è charta, carneo colore depicta, illi ſubſtituenda, de quibus vid. *Medicina Nov - Antiqua cap. ultimo.* De cornu verò acuſtico & conchis, auribus ad auditum acuendum alligandis, vid. *Armamentum Naturæ Tit. de Auditu* & *Schottus in* Mag. *Nat. Lib.* 2. *Artic.* 2. *Synt.* 4. *dogm.* 1.

§. 2.

Pertinet huc intempeſtiva dicam an veſana

AURIUM OBLIGATIO & COMPRESSIO,

qua puellæ ſæpe aures externas per lacinias, filis ferreis cinctas, capiti complanare ſtudent, aures erectas & à capite remotas pro dedecore habentes, Pamphilum ècontra aures arrigentem in deliciis habentes. Prudentiores hac in parte ſunt Hiſpani, qui peculiari inſtrumento, Sarbatana dicto, limbum aurium exſtantiorem reddunt. Quantum enim momentum ad auditum accuratiorem adferat aurium magnitudo & eminentia, è principiis Mathematicis oſtendit *Hermannus Boerhave, Inſtit. Med. n.* 383. Unde Nob. *Pechlini Tr. de habitu & colore Æthiopum cap.* 2. ſummopere deteſtatur imaginariæ magis quam genuinæ pulchritudinis ſtudium, quâ

Virgines Germanæ olim Naturam, auditui hac aurium texturâ prospicientem, turpiter emendare conabantur.

Quodsi jam compressio talis acciderit & auditus inde læsus in integrum restituendus sit, pulvillis capiti & auribus interpositis, aut conchis acusticis succurrendum, quarum utilitas vel exinde colligi potest, quod Hadrianus, Consul Romanus, auribus hoc in casu cavo manuum apposito sibi consulisse feratur, ut ex *Galeno* retulit Exc. *Joh. Mauricius Hoffmannus in Diss. Anatomico - Physiol.* ad *Hornii Microcosmum p.* 227.

§. 3.

VULNERA & ULCERA aurium EXTERNA adeò periculosa non sunt; cum toto die lobi auricularum, sive pro suspendendis ellobiis, sive sero derivando, datâ opera perfodiantur; quem in finem, ne lobi dilacerentur, forcipem cannulatam excogitavit & descripsit Dn. *van Solingen*, in *Chirurg. Part. I. cap. L. & Tab. IV. Fig.* 3. INTERNA verò negligenda non sunt, cum non tantum tympanum, sed & ossa corrodere, aut in fistulas contumaces abire, vel & fungum scirrhosum post se relinquere valeant, in quo extrahendo, & exstirpando plurimum olim laboris & diligentiæ impendit *Guilielmus Fabricius Hildanus Cent. III. Obs.* 1. *p.* 183. *& seqq.* ubi & ipse fungus & instrumenta pro illo exstirpando, cum medicamentis purgantibus & topicis, depinguntur & describuntur. Conf. & *Nuckius in Exper. Chir. XV. p.* 53.

§. 4.

FLUXUS AURIUM purulenti, cruenti, albicantes, flavescentes, aut viridescentes, cum vel sine fœtore, tum ulcera antedicta, tum nimiam glandularum laxitatem, ut & cerebri & cerebelli mollitiem p. n. aut abscessum, sæpe insequuntur, quem postremum nonnulli Chirurgorum haud inepti catarrhum ac apostema cerebri (einen Hirnfluss) cephalæas diuturnas, aut alias cerebri & capitis contusiones insequentem, vocant. Per quas vias autem ex capite in aures deducantur humores, adeo planum non

 est.

est. Ex tympani cavo eosdem per hiatum Rivianum (de quo *Munnicks Tr. de re Anat. num.* 62. & *Antonius Valsalva Tr. de aure hum. cap.* 2. §. 2.) ad meatum acusticum deferri certum est: sicuti per eundem hiatum non tantum spiritus retentus & flatus cum sibilo emissus legitur apud *Hildan. l. c. Obs.* 3. sed & tabaci fumus plenis buccis collectus toto die à fumisugis exploditur.

Quandoque fluxus modò dicti periodicè contingunt, observante *Joele in Praxi.*

Curantur, præmissis universalibus purgantibus & sudoriferis ex Decoct. lign. exsiccantibus, adstringentibus, balsamicis, cumprimis ▽. & melle rosi. rad. ireos, myrrha, croco, O, v. g.

Rec. Mellis Virgin. ℥ß.
Vini rubri ℥ii.
O.
Croci
ana. ℈i.

M. super igne & lana excepta auribus indantur, suasore *Sennerto Prax. Med. Part.* 2. *Cap.* 12.

In malo inveterato, catarrhis & Senibus fonticulos in brachio ejusdem lateris salutares observavit *Ettmüllerus* in *Colleg. Pract.*

§. 5.

Ad interiora aurium penetralia respiciendo hæc ipsa sæpe à cerumine, sive ab illapsis solent obstrui, unde Surditas temporaria sæpe oritur. Utriusque exemplum olim dedimus in *Miscellan. German. Curiosis Dec.* 2. *Ann.* 2. *Obs.* 164. *pag.* 374. *in* seqq.

CASIBUS:

Circumforaneus, insignis alias Herniosorum castrator, æstate præterlapsâ huc appellens splendidoque suo vestitu atque comitatu credulitati plebejorum fucum faciens, tantam sibi autoritatem conciliabat, ut & surdi & cæci & claudi & quicquid miseriarum

amplius Mundus alit, facto quasi agmine advolarent: sed successu prorsus mirabili; neque enim surdi audiebant, neque cæci videbant, neque claudi ambulabant, neque tandem pauperes aliud inde sperare poterant, quàm sesquipedalia verba. Nihilo tamen minus, ut audaces fortuna subinde juvat & in tanto hominum confluxu quandoque occasionem trudere solet, quâ certum aliàs ignominiæ periculum subterfugere possint, ita & huic Stentori accidit, cui inter alios Sutor quidam & Civis Gissensis, nomine *Steckenrad*, filiolum suum obtulit, qui jam ab aliquot mensibus sine manifesta causa auditum amiserat, cætera sanus. Medicaster ille immisso auriscalpio pisum educit, nescio quo casu auribus illapsum: quo facto auditus subitò rediit & ita præter sostrum non contemnendum speciosam insuper bullam tulit, in perpetuum miraculi hujus testimonium; cui forte plus admirationis conciliare potuisset, si acutam illam decipiendi artem a Chirurgo quodam Giessensi didicisset, qui cum pariter rusticus de insigni auditus gravitate conquestus esset, accuratius paulò inspectam auris cavitatem copiosissimo cerumine obstipatam cernit. Factâ ergo curationis spe subsequente mane rusticum suum redire jubet & eductis prius sordibus sub pretiosissimi arcani prætextu auribus instillat spiritum vini & ita *surdum* illum *sordidum* pristinæ sanitati restituit, qui 8. Imperialium sostro mulctatus gravem rusticitatis suæ pœnam luit.

De aliis illapsis & aures irrepentibus insectis v. g. nucleis cerasorum, lapillis, araneis, formicis, hirudinibus &c. plures observationes ex aliis collectas allegavit Dn. *Joh. Mauritius Hoffmannus in Disquis. Corp. Hum. Anatomico-Pathologicis Specim.* 19. §. 30.

Quodsi in Cura accidat, ut ceruminis portio tunicis aurium tenaciter adhæreat, seq. emolliri debet:

Rec. Hydromel. calid. q. v. infund. ope siphonis in aurem.

ipsi

ipsi verò auriscalpio linteum carptum affigatur, cui facile adhæret.

Si pisa auriscalpio prehendi nequeant, *Solingius* utitur speculo auris, quod depingit *Tab. III. Fig.* 7. Tentari insimul potest, an sternutatorio possit excuti.

Simili modo globuli lignei & plumbei debent extrahi, cum terebellum, ab aliis commendatum, membranas substratas facile lædat.

Turunda altius immissa instrumento cylindro acutiori donato extrahitur, si volsellâ communi arripi nequeat.

Insecta Terebinthinâ imbutæ spongiæ facile adhærent, quæ cum stylo ferreo immissâ facile extrahuntur. Sin minus, succi amari, absinthii, cent. min. card. ben. ☍ tanac. amygd. amar. & similia infundi debent, ut enecentur & abhinc extrahantur.

Quandoque meatus auditorius membrana (cui materiam quandam caseiformem adhæsisse testatur *Josephus du Verney Tr. de Aud. Org. Part.* II.) ceu velo expanso clauditur, quæ pertundi debet & abhinc more solito vulnerariis & balsamicis tractari, modò interstitium aliquod inter hanc & tympanum intercedat. Sin verò membrana hæc prope tympanum conspiciatur hocque tegat, operationem hanc dissuadet *Nuckius* in *Experim. Chirurg. XV. p.* 54. Multo minus tympanum plus minus coriaceum, à *Drelincurtio* in Colleg. Pract. Miss. al. gatum, violandum, ne remedium ipso morbo periculosius adhibeatur.

§. 6.

In confiniis aurium sæpissime tumores quidam observantur, quos inter eminent

PAROTIDES,

seu tumores glandularum retro aures, hoc nomine quoque venientium, sive cum, sive absque febre affligentes. Priores aut criticè, aut symptomaticè in lue Venerea, Peste aliisque morbis erumpere solent.

Quòd

Quòd enim bubones ſub alis & inguinibus, hoc parotides in glandulis retro aures ſitis; quod haud minimum ad inſtituendam *Prognoſin* argumentum eſt.

In *Cura* fugienda repellentia antiquis recepta, ſive jam criticè ſive ſymptomaticè generentur. Rectius in principio diſcutientia, hiſque nihil proficientibus abhinc maturantia (præmiſſis, ſi indicentur lenitivis, V.S. & ſimilibus) materiam intus ſtagnantem ad ſuppurationem deducentia. Hunc in finem tumori imponatur lana ſuccida, ℴ︀ chamom. lilior. alb. irinô, anethi ebria. Cataplaſmata item ex emollientibus parata v. g,

Rec. Rad. lil. alb. ℥ß.
Farin. Fœnugræci ℥i.
Furfurum p. ii.

Bulliant in hydræleo ad juſtam conſiſtentiam, addendo in fine

Pingued. porcin. ℥i.
ℴ︀ Chamom.
irini aa. ℥iii.
M. F. Cataplaſma.

Generato pure aut fermento acri, aut unguento baſiliconis, apertio tentanda. Si cutis ſit ſatis tenuis ſolo felle porcino rumpitur abceſſus. Sin minus, ferro inciſura fiat in parte decliviore & abhinc mundificantia & conſolidantia applicentur, qualia ſunt empl. de minio, ſticticum Crollii, aut Norimbergenſium, quod ex minio & ℴ︀ roſarum, addito in fine camphora, paratur & coquitur.

§. 7.

Quandoque tumor omnem fere circumferentiam aurium externè occupat, cujus rei

CASUM

notabilem refert *Dn. Johannes Muyſius*, Arnhemii olim mihi familiaris, in *Praxi Chirurgica Rationali Decad. III. & IV. Obſ. VIII. p.* 29. quem cum ſuperiori A. 1712. anno illi prorſus ſimilem in Sutore Hochio, Giſſæ ſatis cognito, obſervarim, integrum hîc ſubnectere placuit:

Vir


Fig. 1.
a
a
a
a


Fig. 2


Fig. 3.


Fig. 4

Vir circa trigesimum sextum ætatis annum, tempore brumali ac aere ventis haud parum agitato, iter faciens brevî post sentiebat auris dextræ dolorem, ex qua deinde quotidiè prodibat nonnihil puris, tuncque aderat doloris illius non mediocre levamen; postea pure non amplius promanante æger de summo iterum conquerebatur cruciatu, qui noctu non rarò delirium producens jam per aliquot menses duraverat, nec ullis externis internisve remediis obsecundabat; advocatus post aurem reperi tumorem longe lateque extensum, in quô pus contineri, firmissimè mihi persuasi, licet ob profunditatem loci, in quô pus delitescebat, palpando nulla animadverti posset undulatio. Imposui igitur corrosivum, cujus eschurâ valde crassa separata incredibilis puris copia profluxit. Hoc autem pus jacuerat super osse petroso, quod totũ nudum existebat, sicut id specillo observare facile potui: interim tamen absque ulla fragmentorum ossium separatione patiens intra sex septimanas prorsus sanatus est, ac sanus postea permansit, non adhibitis aliis medicamentis, quàm injectione idonea, bono digestivo, ac tandem osse iterum contecto, tinctura mea ♄, quàm externè multis in casibus mirum in modum profuisse comperi.

§. 8.

Tandem &

TUMORES CYSTICI RETRO ET CIRCA AURES

oriuntur, quemadmodum notabile hujus rei exemplum à *D. Joh. Mauritio Hoffmanno*, Prof. Altorphino Celeberrimo, *Miscellaneis S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. 5. Obs. CCX. p. 433.* insertum legitur, quod in TAB. II. Fig. I. ob oculos posuimus, e qua & ipsa curatio, in *Medicina nostra Nov-antiqua* olim tradita, ad oculum elucescit. Scilicet

a. a. a. a. Integumenta externa cruciatim dissecta notat.
b. meliceridis materiam.
c. Fasciculum pilorum intus contentum,

quem non tam incantationi, d. proventui naturali adscribit Autor modo laudatus, cum e cute radices quædam eò detortæ fuerint.



CAP. VI.

DE MORBIS NASI CHIRURGICIS.

§. I.

DUm ad statûs narium. p. n. considerationem jam transcendimus, variasque earum deturpationes, DEPRESSIONES, INCURVATIONES aliasque FIGURAS inconcinnas consideramus, memoriam hîc subeunt rhythmi ignominiosi, quos aurigæ in Belgium tendentes & oppidum *Nuys*, in tractu Coloniensi, transeuntes quondam canere solebant:

Noes, noes, noes, noes,
groote, bryte, dicke noesen,
schmale, klyne, krumme noesen,
Jans noesen, ollerhand noesen,
noes, noes, noes, noes.

quas omnes nasorum p. n. differentias Belgæ in *Ephemeridibus Ambstelodamensibus minoribus* figuris ridiculis, æri vel ligno incisis, ob oculos sæpe ponunt, sicque & NASONES & NASUTULI suos inveniunt irrisores, juxta proverbium: Wer den Schaden hat, darf vor den Spott nicht sorgen. Luculentum hujus exemplum olim se trusit in aula magni Principis, in quâ Minister quidam commorabatur naso plurimis tumoribus obsesso præditus. Cum ergò aliquando tabulæ Principali accumberet, Morio a tergo stans & cum exclamatione nasi magnitudinem admirans, vah quantus nasus! inquit, (Germ. o vvie eine Naase) increpatus eapropter & excessum emendaturus interposito quodam intervallo ingeminabat: vah quàm elegans nasulus! (o vvie ein Näsgen)

Post-

Postquam vero jussu Principis eadem de causa verberibus exceptus esset, tandem indignabundus Ministrum accedendo nescio quid obscuri in nares ejus devovebat, solutis in cachinnos aulicis & famulis circumstantibus.

Nos de cura magis sollicitì existimamus iis, qui similes ignominias perferre nolunt, aut nequeunt, per Artem Chirurgicam adhuc succurri posse, cumprimis si deformitas non tam a primo ortu, quam à gutta rosacea, aut aliis tuberculis oborta fuerit, sive jam medicamentis, sive sectionibus illud fiat; quemadmodum in Cap. III. id jamdum ab oculos posuimus. Egregia hic exempla refert *Guilielmus Fabricius Hildanus, Cent. VI. Observ. Chirurg. LXVI.* qui tuberculum ad instar cerasi rubri (in utero materno contractum) e medio nasi excidit, licet & ductum è vena frontis recta ad nasum descendentem, non sine maxima hæmorrhagia, simul abscindere coactus fuerit. Aliud huic, non multum absimile

TUBERCULUM
in NASO

idem Coloniæ in trimulo è medio nasi per erodentia absumpsit. Interim circumspecte & prudenter hic procedendum, ne novacula vel erodentia cartilagines attingant, *vid. c. l.*

TUBERCULUM NASI EXTREMI

interdum molle & rubellum: interdum autem durum & lapidescens fuscoque colore, adeoque ipso intuitu malignum, observatur. Hoc posterius nonnisi igne, prius vero sectione quoque tolli posse *Sevrinus* autor est *in Chirurg. efficac. Part. 2. Cap. LXXIII. p. 115.* Post sectionem autem non tam repellentia, quàm exsiccantia adhibenda sunt. In CANCRUM si abeat; curationem vix admittit; unde Antiquis NOLI ME TANGERE dicitur. Vid. *Hafenreffer. in Nosocom. cutis p. 224.*

§. 2.

Ad similes Nasi deformationes, cumprimis DEPRES-

SIONEM & SUBSIDENTIAM multum etiam contribuit

FRACTURA NASI,

five cum, five absque vulnere contigerit, de cujus differentiis atque cura prolixè agit *Sennertus Prax. Med. Lib. V. Part. V. Cap. XII.* brevibus autem, sed sufficientibus expedit *Pareus Tr. de recentibus & cruentis singularum partium vulneribus Lib. IX. Cap. XXVI.* dum multis modis, inquit, nasus continui solutionem patitur, nempe vulnere, fractura & contusione: ac parte quidem supernâ colliditur & frangitur; quod cum contigerit, immissa in nares spatulæ cauda, vel bacillo idoneo, stuppis, bombace, vel linteo involuto depressa ossa sedi nativæ & figuræ sunt restituenda. Hinc diplomatis, restringente medicamento, ex

Thuris
Mastich.
Boli Armen. aa. ℥ß.
Alum. roch.
Resin. pin. aa. ʒii.

cum ovo albumine exceptis, mbutis & ad nasi latera appositis, restitutis ossibus stabilitatem parare oportet. Quæ omnia convenienti mox ligaturâ constringi debent, quæ non nimium premat, ne resimæ reddantur nares, ut multis contigit per Chirurgorum imperitiam. Tandem tubuli in nares immittendi, non quidem exactè rotundi, sed quadantenus lati & depressi, filo utrinque ex pileolo nocturno, ne excidant, revincti, quorum delineationem & figuram *vid. cit. loco.*

§. 3.

Violentiæ ejusmodi externæ sæpissimè ansam suppeditant generationi corporum p. n. nares obstruentium, quæ è fibris quibusdam disruptis & nutrimento proprio illarum elapso facile concrescunt &, si ex unica & continua massa constant,

SAR-

SARCOMATA:

fin verò plurimas appendices & fibras, tanquam totidem pedes, des se spargant

POLYPI NARIUM

vocantur, idque ob similitudinem, quam cum polypo marino habent, cujus figuram & anatomen propediem *in Amphitheatro Anatomico* σὺν Θεῷ ob oculos ponemus.

Plerumque ossis ethmoidei cartilagineis ac tubulatis eminentiis adhærent & multis in locis narium tunicæ internæ fibris suis annectuntur. Quandoque in tantam molem succrescunt, ut extra nares protuberando faciei confinia occupent, quam non sine horrendâ deformitate à polypo narium omninò obtectam exhibet Fig. 2. TAB. II. de quo vid. *Job à Meckeren, Observat. Medico Chirurg. cap. XI.* Aliàs verò non tantùm respirationi & loquelæ insigniter incommodant, sed & deglutitionem sæpius præpediunt, qualem polypum olim in nosocomio Lugduni Batavorum videre licuit, in quo alterutræ insimul malæ tumor exulcerata aderat, tamque altas radices in confiniis palati egerat, ut ægrum prognostico potius relinquere, quàm immedicabili malo manum adhibendo oleum & operam perdere maluerit *Dn. D. Schachtius*, Profess. Med. Pract. dictique Nosocomii Inspector, prout in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. V. Obs. LXXXII. p.* 187. olim retuli, ubi in scholio quoque *Drelincurtii* sententia de Polypo narium occurrit, qui eundem pro excrescentia duræ matris habet; quod tamen perpetuum non esse extractio & cura illius (quæ non adeò impossibilis est) testatur.

Quodsi enim molliusculi & albicantes sint polypi & pedunculo graciliori gaudeant, haud ita difficulter extrahuntur. Plus laboris habent ramosi & duriores. Difficilime autem curari possunt, si colore livido, plumbeo & q. s. cancrosa facie præditi sint.

Curatio aut medicamentis, aut filo, aut ferro & igne perficitur. Inter medicamenta quidam succum nasturrii, quidam pulverem, heliotropii, corticum granatorum & sabinæ laudant. Majoris veró efficaciæ sunt ⊕ lacea & Onosa. ⊕ alb. pulverisatum, cap. mort. ⊕ cum ∇ plantag. ∇ c. ∇ rosf. vel solan. O. ustum, Unguent. Ægyptiacum. Vel

Rec. Ærug.
Alum. usti.
⊕. ana q. v.

c. s. q. mellis & ✱. F. Unguent. quod linteis carptis (sicut fluida magis penicillo) applicari debent.

Omnibus his irritis ☿ ♎, arcanum corall. aut butyrum ♄. (ab *Henr. Heerio* in *Obs. oppido raris* commendatum) in subsidium vocanda sunt: sub quorum usu interior tunica nasi adhuc illibata defensivis, v. g. unguento camphorato albo, popul. & similibus muniatur, ne ab acribus illis arrodatur.

His si morbus non cedat, ad filum & ferrum deveniendum, illic eodem modo procedendo, uti *Hildanus Obs.* 1. *Cent.* 3. scirrhum in aure eradicavit, de quô supra Cap. V. jamdum egimus. Quidam ex Chirurgis, *D. Antonio Nuckio* familiaribus, eodem instrumento, sed in minori forma, utitur, quo uvulam abscindere docet *Scultetus Armam. Chirurg. Tab. IX. Fig. VII.* Videantur *Exper. Chirurgica Nuckiana p.* 41.

Quùm verô fili usus sit frustraneus, si polypus in profundo lateat ipsique ligatura satis altè injici non possit; hinc tandem ad forficem cannulatam, quâ polypus auferendus, deveniendum est, cujus inventionem magno verborum apparatu sibi vindicat *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Tr. de Operationibus Chirurgicis pag.* 359. *& seqq. edit. Patavinæ*, sed contradicente *Marco Aurelio Severino, Chirurgiæ efficacis Part.* 11. *enarratoria cap.* 74. *pag.* 116. qui *Nicolinum* Florent. genuinum ejus autorem esse testatur, cum typus instrumenti *Nicolini* nullus alius sit, quam quem in opere suô depingit *Fabricius:* ita ut certò sibi persuadeat ab ipso

Nicolino

Nicolino hunc ipsum, ut plurima alia, mutuatum esse *Fabricium*. Quicquid verò sit de Inventore, sufficiat nobis instrumentum hoc esse probatissimum, quô se in fœminâ quadam Palatinatûs Neoburgici felicissimè usum esse testatur *Bruno* in *Colleg. Pract. Msc.* Præstantius tamen illud foret, si in parte concavâ superiore duobus aut tribus dentibus quadratis & acutis esset præditum, qui firmius dictum tumorem apprehendere possent, judice supra laudato *Nuckio l. c.*

Extracto per instrumentum hocce polypo reliquiæ ejus cauterio, per cannulam naribus immissô, exstirpandæ sunt, cujus rei modum & enchiresin ob oculos ponit *Scultetus* in *Armamentario Chirurgico Tab. xxxvii. Fig.* 1. *pag.* 146. Nisi enim hoc fiat, malum facile recrudescet. Interim sunt, qui loco cauterii, extracto jam polypo, naribus immittunt 🜄 melli rosaceo remixtum, aut tincturam cinnamomi c. melle. Alii & extractionem minus necessariam esse censent, cum 🜄. calcis vivæ sæpius attactus polypus exarescere dicatur. Exemplum habet *Nuckius l. c. p.* 44.

§. 4.

Eadem ratione quoque tractanda sunt ULCERA NARIUM CACOETHEA, quæ dictas modo excrescentias & antecedere & insequi possunt. Inter illa autem eminet

OZÆNA,

quam vivis coloribus depingit Celeb. *Hoffmannus*, Antecessor in Acad. Altorphina, quando in *Disp. Corporis humani anatomico-pathologicis Specim. XX. §.* 43. eandem dicit ulcus narium internum & putridum, cum insigni fœtore & crustarum separatione, vel saniei virulentæ profluvio conjunctum, ad exteriorem etiam nasi ambitum sese exporrigens, imò haud raro ossa turbinata, lamellas & cartilagines depascens; ab ichore acri, acido, corrosivo, putrilaginoso, scorbutico aut Venereo, ex sanguine, in pulposâ, glandulosâ & carnosâ earum substantia secreto, progenitum. Conf. *Miscell. Nat. Cur. Dec.* 3. *Ann. IV. Obs.* 1.

Curatur

Curatur vel medicamentis, vel instrumentis. Illic *Hildanus* in *Cent. Epistol. num. XCIV.* linimentum, in hujuscemodi affectibus ipsi pretiosissimum dictum, conficit hac ratione:

Rec. ℴℴ. rosac. ℥ii.
Lithargyrii aurei,
Cornu cervi usti. pp.
Tutiæ præp.
Plumbi usti aa ℨii.

Injice in mortarium plumbeum & cum pistillo plumbeo tamdiu in mortario agitentur, donec formam linimenti acquirant. Poterit & parum succi geranii admisceri, quod præmissis præmittendis applicetur.

Quodsi verò malum altius in naribus radicetur, ut unguentum hoc illud attingere nequeat, præmissis purgantibus, diæta lignorum &c. ad Chirurgiam deveniendum, quam duplicem ex aliorum mente proponit *Celsus lib. 6. cap. 8.* sc. cauterisationem & sectionem.

In priori cauterium immittunt per cannulam in §. præcedenti descriptam, quæ in eo latere, ubi malum hæret, foramine gaudere debet, ut è Fig. IV. Tab. IX. *Arment. Chirurg. Sculteti* observare licet.

Enchireses totius operationis (quæ omnium prima fuit à laudato modo *Sculteto* ad jussum ductumque *Spigelii* exercita & postmodum in plurimis ægris feliciter repetita) *ibidem* egregie describuntur. Antiqui hoc instrumentò destituti cauterium vel per fistulam fictilem, vel fistulam ex arundine (qualem per calamum scriptorium à *Celso* intelligi *Hieron. Fabricius ab Aquapente* in *Oper. Chir. p.* 363. existimat) immittebant.

Alteram, quam *Celsus* simul allegat, operationem Chirurgicam, quâ nasum ab imâ parte ad ipsum os, ut locus affectus conspici & legitimè curari possit, secare jubent, tanquam crudelem & in parte sensu acutissimo prædita ferè intolerabilem, haud facile admittent Ægri; unde tertiam fere addit laudatus modo *Hieron.*

Fabricius










Fig. 3.





Fabricius l. c. quâ ferramento candente per cannulam sæpissime immisso, sed statim retracto, partem affectam sola calefactione & exsiccatione curare sustinet.

Quodsi post tales operationes, etiam à primo ortu, foramina narium connascantur, lancetta incidenda & turunda plumbeâ perforata, donec incisio sanata sit: ut sub directione *D. Ruppii* immittenda Physici Gisseni, hoc ipso 1714. anno in infante id tentavit & feliciter peregit Chirurgus Gissensis *Hoeferus*.

§. 5.

Tandem & DEFECTUS ac

MVTILATIO NARIVM

quoque consideranda se offert, qua sive delinquentibus, sive innocentibus, inhonesto aut fortuito VULNERE, vel apex vel, integer nasus abscinditur. Tristissimum & miserandum hujus rei spectaculum olim Lutetiæ Parisiorum videre licuit; ubi illis, qui ad triremes damnabantur, plerumque nasi portio prius abscindebatur sicque mutilati & catenis devincti per compita viarum ducebantur. Ne igitur & hi naso suspendantur adunco, hinc novus illis nasus est formandus, non quidem cereus, quo leges ab hominibus sancitæ (cumprimis in Germaniâ, ubi lites sunt æternæ) gaudere dicuntur, sed aut vivus & genuinus, aut palliativus.

Priorem *novâ* sua *Curtorum Chirurgia* per traducem & insitionem cutis ex humero resarcire docet *Gaspar Taliacotius* Italus, cujus encbireses hic in TAB. III. è scriptis ejus mutuo sumptæ ob oculos ponuntur. In Fig. I. scilicet subjectum virile naso orbatum sistitur, cum ipso traduce è brachio desumendo, ubi

G. D. H. est cutis propago educta.

H. Propaginis apex, naso prius scarificato applicandus.

C. Radix ejusdem.

D. Propaginis corpus.

A.B.F.E. Area cutis, unde tradux seu propago desumitur.

A. B. Terminus areæ superior.
F. Terminus inferior areæ.
E. Corpus areæ.

Fig. 2. exhibet applicationem traducis ad nasum detruncatum, cum deligatione:

D. est tradux cutaneus.
C. Cutanei traducis radix.
G. Areæ vulnus, medicamentis obductum & obligatum.
*. *. *. Fascia regia.
E. Fascia brachialis.
A. A. Fascia cubitalis.
F. Cucullus.
a. a. Foramen cuculli ad aures.
H. H. Thoracis sive diploidis pars postica.
G. Principium fasciæ axillaris.
Q. Subligaria.

Novi equidem quamplures artis hujus possibilitatem in dubium vocare & pro nuda speculatione habere, quum ingeniosus ille nasorum faber nullas observationes & historias artis à se inventæ & exercitæ libro suo inseruerit. Postquam verò *Guilielmus Fabricius Hildanus*, Autor fide dignissimus, *Cent. 3. Obs. xxxi.* notabile hujus rei exemplum annotavit, non est, ut amplius de veritate ejus dubitemus.

CASVS

ab illo relatus hic est: Anno 1590, cum Dux Sabaudiæ Genevensibus bellum indiceret, incidit in manus militum puella quædam casta, Susanna N. nomine, quam cum stuprare frustra tentassent, atque hac de re maximâ irâ perciti essent, nasum ipsi absciderunt. Post annos duos venit Lausannam, ubi tunc degebat Dn. *Johannes Griffonius*, Chirurgus ingeniosissimus, qui cum ipsam curandam & nasum restituendum suscepisset, ita satisfecit promissis & nasum

nasum restituit, ut maximâ cum admiratione omnium ipsum artificialem & factitium esse vix appareret. Primordi hujus artis *Griffonius* modò laudatus habuit ex cujusdam Itali, Lausannam transeuntis & à *Taliacotio* curati, relatione, reliqua industriâ suâ perfecit. Hujus ergo famâ excitatus *Hildanus*, post visam à se puellam, movebatur, ut epistolam peculiarem ad *Griffonium*, Medico-Chirurgum Bruxellensem, exararet & tum instrumentorum tum enchirescos descriptionem expeteret, quæ in *Centuria Epistol.* ordine *LXIV.* est. Conf. & *Borellus Histor. & Observ. Cent.* I. *Obs. X.* & *Nicol. du Blegny Obs. Chirurg. ad annum* 80. *pag.* 121. De Monumento autem *Taliacotio* Bononiæ in Auditor. Medicorum ob artem hanc erecto vid. *Abrah. Saur, in Topograph. pag.* 160.

Quum verò non omnibus hic Corinthum adire liceat rarique sint artis hujus gnari, hinc in defectu illorum cura palliativa, in *Medicina Nov-Antiquâ Part. ult. Cap. penultimo* à me laudata, substituenda & nasus factitius è lamina ferrea vel argentea applicandus, cujus effigiem & parandi modum annotavit *Pareus Tr. de iis, quæ desunt, reparandis.*



CAPUT VII.
DE AFFECTIBUS ORIS CHIRURGIAM POSTULANTIBUS.

§. I.

NAsus pronam ad os ostendit viam, cujus marginem decorat barba, de cujus affectibus non multum erimus solliciti, quum nostro seculo, quo non tam barba quam Barbara facit virum,

DEFECTVS BARBÆ

adeò non turpis ſit & ignominioſus, ut potius pro ruſticitate, ſi non veſania, reputetur barbam alere aut ponere: ſicque veriſſimum eſt quod *Æmilius Probus* in Præfat. *de Vit. Excell. Viror.* habet: non eadem omnibus honeſta atque turpia eſſe, ſed omnia Majorum inſtitutis judicari.

Quodſi tamen quispiam ad legitimandam virilitatem barbam affectet, iis uti poterit, quibus Alopecia curatur, acriuſculis ſc. proventum ejus peremtoriè citantibus. Ex conſilio *Scioppii in Mſc.* ♈. teneant in ore, dein ſpatium inter naſum & labio ℅ ♀. inungant, efflando halitum ♈. ex ore, vid. *Sachſius in Ampelograph. p.* 643.

§. 2.

Ad Labiorum vero labes dum delabimur, plus negotii & laboris, quam aliquis crederet, ſe offert, ſive jam nimis curta, ſive p. n. inverſa, ſive rhagadibus & nodis, tam benignis, quam malignis & cancroſis deturpata ſint.

LABIA NIMIS CVRTA

aut à primo ortu connaſcuntur, aut à vulnere ori inflicto oriuntur. Utrobique ſe minus contingere, ſicque nec dentes, nec gingivas penitus obtegere poſſunt.

In Curatione materia, qua complentur & reſarciuntur, vel aliunde, vel ex ipſis labiis petitur; quorum prius fit in Chirurgiâ Curtorum, eo modo, quo naſum deperditum reſtitui poſſe vidimus, de quo vid. *Taliacotius lib. de Chir. Curt. lib.* 2. *cap.* 19. Poſterioris verò enchireſes tradit *Hieron. Fabricius* ab *Aquapendente*, *Tr. de Operationibus Chirurgicis pag.* 219. *edit. Patavinæ.* Similes autem, ſi non eædem, ſunt cum iis, quibus

LABIVM LEPORINVM

curatur, quas exhibuimus in *Medicinæ Nov-Antiq. Parte Chirurg. cap. penult.* §. 4. *pag.* 368. Conferantur interea *Operationes*

Chirurgicæ

Chirurgicæ Roonhusii, Lib. 13. *P.* 2. *Obs.* 4. 5. *& seqq.* quibus hoc in affectu curiosus Lector, judice *Nuckio*, carere vix potest.

§. 3.

LABIA EVERSA & PERVERSA,

quando in labio cumprimis superiore, laxa quædam caruncula, aut alia carnulentia transversim dependent; quod vitium, licet promptæ loquelæ admodum incommode; apud Veteres raro vel nunquam expeditum legitur, teste *Severino* in *Pyrotechnia Chirurg. lib.* 2. *Part.* 1. *C.* 51. Curatur eadem ratione, qua excrescentiæ palpebræ internæ medemur: vel crebris incisuris, transversim in parte interiore à laudato modo *Severino* adhibitis, addendo postmodum cauteria convenientia.

Antequam vero ad crudelem hanc operationem perveniamus, tentandum prius esset, annon malum hoc per fortiorem ligaturam cum setis equinis, ad imitationem *D. Danielis Winckleri* in *Miscellan. S. R. I. Acad. Natur. Curios. Dec.* 1. *Ann. VI. & VII. Obs.* 37. *p.* 69. tolli possit.

§. 4.

FISSURÆ & RHAGADES

labiorum oriuntur aut à calore nimio, aut frigore inclementiore, aut humoribus acrioribus & acidis, fibrillas erodentibus & lacerantibus, quam ultimam causam ad oculum confirmat labii ulcus, acidum & corrosivum liquorem plorans, in *Miscell. Acad. Germ. Cur. Dec.* 3. *Anno V. & VI. Obs.* 68. In Cura præter interna, purgantia, sudorif. absorbentia &c. extus conveniunt demulcentia & balsamica, ☍. sapon. ☍. ceræ, balsam. ♆. Peruvian. & similia.

§. 5.

Inter tumores labiorum præter INFLAMMATIONEM ex ictu vesparum, apum, aut aliorum insectorum, INFLATIONEM OEDEMATOSAM à sero p. n. STEATOMATA & VERRUCAS, ex propriis fontibus curanda, notam merentur

NODI LABIORVM,

tam benigni, quàm maligni, quorum binos, ſed elegantes CASUS habet *Joh. Muyſius in Prax. Chirurg. Rationali*, alterum *Dec.* 2. *Obſ.* 9. alterum *Dec.* 2. *Obſ.* 10. Prior ita ſe habet:

Juvenis viginti tres annos habens oſtendebat in labio inferiori tumorem rotundum, mobilem, parum dolentem, ſed interea ſatis moleſtum mole ſua, quæ æqualis erat globulis illis, quos pueruli in luſibus ſuis adhibere ſolent. Color à reliquo labio non differebat. Patiens ante trimeſtre ſpatium labium inferius dentibus momorderat, ab illo tempore animadvertit hunc tumorem. Jam nemo eſt, qui neſciat, quàm multæ exiguæ glandulæ non tantum per reliquas oris partes, ſed etiam per labium inferius diſſeminentur, quarum à una morſu læſa fuit ita, ut humores ex arteriola egreſſi in glandula, occluſo exitu, ſubſtiterint & ſic glandula hæc parva in tantum tumorem excrevit, quam *Jobus van Meeckeren* Chirurgus Ambſtelodamenſis (qui ſolus ferè ejus *in Obſerv. Medico Chirurg. Cap.* 13. mentionem ferit) *een Steen-Knop* vocavit. Quandoquidem verò medicamenta hic locorum commodè applicari vel retineri non poſſint, ideò ſectione ſcalpelli ſimul & ſemel totum tumorem ſuſtulit vulnuſque relictum ſolo melle roſaceo ſanavit.

§. 6.

Inter tumores nodosque malignos

LABROSULCIVM ſeu CHEILOCACE

(Belgis *the Water Kancker*) ſe offert, quem affectum *Arnoldus Bootius in Obſ. de affectibus omiſſis cap. X.* primùm ex condicto deſcripſit. Tumor ſc. eſt durus & nonnihil rubicundus labii utplurimum ſuperioris, rarò inferioris, foveolas binas in utroque labio producens, ab humoribus acido-viſcidis & plus minus corroſivis ortus. Sæpius autem exulceratur tumor hic, ut ex altero ſupra allegato *Muyſii* Caſu eluceſcit, qui ita ſe habet: Puerulum biennem, qui jam per tres integros menſes quartanâ laboraverat,

non

non ita pridem invisi, ac inter ejusdem labium superius & gingivam inveni ulcus, quod ante quatriduum initium suum ceperat, satis altè sursum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans & graveolens. Jam perinde mihi erit, an cum *Hildano* gangræna, cum *Carolo Batto* cancer, an verò cum *Cornelio van der Voorden* noma vocetur, quandoquidem meras illas quæstiones de nomine parùm admodum moror, qui nihil capto nisi res. Interim malum est celerrimè proserpens, quod brevi ægrum jugulare potest, sicut ante 2. menses expertus sum in puella quatuor annorum, quæ quinto post morbi invasionem die ad me deportata fuit, adeò deformis, ut homini vix similis videretur; dimidia nasi & quarta linguæ pars jam absumpta, erat; ac mala sinistra lapidis instar dura magnoque foramine perforata, unde intra quatriduum juxta prognosin meam obiit. Priorem autem puerulum ita curravi:

Rec. Theriac. ℥iiß
Ungent. Ægypt. ℥iß
Gumm. lacc.
🜄 🜔 ✳. ana ℈ii.
cochl. ℥ii.
M. F. Unguent.

quo cum paueulo 🜄 vin. mixto calidè quotidiè lavabatur sexies pars affecta eique imponebantur lintea carpta eodem medicamento imbuta; atque solo hoc remedio non tantum hunc puerulum, sed etiam plures alios feliciter & intra breve tempus se sanasse attestatur Autor modò laudatus. Reliqua hoc in affectu adhuc in Praxi observanda fuse & erudite expedivit *D. Carolus Rayger* Jun. Med. Posoniensis *in Disp. inaug.* de hoc affectu, quam vid. *in Nosoc. Acad. Contin. Num. 3.*

§. 7.

Quòdsi vel ex his, vel aliis causis

CAN-

CANCER LABIORUM

genuinus oriatur, tentandum primò est, an medicamentis cedat malum. Præscripta E. convenienti & balsamica victûs ratione internè præscribantur purgantia, cumprimis melanagoga Antiquis nominata, v. g.

Rec. Extr. Helleb. nigr.
Panchymag. aa. ʒß.
Scamm. 🜂. gr. iv.
F. Pilul. pro i. dosi.

loco quorum & inf. Sennæ, Decoct. sarsapar. recent. & similia conveniant.

Externè præter V. S. Fonticulos & seq. *Vigierii* laudat *Craanius in Praxi Ref. cap.* 122. *p.* 484.

Rec. Succi Solani
o͞o Rosar. aa. ℥iv.
Pulv. ran. ust.
Testar. ♋. aa. ʒiii
Plumbi usti & lot.
Tut. ana. ʒ ß.

agitentur in mortario plumbeo & eô labia inungantur.

Idem probatissimum invenit Unguentum de ranis viridibus, ab *Aquapendente* laudatum?

Quodsi ab his cancer non sanetur, sed excrescat & impensis excruciet, ad amputationem ejus deveniendum, ad quam nonnulli ferramenta candefacta adhibent, ut simul incidant & urant. Ast *Fabricius Aquapendens* instrumentum secans ex moneta argentea, cornu attenuato, aut ligno acuto parat, aqua forti madefacit & illo labra ♋ incidit, imponendo abhinc totum ovum, abjectis corticibus, (quod & dolorem lenit & inflammationem arcet) subactum cum stuppa: reliquum digerentibus, mundantibus, carnem & cicatricem generantibus absolvendo, vid. ejus *Operat. Chir. p.* 220.

§. 8.

§. 8.

SPASMUS CYNICUS ET RISUS SARDONIUS,

an ad morbos labiorum (in quibus magis obſervantur) an verò ad partium vicinarum, genarum & maxillarum affectus referendi ſint? in controverſiam hic non veniet. Sufficiat in ſpaſmo cynico os ad alterutrum tantum, in riſu Sardonio verò ad utrumque latus trahi & torqueri.

SPASMUS CYNICUS ſc. eſt convulſio muſculi lati, πλάτυσμα μυῶδες dicti, ut & muſculi labium deprimentis ſeu deorſum abducentis: quæ aliquando cum oris, labiorum ac faciei, verſus ſuperiora, obliquâ & rigida detorſione, oppoſitâ faciei parte relaxatâ flaccidâ oculique immobilitate præſente, ob muſculos in altero latere paralyſi affectos & eapropter oppoſitos, labium attollentes & ſurſum abducentes, ſeſe ſpaſmodicè conſtringentes, cujus exemplum in Perſona quadam Illuſtri (quam Thermis Carolinis curavit) *D. Joh. Mauritius Hoffmannus* olim vidit & in *Diſq. C. H. Anatomico-Patholog. p.* 348. recenſuit, noſque hic Giſſæ in Serario quodam vidimus. In Cura, præter univerſalia & anti-convulſiva, epileptica interna, extus conveniunt nervina, quæ tamen occipitio potius, quàm maxillis adhibenda eſſe *Sanctorius in methodo vitandorum errorum lib.* 2. *cap.* 14. cavet: niſi fortè à catarrhis maxillas obſidentibus oriatur, ubi cataplaſmata ipſis maxillis adhibita contuliſſe leguntur in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *Obſ.* 49. *in Schol. p.* 138. Solum 🜍 Tereb. 🜄 dilutum intus & extus ſufficere *Dolæus Encyclop. Med. Lib.* 1. *c.* 12. *p.* 195. affirmat; ſin verò *à luxatione mandibulæ* oriatur, alapam inflictam hanc reſtituere in *Medicin. Nov-Antiqua Part. VIII. c.* 4. *§. p.* 315. oſtendimus.

RISUM SARDONIUM à convulſione muſculi quadrati aliorumque cum primo labia moventium (quò & diaphragma ſpectat) ortum, & irritationi ſpaſmodicæ fibrarum à V. & VII.

nervorum pari Willisiano exortarum adscribendum, antispasmodicis, antihypochondriacis & uterimis vulgaribus, acidum itidem infringentibus spirituumque nimium & effrenem motum cohibentibus se feliciter curasse *Petrus Rommelius in Miscell. S.R.I. Acad. N. C. Dec. 2. An. VIII. Obs.* 177. *p.* 450. refert.

§. 9.

Antequam hinc abeamus, paucis adhuc VULNERA & ULCERA GENARUM & MAXILLARUM consideremus, oportet, quorum priora, sc.

VULNERA GENARVM,

præ aliis musculosis partibus inflictis vulneribus nihil peculiare habent, dummodò in curatione illorum omnis eò opera locetur, ne facies cicatrice deformetur; eumque in finem in adducendis labiis vulnerum hìc non tam sutura vera, quàm sicca adhibeatur, ut in Fig. 4. TAB. X. ob oculos posuimus, idque è *Parei Tr. de recent. & cruentis singularum partium vulneribus Cap. XXV.* Hunc in finem telæ mediocris crassitiei seqq. empl. illinatur:

Rec. Pulv. Mastich.
Sang. Dracon.
Thuris.
Farinæ volat.
Tragacanthi cont. s.
Gypsi
Picis
Sarcocoll. aa. ℥ii.
Pic. nigr. ℥iß.
cum s. q. alb. ovor. F. empl.

Inter ULCERA GENARUM frequentissimè occurrit

FISTVLA in MALIS,

quæ ní justo profundiores cuniculos agat, injectionibus ex Elix. propriet. & Essentiâ myrrhæ facilè curatur. Quòdsi verò ad dentem cariosum terminetur, nulla aliâ ratione, quàm perdentis exstirpatio-

pationem curatur, ut ex professo hoc *in Disp. sua Graduali de Fistula genæ ad dentem cariosum terminata* quondam ostendit *D. Wizelius* Junior: quod cum sæpissime hactenus feliciter mihi successisse viderim, hinc scriptum hoc dignum existimavi, quod *Nosocomii* nostri *continuationi Num.* 4. inseratur. Notatu dignum est, fistulas tales durante sævissimo & prorsus insolito frigore hyemali anni 1709. frequentissimas hic Gissæ & vicinis locis occurrisse, prout idem *in Miscellaneis Berolinensibus* jamdum monui.

Sed quid si *caries* jamdum *maxillas* simul occupaverit? Equidem os maxillæ tenuissima lamina obducitur & de cætero foraminulentum est, ita ut facilimè inficiatur, cumprimis ex violentia, post dentes erutos, observante *Hier. Fabr. ab Aquapendente, Operat. Chirurg. p.* 227. *Tit. de menti Chirurgia.* Hoc ergò si fiat, tentandum primo, an medicamentis mitioribus, qualia sunt Pulv. rad. ireos, aristol. peucedani, alöes &c. caries possit tolli. Sin minus fortiora, ⊕, ℴℴ. ♀. & tandem ipsa cauteria adhibenda. Quin si maxilla tota fere sit erosa, fragmenta corrupta volsella extrahenda, applicatis abhinc sarcoticis siccioribus. Elegantem hujus rei

CASUM ET HISTORIAM

habet *D. Johannes Muysius*, Medicus Arnhemiensis, in *Dec. III. Prax. Chirurg. Rat. Obs.* 2. *pap.* 5. quæ ita se habet: Matrona 28. annorum laborabat ulcere maxillæ inferioris exiguò, profundo, dolorifico, ex quo magna puris copia quotidie profluebat, ac caro semper spongiosa in ulcere luxuriabat dentemque ulceri vicinum caries excavaverat, & prætereà in partibus ulceri conterminis durities non exigua digito palpanti se offerebat. Accersitus ad omnes circumstantias attendens certissimè mihi persuasi os maxillæ inferioris cariosum existere, illudque præcipuè mihi liquebat ex carne semper luxuriante, ac majori puris copia, quàm ulceris angustia requirebat, si non fuisset os carie infectum. Quid igitur hic agendum? sc. acidum corrosivum temperari fragmentorumque cariosorum separatio promoveri debebat, ac durities in ulceris viciniâ

emolliri. Ante omnia autem dentem cariosum extrahi jussi, metuens nimirum, ne ille maxillam adhuc magis inficeret; verùm dentis evulsi radix apparebat incorrupta.

Tunc ulceri imposui turundam seq. unguentô oblitam:

Rec. Tereb. ℥ii.
Vit. ovi N. i.
Aloes
Myrrhæ aa. ℥i. M.

Interdum etiam, ad ulcus magis patulum reddendùm, turundæ adspersi pulverem croci metallorum, qui carnem luxuriantem tollebat. Vel imponebam turundam ex radice gentianæ paratam. Turundæ summitati autem plerumque imposui pulverem euphorbii, ut illud copioso suo sale volatili acidum corrosivum temperaret & cariei separationem promoveret. Carni luxurianti & extra ulcus protuberanti, sæpius imponebam ☉. ustum. Ad duritiem in ulceris viciniâ sitam tollendam applicabam empl. stypticum Paracelsi: durities hoc pacto sublata & postquam per trimestre spatium hujus ulceris medelæ industriè incubuissem, tria fragmenta albicantia prodierunt: quo tempore & pus magis sanguinolentum apparebat. Postquam autem ultimum fragmentorum ex ulcere prodierat, puris copia minuebatur, ac caro fungosa ☉. usto sublata non renascebatur amplius, sed ulcus intra quatriduum evanuit. Hactenus *Muysius.*

§. 10.

Deductis & diductis jam labiis & maxillis, in edentulis primo omnium se offerunt Gingivæ, in quibus præter tumores illic observandos quam maxime duo illa Methodicorum principia, laxus sc. & strictus peccare solent: hic sc. in nimia illarum densitate: ille in nimia mollitie & flacciditate.

Inter tumores autem gingivarum

EPULIS ET PARULIS

eminent, e quibus hæc, sc. Parulis, est tumor inflammatorius circa dentium

dentium radices, à ſanguine plus minus acri & ſcorbutico proveniens, unde ſæpius in cancrum degenerat, teſte *Hildano Cent.* 3. *Obſ.* 30. Illa, ſc. Epulis, eſt tuberculum gingivarum, præcipuè juxta molares dentes, juncta ſæpius cum febre, ab humoribus circulantibus, aut ſero nutritivo illic interceptis notus. In Cura hoc peculiare habent, quod non expectatâ prius ſuppuratione (ut in aliis tumoribus fieri ſolet) ſtatim lanceola aut aliô inſtrumento aperiri poſſint ac debeant: ſic enim humore acri & corroſivo effluente ſubitò ſanantur, nec in fiſtulam genarum abeunt, docente *D. Francô à Franckenau* Jun. *in Diſp. inaug. de epulide*, quæ vid. *in Contin. Noſoc. Acad. Num.* 5.

§. II.

A nimiâ Gingivarum laxitate, mollitie & flacciditate potiſſimùm profluit

CRVENTATIO GINGIVARUM,

Tinctura Laccæ Mynſ. c. Tinct. ligni ſancti, aut elect. vel linimento è nuce moſchata, alumine & melle, gingivis applicandis, facile ſopienda. Quòdſi verò ſcorbuti ſpecies, quæ

STOMACACE

dicitur, juncta ſit & gingiva ſimul exedatur ac conſumatur, præter evacuantia è magneſia alba, fol. ſennæ, flor. acac. & ſimilibus, conveniunt appropriata antiſcorbutica, tam interna, quàm externa. Illis in ſimili caſu *Dn. Muyſius Dec.* 2. *Obſ.* 10. *Prax. Chir. Rat.* dedit:

Rec. ⁓ Cochlear. ℥ß.
⊖ *. cum ⊖♀ deſtill. ℥ii.
°/o. ♀. per del.
Tinct. verm. Majal. aa. ℥i. M.

de quo ter quotidie gutt. 16. ex Decocto ſummit. abietis ſumantur.

Externè autem ſeq. cum euphoriâ applicavit:

Rec. Tinct. gummi Laccæ ℥i.
Spir. cochl. ʒiii.
℞. per deliq. gutt. 13. M.

quô indies quater tangatur & lavetur gingiva. Notam meretur Stomacace à vacca, ſimili malo correptâ, per contagium hauſta, cujus meminêre *Miſcellanea Acad. Germanorum curioſa Dec. 2. Anno VII. Obſ. 193. p. 364.* Morbum hunc *D. Jacobus Wolffius* Decocto quodam curaverat, quòd tamen ibidem non communicavit. Quapropter ejus loco aut decocto lignorum, aut & decocto allii, thuris & tædæ, cum ſuccis herbarum antiſcorbuticarum, cumprimis ſedi minoris & ſpiritu cochleariæ à *Drabizio Tr. vom ſchmertzmachenden Scharbock Tit. VI. pag.* 227. commendato uti poterimus.

Interim in remediis hiſce adhibendis non cunctandum, ne malum eundo ſerpens totum palatum occupet, cujus triſte aliquot ante annos exemplum hîc vidimus in Studioſo quodam Theologiæ & Philoſ. Magiſtro, è Ducatu Würtenbergicô huc ſtudiorum ergò miſſo, qui neſcio an propriâ, an aliorum culpâ, malum hocce parvipendens, ſecuritatem illam morte tandem luere cogebatur, ſerò nimis in conſilium advocato Celeberrimô *DN. Roſino Lentilio.* Archiatro Würtenbergico, qui datâ ad *Dn. D. Verdrieſium* Epiſtolâ ſeqq. commendabat:

D. ROSINII LENTILII CONSILIUM contra SCORBUTUM AD *D. S. M. V.*

JAm tibi devinctus eram, ob varia à Filio meo laudata benevolentiæ, ipſi à te exhibitæ, luculenta ſigna, nunc longè devinctior ob littera-

litterarium, quo me dignaris, commercium, ob amicitiam, quam ſine dubio Viri me longè Celebriores omni ſolicitudine ſibimet expetendam conſuerunt, mihi tale nil merito ſponte oblatam, devinctiſſimus. Amicum certe Tibi ſincerum petis, modò videris ne amicitiâ tua indignum!

Miſcellanea mea, levidenſe opus, mihi Fautorem non unum pepererunt, Viros nempe, qui ex favoris quodam pleonaſmo ſe plus ibi vidiſſe & reperiſſe putant, quam ipſemet Auctor in illis invenire valeo, ſive, quod parum ſim oculatus, ſive quod illis revera momentoſi parum inſit. Quodſi Eteodromum, ad finem properantem, idem fatum expectabit, ego meæque proles litterariæ, fortunam nanciſcimur magis quam meremur. Quicquid ſit, gratiam Tibi, Vir celeberrime, pro tanta animi in me propenſione habeo, minimum eò laboraturus, ut eam licet in non dignum, tamen non in planè indignum collocaſſe videaris. Nunc ad affectum *Dn. M. Mülleri*.

Actor hujus tragœdiæ non alius videtur quàm ſcorbutus, qui ſcenam ſuam nusquam manifeſtius ludere ſolet, quam in glandulis buccarum & maxillarum ſalivalibus, & in gingivis. Senſus ille doloris eſt omninò ſpasmodicus, & licet dens extractus non fuit carioſus, attamen parulis aliquando præſens cariei maxillæ ſuſpicionem facit eò majorem, quod medicamenta hactenus uſurpata parum juvaminis attulerunt. Fortaſſe Dn. Æger jam antea pluries laboravit odontalgia, jam habuit gingivas ſanguinolentas, cumprimis panem maſticans, jam halitum fœtentem, ſtomacaces teſtem vel comitem. Evelluntur nonnunquam dentium innocentiſſimi, vicinis aliis tamen carioſis. Maxillæ carie licet nondum præſente, quod tamen ſuſpicor, cura nihilominus ad hæmocatharſin porrò, me judice, dirigenda, nec de convaleſcentia ſtatim, deſperandum, quum hi affectus ſint chronici. Spaſmum enim, qui hic primario reſpiciunt, ſymptoma, non morbum, reipſa curant. Acrimonia M. S. tollenda, quæ non tam eſſe videtur acida

quàm,

quam salsa muriatica. Præmissis, nisi hoc admodum nuper factum, universalibus, exhiberem manè & pomeridie ℥viii. Decocti:

Rec. Ras. ebor. ℥i.
Rad. Chin. ponderos. ℥ß.
liquir.
Santal. citrin. aa. ʒiii.
Sem. anisi stellati
concis. & cont. coq. in decoct. hordei insulsi ℥ 84. i. e. Mens. iß. Würtemb.
ad reman. Mens. j. Col. D. Horâ 10. antemerid.
& noctu ante somnum darem ℈ii. Pulv. c. potu ordin.

Rec. Magnes. alb. ℥ß. (quâ potentius alcali nondum vidi.)
Diaphoret. ♁al.
♃al.
Ras. ebor. subtiliss. pulveris.
Lign. sassafr. aa. ʒii.
Balsamosacch. Peruv. ℥i. M.

Potus ordinarius talis sit:

Rec. Rad. Chin. optim. concis. ℥iß.
Sem. anisi
CC. usti aa. ℥ß.
coq. in Mens. iiß Würtemb. 🜄. font. ad consumt. Mens. ß.
sub finem addendo: Cinamom. confract. ℥ß.
passular. min. ℥ii.
cortic. citri rec. extim. d. pom. j.
Col. D.

Quoad Externa, pars affecta ter in die oblinatur Tinctura ex opio, asa fœtid. & castor. cum 🜋. facta, imposito postea cataplasmate calidissimo, fascia commodè efficta omnia firmando.

Rec.

Rec. Rad. imperat.
alth.
Bacc. lauri
junip. aa. ℥vi.
Herb. ſcord.
trifol. fibr.
Flor. chamon.
verbaſc.
ſamb. aa. M. ii.

Conciſ. & contuſ. coq. in s. q. ▽. font. ad lib. V. Colat. fortiter expreſſa detur. Retineat ſemper cataplaſma per bihorium, & , ſi poſſibile, ſimul decumbat, ut cò diutius calor ſervetur. Cataplaſmate remoto tamen facies non relinquatur nuda, ſed muniatur locus affectus, v. g. empl. reg. *Burrhi.* In genere enim frigus externum angue pejus fugiatur. Collutio oris calida frequenter fiat:

Rec. Fol. malv.
plantag.
naſturt. aa Mi.
Caric. pingu. Miij.
Coq. in ſ. q. Decoct. hord. ad lib. iß.
Colat. diſſolv. Mell. roſac.
▽. rectif. aa. ℥ii. M.

Poſt quamlibet collutionem gingiva oblinatur ℞ gumm. lacc. m. deſcript. in *Miſcellan. meor. Part. III.* tincturâ myrrhæ acuata. Si maxillæ caries adeſt, quod penè firmiter credo, curæ locus non eſt, niſi oſſe denudato partes carioſæ removeantur. Certe enim epulis illa, prægreſſa cumprimis parulide, quid monſtri alit. Si vel tantillum adhuc puris exprimi poteſt, & anhelitus ſimul fœtet, de carie dubium ſupereſt nullum. Interim non alimenta tantum, verum & medicamenta tantillum acoris in ſe continentia, cautè arceantur. Cibi parciſſimè ſaliantur. Vinum non bibatur. Fonticulus brachio lateris affecti mature inuratur.

Tantum pro temporis penuria, qua semper laboro. Noctuas me Athenas portare scio, nec tamen vestro desiderio deesse volui. Det Deus, ut vel hoc, vel alia magis congrua consilia, in Dn. Patientis commodum, faustissimis beentur effectibus. Me filiumque meum exoptato favori Tuo quam commendatissimos esse velim. Sic vale, in decus & ornamentum Reip. Medicæ, quam optimè ac constantissimè remque tuam ex sententia gere. Scribo *Stuttgardiæ* in museo, *die 6. Martii* 1711.

Nobiliss. T. Exc.

Cultor Sincerus

Rosinus Lentilius, mpp.

§. 12.

A strictura, densitate, aut

CALLOSITATE GINGIVARUM,

tam in pueris, quàm adultis sæpe oritur dentitio difficilis & ex hac convulsiones. Quod si igitur emollientia consueta nihil conferant, ad sectionem deveniendum, quam primùm ad eruptionem ultimorum dentium molarium, tam genuinorum, quam dentium sapientiæ, tanquam præsentaneum remedium, adhibuit *Andreas Vesalius Lib.* 1. *de humani corp. fabricæ cap.* 11. ad infantes verò postmodum extendit *Paræus Lib.* 6. *cap.* 27. qui filios suos hac methodo ab extremis periculis liberavit, teste *Marco Aurelio Severini, Chirurgiæ efficacis Part.* 11. *enarrat. de sect. cap.* 1. *p.* 84.

§. 13.

Ipsos jam Dentes quod concernit, eorum primum

ASPERITAS & NIGREDO,

à tartaro adhærente nata, removenda erit, ad quod Circumforanei & rerum Physico-Medicarum ignari communiter ♈ & ⌒ ⊕. adhibent, quod summopere taxandum, quum frigus & acidum sit dentibus inimicum: quod præter *Hippocratum* ipsa Scriptura

S. te-

S. testatur, dum *Proverb. cap.* 10. §. 26. quod acetum dentibus, ait, quod fumus oculis, hoc piger est iis, qui eundem emittunt. Quamvis ergo ℴ℘ ⊕. chartæ masticatæ (ut communiter solent) permixtum dentium nigredinem statim & è vestigio tollat, attamen eosdem simul ad cariem & putredinem disponit, ita ut plures viderim, qui ea de causâ ante senium edentuli fuerunt redditi. Rationem dat *Muysius l. c. Dec.* 4. *Obs.* 1. quod acida ejusmodi corrosiva sal volatile, magna copia naturaliter in dentibus contentum, invertant & corrumpant; unde iis, qui dentium nitore delectantur, suadet, ut semper post pastum os suum aqua pura eluant semelque in septimanâ dentes pulvere terræ porcellanæ (cujus loco & alii pulveres dentifricii, c. vel sine moscho, in plerisque officinis prostantes, vel & soli Tabaci cineres, crusta panis combusta, corallia rub. pulverisata, pumex candef. & sæpius exstinctus &c. sumi possunt) fricentur. Ubi rursus duo monenda existimo, 1. ne aqua nimis frigida sumatur, quæ odontalgiam infert. 2. ne pulveres illi dentifricii justo sæpius adhibiti extimam dentium lamellam absumant, sicque hi rursus ad cariem & corruptionem disponantur. Hinc Rustici, nullam fere dentium curam habentes, non tam cito fiunt edentuli; è contra qui in iis poliendis nimis curiosi sunt justoque plura artificia adhibent (die zu sehr daran künstlen) vix ætatem consistentem attingentes illorum jacturam ferunt.

§. 14.

Quodsi verò ex abusu acidorum, Catarrhis, aut aliis causis dentium dolor, quem nonnulli

ODONTAGRAM

imò Podagram dentium, alii rectius ODONTALGIAM vocant, successerit, præter interna novum quoddam cauterii genus, quô anti tragum in aure leniter tangit & cutim, una cum subjacentibus nervulis, à secundo pari vertebrali oriundis, adurit, D. *Nuckius in Experim. Chirurg. xviii. p.* 60. summoperè commendat, quam operationem, nescio quâ de causa, pro ridicula & inutili habet *Muy-*

sius Prax. Chir. Rat. Dec.4. Obs.9. pag.30. Instrumentum illud (quod è Belgio meum tuli) depingitur in Fig. 5. TAB. V. ubi

A.	Vagina est è cupro vel orichalco facta, quæ impedimento est, ne latera auris viciniora lædantur
B.	est ansa ejus
C.	Cauterii manubrium
D.	Cauterii extremitas ad lineæ dimidiæ Mathematicæ latitudinem caput exserens, ne intimius, quàm decet, cauterium penetret.

Antequam verò ad hanc operationem perveniamus, tentandum prius, an dolor balsamicis &anodynis leniri & sopiri valeat: ubi seq. feliciter sæpius adhibui:

Rec. Extract. ligni sancti
opii aa g.I.
c.s.q. Tinct. opii F. pil. ii.
Inserantur denti cavo
Rec. Tinct. ligni sancti ℨii.
Essent. opii c. ♈. ʒiß. M.
calefact. in cochl. argent. appl. dentibus.

Vulgus emplastra ex masticho aut Tacamahaca temporibus adhibet, quæ non tam catarrhos (ut loquuntur) suspendunt & detinent, quam nervos & ~ demulcent.

Si certi simus DENTEM CARIOSUM esse, evulsio ejus & extractio suadenda, quam eleganter, pro more suo, expedivit sæpius hactenus laudatus *Nuckius Exp. Chir. xix. p.* 61. Ut ergo feliciter succedat hæc operatio, Chirurgus exactam eorum & alveolorum cognitionem habere debet, cum magna utrobique differentia observetur. Dentium enim minimi, incisores dicti, unicâ tantum radice gaudent: longissimi, oculares sc. canini & crassissimi molares duas, tres vel quatuor radices totidemque alveolos

veolos possident, ut in Fig. 4. TAB. III. videre licet. Gaudent quoque dentes vasis, sanguineis æque ac nerveis, in cavitates G. & B. Fig. 4. TAB. III. se insinuantibus: Sanguinea quidem arteriosa à carotide: Venosa à jugulari: Nervosa à nervis oculorum motatoriis & gustatoriis accipiunt, quorum intuitu sensu tam exacto donantur. Minora tamen vascula incisoribus (unde hi non tam facile hæmodiâ laborant) numerosiora majoribus (in quibus unaquævis radix ramum suum accipit) majora caninis, maxima tandem ocularibus destinantur.

Facile hinc judicare licet, cur quidam dentes facilius, quidam verò difficilius & majori cum periculo extrahantur?

Quin & instrumenta horum intuitu varianda sunt, quæ ferè seqq. sunt:

1. Pes caprinus.
2. Rostrum corvinum
3. Forcipes dentariæ variæ.
4. Pelicanus vulg. & curvus.
5. Dentiscalpia
6. Trulla.

quorum delineationem vide, sis, apud *Paræum Lib. xvi. cap. xxvii. pag. n. 360. Scultet.* in *Arm. Chir. Tab. x.* & *Solingium Tab. III. Fig. 2.*

Ut itaque extractio feliciter succedat, gingiva ab ipso dente per instrumentum separatorium removeatur, ne laceretur. Abhinc pede caprino dens (si incisorius fuerit) ex alveolo evellatur. Ad ocularem forceps dentaria, aut pelicanus requiritur. Dentes molares anteriores pelicano cum brachiis rectis, posteriores verò pelicano cum brachiis curvis felicius evelluntur. Tandem ad frusta & radices remanentes extrahenda rostrum corvinum magis aptum est. Cave autem ne operationem hanc in Gravidis sine summa necessitate adhibeas, cumprimis in dentibus ocularibus, quum fœtus inde jacturam aut vitium oculorum capere possit. 2. quoque cave, ne, si dentes cum maxillâ concreti sint, violentiam nimiam ad-

 hibendo

hibendo maxillæ frustum simul auferas, quod in Principe Juventutis Oettingensi aliquando factum novi, conf. *Misc. Germ. Curios. Dec. III. A. 6. & 7. Obs. 270.* Post operationem ad compescendam hæmorrhagiam styptica alveolo immittantur, v. g. linteum carptum vel solum, vel succo citri imbutum, bovistæ aut lintei combusti tantillum, vel & terra ⊕. dulc. His si non sistatur, cauterium adhibendum.

§. 15.

Interim non tam facile aut sine necessitate ad evulsionem dentium, cumprimis in Magnatibus & Matronis delicatioribus, deveniendum, sed in

MOBILITATE DENTIUM

gingivæ laxiores blandioribus adstringentibus & antiscorbuticis roborandæ, sicque dentes firmandi & in sua sede conservandi sunt: id quod ordinariè post absolutam salivationem per ℞. Laccæ Mynſ. & aluminosa fieri solet. *Ettmüllerus* simile remedium habet & ex eô *Nuckius* c. l. quod

Rec. Rad. bistort. ℥ß.
Flor. balaustior.
ros. rubr. aa. ℥ii.
O. usti ℈iiß. M.
& extr. cum Spir. cochl.

Vel

Rec. Herb. Salv. exsicc.
Scordii sicc. aa. p. j.
Myrrh. rubr. ʒi.
O. usti gr. vi.
Coq. leniter in vino rubr. ℥iii.
Col. Rec. ℥ii. add. mell. ros. ʒiii.
🜍. camph. ʒiiß.
cochlear. ʒi. M. F. Collut.

Vel

Vel

Rec. Fol. rorismarin.
salv. ana p. ii.
Flor. rof. rubr. p. i.
Myrrh. ℥i.
N. M. ℥ß.
Caryoph. ℈i.
Coq. in vin. & aq. chal. aa. ℥iii.

Col. Rec. ℥iv. add.
Mellis anthos. ℥ß. M.

Vel

Rec. Nuc. mosch. N. i.
pulv. adde O. usti ℈i.
c. s. q. mell. ros. aut commun.
F. Linim.
gingivis affricandum.

Quodsi his non obstantibus elapsus aut

CASUS DENTIUM

superveniat, in eorum locum, non secus ac post evulsionem, ad evitandam deformitatem & loquelæ adjutorium DENTES ARTIFICIALES ex ebore, vel rectius, è dentibus Hippopotami parati, sanis & integris filis aureis, argenteis, aut & sericeis alligandi substitui possunt, quorum effigiem habet *Paræus lib. de supplemento deficientium, cap. 3.*

§. 16.

Tandem & SITUS DENTIUM VITIOSUS, quo extra seriem suam prominentes oblique versus interiora, aut versus exteriora, ad instar dentium aprorum (à quibus & aprini, vulgò die Watz-Zähne) dicuntur, declinant & nascuntur. Quemadmodum a. in priori casu palatum & linguam lædunt, ita in posteriori insignem deformitatem (non sine labiorum offensione aut protrusione) adferunt. Hæc incommoda ut evitentur, in prominentia minori

minori lima est adhibenda, non tamen eo usque continuanda, donec ad dentis cavitatem pertingat, siquidem odontalgia sic immanis sequeretur. In prominentia majori forceps incisoria requiritur, cujus applicationem è *Scalteto* vid. in *Tab. III. Fig.* 3.

§. 17.

Inter varios LINGUÆ AFFECTUS, qui aut Balbos, aut Blæsos, aut μογιλάλυς, aut plane aphonos & mutos reddunt homines, agmen ducit

LINGUA JUSTO MAJOR,

cujus exemplum refertur in *Miscell. Acad. Germ. Dec.* 2. *A.* 2. *Obs.* 51. *p.* 84. de infante A. 1682. Holmiæ in Suecia, cui lingua ex ore instar canis venatici propendebat. Pariter Leidæ puella quædam linguam manus magnitudine amplam grossamque habuit, ut vix ore contineretur, ut ex *Walæi* relatione *Thom. Bartholinus Cent.* 2. *hist.* 22. habet. Utrobique portiones superfluas abscindendo linguam legitimè formarunt & feliciter curarunt Medici & Chirurgi. Interim hæc operatio tunc saltem instituatur, quando malum est connatum & aliter curari nequit. Quando verò ab inflammatione, ptyalismo, ictibus vesparum, apum & similibus oritur, medicamentis potius & cumprimis gargarismis ex decoct. vel infus. florum malvæ arboresc. fol. salv. &c. cura est instituenda; & cum alia topica ob perpetuam linguæ humiditatem facile diffluant, hinc suffimigiis per speciale vaporarium, à se inventum, ori immittendis hic utitur *Severinus lib. de Pyrotechn. Chirurg. Cap.* 33.

Post abscissionem vulnus, ut alia

LINGUÆ VULNERA,

est curandum, quorum legitimam tractationem docet modò laudatus Autor *lib. de Efficaci Medicina* quando *Cap. cxxv.* de sutura hic adhibenda sic loquitur: Lingua diffissa in longum aut latum facilè suturà restituitur, modò fissa pars suo corpori adhuc viventi hæreat. Ergò corpus linguæ linteo molli & mundo, ne lubricitate

bricitate suâ elabatur, Minister sedulus arctè tenebit: Interim Chirurgus infernè superneque adactis acubus consuet. Ubi quantum satis est fuisse visumfuerit, filum proximè nodum exsecabit, ne si longius sit, in dentium interstitiis sub masticatione implicetur, conf. *Paræus lib.9. cap.* 27. qui Chirurgiam hanc ipsemet exercuit, post operationem ægrum hordeatis, amygdalatus ovorumque vitellis nutrivit, in ore verò saccharum rosatum & syrupum cydon. versari jussit.

§. 18.

An verò LINGUA penitus ABSCISSA renasci possit? haud in vanum quæritur. Affirmat & singulari exemplo, à se ipso viso confirmat *Greg. Horstius lib.* 3. *Cons. & Epist. Sect.* 1. Negat econtra & nullo modo linguam regenerari posse contendit *Jacob Rolandus de Bellebad*, Chirurgus Salmuriensis, in *Aglossostomachia*, adeoque *B. Horstium* hanc ob causam acriter perstrinxit: quem ipsum tamen mascule defendit *D. Carolus Raygerus*, Medicus Posoniensis, qui dictum modò tractatum Rolandi è Gallica in Latinam transtulit & additis annotationibus *Appendici Miscell. Acad. Leopold. Dec. I. Ann. III.* inseruit. Cui illustris *Dn. Lucas Schroeckius in Schol. Obs. Li. Dec.* 2. *A.* 2. calculum eò facilius addebat, quod *Thiermairius in Consil. Med. Lib.* 2. *cap* 13. similiter linguam, innocenti abscissam, renatam memoret.

Aliàs instrumentum curiosum, quo illi, qui ob amputatam insignem portionem fari nequeunt, ad verba articulate proferenda uti possunt, in fig. ligno incisa oculis subjicit *Paræus lib. de deficientium supplemento cap. V.* Casus huic, ut multis aliis, locum in arte & autoritatem dedit. Postquam enim alicui in castris insignis linguæ portio resecta fuerat, ex quo per totum triennium infans remanserat: contigit aliquando, ut, dum in agris cum falcariis ex scutella ligneâ biberet & ab aliquo titillaretur, hoc minus ferens subito in voces articulatas erumperet. Id miratus ipse eandem scutellam, eodem, quo ante sita modô, in os indidit, planeque &

tum articulatè loquebatur, ut ab omnibus intelligi potuerit. Itaque diu posteà in sinu semper habuit scutellam ad animi sensa eo mediante proferenda: ad cujus imitationem simili in eodem casu usus est *Paræus l.c.*

Absque lingua quosdam locutos esse rarum & portento simile est, vid. *Miscell. Cur. Dec. I. Anno* 1. *p.* 119. 103. *& Ann. III. pag.* 562. *seqq.*

§. 19.

Cæterum & tumoribus variis hoc viscus est subjectum, quos inter BATRACHIUM, seu

RANULA SUB LINGUA

præ aliis eminet, ita dicta, vel quod posteriora ranarum quodammodò referat, vel quod ægri quandoque nonnisi coaxando loqui possint. Sub abscessum genere ponit *Celsus lib.* 7. Oritur à chyli lymphæque portionibus fixioribus ibi interceptis, quas in Curatione, præmissis universalibus, primum discutientibus & apophlegmatisantibus, sub forma decoct. & gargarism. in ore & sub forma cataplasm. sub mento adhibendis, curare sustinet *Vigierius, in Tr. de tumoribus l.* 1. *cap.* 9. Quodsi his non cedant, per decoct. ex ficubus, passulis, fol. malv. &c. suppurationem promovet & post apertionem melle rosato cætera absolvit. Sæpe tamen irrita sunt hæc omnia, cumprimis si folliculo proprio contineatur, instar Meliceridis; unde statim ad sectionem deveniendum, quam *Celsus l. c.* vel una vice l. pluribus instituit & folliculum abhinc extrahere jubet. Quùm verò locus sub lingua ad extrahendum sit incommodus, hinc *Hier. Fabr. ab Aquapendente p.* 224. *Oper. Chir.* dimisso folliculo unam tantùm sectionem instituit per summum tumorem eamque longissimam, per quam effluente materia & ipse folliculus tandem putrefactus exivit: quo facto reliquam curam detergentibus, vino sc. alb. cum melle rosaceo, aut diamoro absolvit. Si denique cancrosus tumor adsit, remedia convenientia vid. *in Hildano Obs. Chir.* 84. *pag.* 263.

De

De frænuli sub linguâ nimis protensâ, in ANCHYLOSI, egimus in Prima Praxeos nostræ Parte, statim in principio.

Quâ ratione vero SORDES & NIGRITIES e lingua sit abstergenda, vel lippis & tonsoribus haud ignotum est.

§. 20.

In cavitatem oris profundius inspicientibus uvula se offert, in quâ præter varios tumores cumprimis

UVULÆ DESCENSUS ET PROLAPSUS,

ab humore crasso & pituitoso in ejus tubulis stagnante, quò fieri solet, ut epiglottidem titillando non solùm tussim moveat, sed & hanc nimis deprimendo suffocationis periculum minitetur.

Curatur incidentibus, viscidum attenuantibus & resolventibus, interdum & adstringentibus ac obstructiones reserantibus, qualia sunt aromatica, Osa & ⊖na, cochleari manubrio fistuloso & exiguo folli donato eidem aspergenda, cujus delineationem vide apud *Hildan. Cent. 2. Obs. XX.*

Nuckius in Exper. Chir. 21. laudat ∼ vini gargarisando adhibitum, vel & ∼ ⊖ sal. ammon. linteis carptis admotum, tanquam præsentaneum remedium.

Alii capillorum verticalium retractionem suadent, quatenus sub hoc motu major spirituum copia uvulam irradians obstructiones ejus tollit, ad quod & ovum ad duritiem coctum & dissectum vertici calidè applicatum conferre dicitur. Singulare vero & prorsus admirandum est remedii genus, cujus *D. Stephanus Blancardus in Collectaneis Physico-Medicis* mentionem facit, quo vir quidam uvulam relaxatam ita restituit, ut arreptis duobus digitis prioribus manus dextræ & alterâ manu, quinque digitos supra pollicem, brachium fricet, donec uvula in situm suum retrahatur: quod idem *D. Hannemannus,* Prof. Chiloniensis, de Conjuge suâ asserit, quæ toties, quoties vel ipse, vel domestici procidentia uvula laborant, una manu ægri manum apprehendit, alterâ fricat brachium, duos digitos supra pollices: ubi tempore procidentiæ exiguos no-

dulos ſub cute percipi & tangi aſſerit, quos depictos vide in Fig. 2. TAB. IV. In eo autem curatio hæc differt à priori, quod illic unum ſaltem brachium, hîc utrumque fricetur: qua methodo plures ab hoc vitio liberati dicuntur *in Miſcellan. Acad. Cur. Dec.* 2. *Anno* 2. *Obſ. LVI. p.* 93.

Quòd ſi verò dictis remediis non obtemperet, ſed relaxata manens loquelæ & deglutitioni incommodet, vel & ulcere ♀reo aut gangræna correpta ſit, uvula prorſus exſtirpanda eſt, idque vel ope volſellæ & forficis, juxta enchireſin *H. F. ab Aquapendente Tr. de op. Chir. p.* 225. vel, ſi æger ob ſubſequam hæmorrhagiam hanc operationem recuſet, per inſtrumentum annulare *Hildani Obſ.* 46. *a Sculteto* ſimiliter *in Armament. Tab.* VIII. *Fig.* 7. ob oculos poſitum: vel & minori apparatu, per inſtrumentum pro uvula abſcindenda à Ruſtico quodam Norvvego inventum & à *Thoma Bartholino Cent.* 2. *Obſerv. Anat. Hiſt.* 88. delineatum.

Reſectâ autem uvula ⊕ Cyprio, aut cauterio actuali hæmorrhagia ſiſtenda & tandem gargariſmis convenientibus, vel melle roſaceo curatio abſolvenda erit. Vid. *Nuckius c. l.*

Eadem ratione CARNEAM EXCRESCENTIAM prope UVULAM exſectam eſſe teſtantur *Miſc. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *Obſ. XV. p.* 35.

§. 21.

In confiniis uvulæ ſitæ ſunt Tonſillæ, quarum ſtatum naturalem æquè ac præternaturalem aliquot abhinc annis eleganter deſcripſit *D. Joh. Guilielmus Widmannus, in Diſp. inaug. de Tonſillis* Altdorffi habita. In poſteriori ſtatu frequentiſſime in Praxi ſe trudit

TONSILLARUM INFLAMMATIO,

vvann die Mandeln (ut loquuntur) geſchvvollen ſind, quem affectum aliquando ſic increſcere dicit *Paræus lib.* 7. *Op. c.* 6. ut via reſpirationi præcluſa ſtranguletur æger; quamvis ipſe dubitet an ſolæ tunc tonſillæ, an verò & vicinæ partes ſint inflammatæ: quô caſu

Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.



ea ſu angina potius quàm tonſillarum inflammatio adeſſet, cum à potiori denominatio ſit ſumenda.

Oritur inflammatio hæc vel ab illapſis externis, vel à frigore, abuſu ☿rialium, lue ♀nereâ, ſuppreſſione menſium, rheumatiſmo, peſte &c. pro quarum cauſarum diverſitate ipſa quoque prognoſis & cura varianda eſt.

Quodſi igitur ab illapſis, aut intruſis, ſpinis v.g. & nucleis in tonſillis hærentibus oriatur, hæc ſtatim ſunt extrahenda, per volſellam Græcis ἀκανθάβολον dictam, cujus iconem vid. apud *Sculte-tum TAB. IV. Fig.*1.

Sin ab obſtructione menſium & plethora, V. S. & ſcarificatio erit ſacra anchora, vid. *Severin. Chir. Effic. Part.* 2. *Cap.* 7.

Sin à rheumatiſmo & morbis acutis malignis, bezoardicis & diaphoreticis opus habemus.

Externè *Camerarius Cent. XIV. Memorabil. Obſ.*51. *p.* 1169. *ex Rondeletio* laudat frictionem in carpo, illi ferè ſimilem, quàm in præcedentibus in uvulæ prolongatione deſcripſimus. Noſtri, inquit, Ruſtici tonſillarum inflammationes furoulx vocant eaſque curant frictione in carpo, exiſtimantes tumores quoſdam factos & apertos frictione illa dura in carpo prædictum affectum tollere: id quod per diverſionem, D. Hannemannus autem per neſcio quam ſympathiam & conſenſum tonſillarum cum carpo explicat, *Miſcell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann. X. Obſ.* 127. *p.*256.

Certiora ſunt topica, ipſi parti affectæ applicanda, cumprimis gargariſmata, in principio leviter adſtringentia & demulcentia, in progreſſu verò diſcutientia. Leviorem ſanè & ſine febre invadentem inflammationem harum partium vel unico gargariſmô ſubadſtringente & mucilaginoſo curatam teſtatur *Foreſtus Lib. XV. Obſ.*7. *& Martinus Rulandus Curat. Empir. Lib.* 1. *p.*89. Sic laudatus ſæpe *Muyſius Prax. Chir. rar. Dec. V. Obſ.* 9. Juvenem refert per gargariſma ex

▽. Flor. Sambuc.
Spirit. Vini


Salis ammonia c. Sale Tart. compoſitum, brevî ſanatum. Tentari etiam poterit, an ad *Rulandi* imitationem fumo ſuccini, per infundibulum aut inſtrumentum in præcedentibus deſcriptum ori immiſſo, malum cedat.

His non ſufficientibus in malo graviori ad diſcutientia & reſolventia, quibus ad tonum partium affectarum roborandum ſubadſtringentia & nervina ſunt addenda, pergendũ. Talia ſunt: Rad. tormentill. biſtortæ. Herb. plantag. ſalv. veronic. Flor. malv. arbor. ſamb. roſ. rub. balauſt. Nuc. cupreſſ. Sem. anis. fœnic. ex quibus in ▽. decoct. & cum rob. diamoron, aut melle roſ. edulcor. F. Gargariſmata. Remanentia collo ſub formâ cataplaſmatis circumvolvi poterit, cujus loco tamen alii emplaſtr. diaph. Mynſ. de melilot. & ſimilia ſubſtituunt.

Si neque his cedat tumor, ſed ad ſuppurationem vergat, ad emollientia & maturantia procedendum erit, qualia ſunt Rad. lil. alb. irid. Herb. emoll. Flor. malv. arb. cham. caricæ, paſſulæ &c. è quibus in lacte decoctis F. gargariſma aut inject. addendo crocum, ſaccharum, aut mel, ſive ſimplex, ſive roſaceum.

Facto jam abſceſſu, rumpatur, oportet, nî ſponte ſua aperiatur. Rumpitur autem vel aliis gargariſmatibus, ex herbis aromaticis in mulſa decoctis, cum ſucco allii & cep. vel duriuſculis tangendo & allidendo ad locum affectum: vel irritis his omnibus lanceola, cujus pars poſterior linteo involvitur & nudus ſaltem apex in abſceſſum intruditur. Cùm verò plures à ferro abhorreant, hinc noſtris temporibus, fallendo piè & officioſè ægros, Lancetta occultata eſt inventa, quàm ex communicatione *Dn. D. Heiſteri*, Prof. Anat. Altorphini, deſcripſit & in figuris æneis ob oculos poſuit ſupra laudatus *Widmannns*, vid. TAB. V. ubi *Fig.* 1. exprimit integram machinulam, forma ſpathulæ (cujus officio etiam defungi poteſt in linguæ depreſſione) intra cujus cavitatem recondita eſt lanceola, quàm exertam, quousque licet & par eſt, conſpicere licet

Lit.








Fig. 3.





Lit. D. cùm de cætero ipsius sibi relictæ apex nihil emineat, nisi admoto fibulæ F. digito extendatur, qui cum Lanceola inferius est connexus elater & sic protrudatur ipsa, mox tamen remoto digito in thecam suam sponte se recipiens. *Fig.* II. sistit thecam apertam, ut lanceolæ DD. situs & cum elatere fili ferrei GG. nexus mediante clav. H. I. factus, ad oculum pateat. Figura III. est lamina alteram thecæ partem constituens, cum apposito annulo K. vicem manubrii gerente. Reliqua ex ipsa applicatione instrumenti elucescunt, quæ ita fieri debet, ut medio digito incurvato in annulum B. Fig. I. misso, superius vero pollice & indice ad fibulam F. cum minori lamella EE. mobilem, admotis teneatur & sub specie alicujus spatulæ per os ad fauces ita dirigatur, quo mediante pollice extrusa lancettæ cuspis abscessum tonsillæ congruo in loco pertundere queat. Hoc postquam dicto citius peractum est, statim retrahitur ex ore instrumentum & patiens jubetur, ut caput mox versus anteriora inclinet & erumpentem materiam prono capite exspuat, ne pus in arteriam asperam illabatur: ulcus abhinc more solito tractando.

§. 22.

Sin præter omnem expectationem tumor neque resolvi, neque suppurari possit, sed in

SCIRRHUM TONSILLARUM

abeat, medicamentis irritis Autores Antiquissimi, *Hippocrates, Haly Abbas, Albucasis Paulus Ægineta, Celsus* & alii ejusdem exstirpationem suadent, sive mediante digito, sive mediante sectione fiat. Ast merito hanc Chirurgiam minus tutam esse judicat *Hierox. Fabritius ab Aquapendente Tr. de Operat. Chirurg. p. m.* 226. Quapropter *Marcus Aurelius Severinus in Chirurg. effic. Part.* II. *enarr. de sect. c.* 77. non totam tonsillam, sed eam tantum partem resecari vult, quæ p. n. intumuit. Verum & hoc partim ob angustias loci difficile, partim ob hæmorrhagiam metuendam periculosum esse censent alii. Unde tonsillas induratas per cathæretica

&

& escharotica: ∽⊕. ▽. c. ☿ viv. ▽ calc. viv. & similia regioni affectæ penicillo mediante applicare & absumere malunt. Verum & hæc medendi methodus non omninò tuta & infallibilis videtur, cum partes vicinæ facilè lædi, ipse verò scirrhus radicitus exstirpari nequeat. Quapropter *Dn. Zvvingerus in Theatro Medico-Pract.* solam salivationem ☿rialem suadet, qua morbum ferè insanabilem unice tolli posse judicat.

§. 23.

Restant jam

ULCERA TONSILLARUM,

in quorum exploratione cautelam adhibere decet, ne foramina & rimas in tonsillis naturaliter obvias & in tumefactis magis dehiscentes, cum rudioribus & rerum Anatomicarum ignaris, pro ulceribus habeamus, vid. *Whartonus in Adenographia c.* 22. *& Schenckius Observ. Lib.* II. *Obs.* I. *de Tons. aff-ct.* Curantur purgantibus, tam internis, quàm externis, & abhinc consolidantibus. Lui ♀ autem (ut frequentissime fieri solet) juncta vix ulla, nisi salivatoriâ, curantur methodo. Nisi enim hæc administretur, non tantum vicinæ partes insimul afficiuntur, sed & integrum

PALATUM EXESUM

redditur, adeò, ut non amplius clarè & distinctè, sed raucò admodum & obscuro murmure (wie der Dieb im Pferdstall) loquantur; quod idem fieri solet, si globis missilibus bombardarum sive integrum, sive dimidium palatum effringatur. Hoc si contingat, vix ulla, quam palliativa, per laminas argenteas aut aureas, lacunæ inserendas, curatio locum habet, quarum structuram & figuram habet *Paræus, lib. de Deficientium supplemento cap.* 4. *& Hildanus Observat. Chirurg. Cent.* 2. *Obs.* 22. *pag. mihi* 100.

CAP.



CAP. VIII.

DE PERICRANII AFFECTIBUS.

VIsis & perpensis iis, quæ in superficie capitis occurrunt, morbis jam ad interiora eundum, ubi remotis integumentis externis statim PERICRANIUM se offert, quod si non expansio est meningum, ut nonnulli statuunt, propter continuitatem tamen insignem cum dura matre, quam vocant, consensum alit & per hanc ipsi cerebro etiam molestias haud contemnendas inferre valet. Cumprimis autem ob texturam nerveo-tendinosam, meningi duræ conterminam, exquisitissimo sensu gaudet, adeoque variis DOLORIBUS, à variis causis, tam internis, quàm externis excitatis, subjacet; & quia simul plura vascula sanguifera, utut subtilia valde, per ejus expansionem disseminantur, hinc sanguine illic intercepto & stagnante INFLAMMATIONES ERYSIPELATODES hic sæpissime contingunt, quæ si minus recte tractentur, non secus ac VULNERA & ULCERA ejus, cuniculos q.s. agere & substratum cranium cariosum reddere valent, prout exemplum notabile in sua *pro loco Disputatione* De CARIE CRANII Ienæ A. 1695. habitâ ostendit celeb. *D. Joh. Hadrianus Slevogt*, quæ cum instar omnium esse possit, pace DN. Autoris exterorum gratiâ heic inserere liceat.

HISTORIA.

PUer octo annorum, temperamenti laudabilis, & floridi corporis habitus, die 15. Sept. anni 1689. in vicina urbe mane scholam petens, ab immaturo pyro, ex alto in dextrum synciput projecto, caligine oculorum & vertigine correptus concidebat, & aphonus

domum deportabatur; ubi sine sensu, usque ad meridiem, jacens, post repetitam evomitionem jentaculi & multæ bilis, vocalis iterum redditus, manu locum læsum monstrabat, & de insigni dolore capitis conquerebatur: cumque dextrum syncipùt & vertex admodum intumescerent, nec vinum calidum, cum butyro & duplicato linteo adhibitum, sufficere videretur, Chirurgo cura ægroti demandabatur. Hic, quod cutem integram cerneret, superimposito emplastro, plagam nullius momenti esse pronunciabat, nec diætæ curiosus, de aeris aut victus decente usurpatione quicquam præcipiebat. Imo cum, mense dimidio elapso, per lanceolam puri, sub cute latenti, exitum pararet, istudque satis coctum effueret, præsentibus signis læsi cranii, dolore continuo pulsante, stupore, masticandi difficultate, appetitu debili, somno turbulento, spem tamen Parentibus facere audebat, intra octiduum curationi finem impositum iri; sed irrito successu: quippe, utut quotidie tam per modo memoratum, arte factum, vulnus, quam per aliud novum, non longe ab isto, sponte natum foramen, haud parum crudi liquaminis excerneretur, non tamen tumor inde subsidebat, sed ultra principium quinti mensis perdurabat, & tandem ne levissimum contactum quidem, sine magno dolore, admittebat. Cujus moræ Parentes & agnati impatientes, postquam reliquorum Chirurgorum istius loci, perversa curationis tristem exitum subolentium, majoremque existimationis suæ, quam caritatis erga proximum, rationem habentium, fores frustra pulsassent, die 21. Januarii, anni 90. puerum huc ad avunculum suum, Danielem Mannum, optima nota Chirurgum, deducebant, a quo ego in consilium accitus, in dextro syncipite, juxta suturam sagittalem, duo ulcuscula lentiformia, & dimidium pollicem a se invicem distantia deprehendebam. Hæc ichore plena erant, quem ad singulos cordis pulsus modice subsultantem cernebam; cumque totus ambitus ultra suturam coronalem, atque λαμβδοειδῆ, elatior esset, & tangenti fungosus intusque cavus videretur, ac insuper leniter pressus, cum ejulatu ægri, prædictum ichorem ex ambobus ostiolis emitteret; non sine ratione cranium subtus corruptum esse, & sine

mora

mora detegendum statuebam. Præmisso igitur leni evacuante, d. 23. explorata per specillum ulceris profunditate, & demtis forfice capillis, per decussatim factam sectionem ex cute copiosus sanguis niger propullulabat. Vulnere lege artis deligato, & quæ circa diætam, internaque remedia necessaria videbantur, rite dispositis, statim sequente die illud labia, multo quam antea graciliora habebat; cumque tertium religaretur, portionem tabulæ cranii superioris, a reliquo osse solutæ, in fundo gerebat, & crassitie papyrum, foraminibus cribrum, ambituque schema I. exhibebat. Hac sublata, medullosa calvariæ substantia nuda, vitrea vero tabula exiguo foramine pertusa apparebat, ex quo tenuis flavescens liquor, juxta rhythmum vasorum duræ matris pulsantium, expellebatur: manifesto indicio, intra cranium rem minime salvam esse, & hoc liquamen, quod maxima sui parte nutrimentum calvariæ fuerat, ex erosis tubulis stillando, a vicinis humoribus corruptis characterem vitiosum contraxisse. Cum itaque curationem solertem, atque industriam operam deposci palam fieret, haud contemnenda simul prosperi successus fiducia nascebatur, quod nec ulceris conditio adeo mali moris, nec caries ossis insuperabilis videretur, nec circa principes functiones aliquid magna formidine dignum extaret: sensim redeuntibus quiete, comedendi desiderio, masticatione expeditiore, animique alacritate: unica tussi excepta, quæ cum insigni violentia & molestissimo capitis dolore, tribus abhinc hebdomadis, tenellum corpus concusserat.

Verum obstabat inemendabilis ægri, ex puerili ἀῤῥωστίᾳ τῆς διανοίας *fluens morositas; dum dolorum in prima sectione perpessorum memor, neque blanditiis, neque minis permoveri poterat, ut a clamore & corporis jactatione, qua Chirurgi operationes turbabat, & vix ac ne vix quidem ulceris detersionem concedebat, desisteret. Accedebat inepta agnatorum misericordia, qui fletu pueri commoti, jam omnem ferri usum detestabantur, nec misellum ulteriori cruciatui, ita volebant, mori satius esse reputantes, quam tot ferramentorum crudelitatem in vivo corpore experiri.*

Quibus rebus fiebat, ut post imprudentem cunctationem tan-

dem, penitus absumta magna cranii parte, medio Februarii dura mater per foramina A & B, in secunda & tertia figura notata, nuda in conspectum veniret, & curioso spectaculo tres distinctos motus, cordis pulsui, respirationi & tussi respondentes exhiberet. Cum autem interim novus tumor in occipite suboriretur, & ad educendam putrilaginem ferro uti prohibitum esset, d. 16. per potentiale cauterium eum aperire reliquum erat. D. 29. Puer solito somnolentior fiebat, & sensim p. n. calere incipiebat, cessabat appetitus, viresque imminuebantur sensibiliter, donec d. 25. 26, 27. & 28. aucta dormiendi libidine, quam crebri pavores comitabantur, febriliter caleret, & aut plane non, aut incongrue ad quæsita responderet, dieque 1. Martii fatis cederet.

Cranium resectum quatuor in locis perforatum visebatur, & in concava sui parte, ubi late serpens caries magnam interioris laminæ partem absumserat, mucore albo & inæquali superficie prædito, oblitum erat; quo cum etiam dura mater, quousque ab arroso osse adhuc tecta erat, ad straminis crassitiem obducta esset, primo intuitu pene eam hoc loco exulceratam dixissemus: sed accuratiori examine adhibito adhuc integra, omnisque læsionis expers, inveniebatur. Magma autem huic & cranio, unde deciderat adhærens, armato oculo innumerorum vermiculorum, leni humori implicatorum, congeries apparebat, quorum multi, aquæ tepidæ injecti, motitatione sua vitalitatis indicia edebant. Vasa meningis ad rupturam atro sanguine turgebant, & candicans alias cerebri substantia rosea fere & spississimis punctis rubris conferta videbatur. Ventriculi sero distenti erant, quod, quamprimum illi cultri apice vulnerabantur, cum impetu prosiliebat.

Ἐξήγησις.

§. I.

TAlis fuit lamentabilis vitæ terminus pueri optimi, cui longioris vitæ usuram ars promittebat, si & in tempore convenientia remedia adhibita fuissent, & cum eadem postmodum adhibe-

rentur,

rentur, æger non minus quam adstantes, ad monitum Hippocratis ἑαυτοὺς παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντες decrevissent.

§. II. Cum vero, ut vulgata fert sententia, *dimidium curationis cognitio morbi absolvat*, & statim in principio, quæ a divino Sene, ejusque sectatore Celso, ad diagnosin rite formandam præcipiuntur, obiter habita fuerint, mirum non est, hinc infidam prognosin, erroneamque curationem originem traxisse.

§. III. Ut igitur, quam promtum fuerit hunc lapsum evitare, ostendamus, ea quæ Artis Parens, in aureo de *capitis vulneribus* libello, Celsusque passim præstantissima proponunt monita, ita præsenti circumstantiarum seriei applicabimus, ut primo omnium *ad subjectum*, deinde *ad locum affectum*, postmodum *ad instrumentum*, ceu causam, *modumque lædendi*, & denique ad παρακολουθησίας, in ægro emergentes, animum adhibeamus; quibus ultimo prognoseos ergo, *tempus anni* quoque subjungemus.

§. IV. Subjecto merito hic primas deferimus, quia ejus cognitio adeo necessaria est, ut nisi de eo constet, indagatio *indicationum* frustanea, *indicantium* dignotio impossibilis, *indicatorum* applicatio autem inepta ac prorsus cæca existere soleat.

§. V. Quod nostrum attinet, ne ex ætate puerili & laudata corporis εὐεξίᾳ prior Chirurgus oscitantiæ suæ excusationem petat, quasi vero, cum Celsus puerorum & adolescentium vulnera citius sanari statuat, præsente insuper in nostro humorum εὐκρασίᾳ, a *mediocri* ejusmodi *læsione*, per *pyrum*, & *sine sanguine* facta, non adeo facilis pravorum symptomatum ἐπιγένεσις metuenda fuerit: sciendum est, Celsum *lib.* 5. *c.* 26. *p.* 302. eatenus tantum recentiori florentique ætati promtiorem reconvalescentiam spondere, quatenus illa senio, humorum balsamica dulcedine & γλυκύτητι, calidique nativi vigore destituto opponitur. Deinde neminem latere putamus quam pronum in febres ac putredines sanguineum temperamentum existat, & quam exquisito tenera puerilium nervorum compages, ad leves vellicationes, sensu polleat, dolorumque impatientissima sit. Ut taceam effato *magni Æsculapii* Lycei

 hujus,

hujus, ut Imperatori & Medico, ita & Chirurgo turpe esse, dicere: *non putaram.*

§. VI. Secunda consideratio locum affectum concernit, caput scilicet, regionem corporis nobilissimam; & sicut nec minimas hujus læsiones contemni debere, unanimis peritorum vox est; ita quæ ossi syncipitis atque suturis accidunt, periculosissimas esse, post Hippocratem receptissima in scholis medentium opinio fuit.

§. VII. Os vero aut fissum aut fractum fuisse, ipsamque suturam labem accepisse, tria potissimum argumenta probabile reddunt. Horum primum partium harum constitutio suppeditat: *Universi* enim, inquit Hipp. l. c. text. 3. *capitis os tenuissimum ac debilissimum est, quod circa syncipút, & carnem paucissimam ac tenuissimam hac parte os super seipso habet.* & text. 15. *Proclive est os circa suturam rumpi ac dissolvi, propter ossis hac parte debilitatem & raritatem, & propterea, quod parata sit sutura, ut rumpatur ac dissolvatur; nam reliqua ossa, suturam ambientia, ruptionis expertia manere possunt, eo quod robustiora sunt, quam sutura.*

§. VIII. Nec obstat, aut effugiendi ansam imperito homini & excusationem parit, quod juniorum crania, præ adultis, singulari privilegio gaudeant, ut cum mollitie simul tenacia existant, & duriori corpori allisa cedant, θλᾶσιν potius, quam fissuram aut fracturam patientia, a qua etiam ut restituantur, non æque cutis dissectione & vectibus, aut operosis elevatoriis monopedibus, bipedibus tripedibusque opus habeant; sed vel per suctum, ad modum antiquatæ scarificationis, vel per cucurbitam cum multa flamma, aut enchiresin Hildanianam, emplastrum scil. firmiter affixum, subitoque iterum, beneficio funiculi, abstractum, ad naturalem statum reducantur: imo quod sponte, & sine artis ope, nonnunquam eleventur. Cujus phænomeni exemplum ante aliquot annos heic loci me vidisse memini. Cum enim puer quinquennis ex fenestra in aquæductus marginem præcipitatus, insignem foveam in sinistro syncipite reportaret, & ἀναίσθητος, morientique

tique similis, ῥογχάζων jaceret, locus depressus autem cum sacculis cephalicis & vino calido foveretur, paulo post, me atque Chirurgo præsente, vi excitatæ sternutationis, sensim resurgente cranio, vocem & sensum recuperabat.

§. IX. Verum sicut hæc omnia verissima sunt, ita nihilominus juniorum calvarias etiam frangi posse, certissimum est; quin & hoc insuper vitii habent, ut non solum, ceu reliqua ossa fracta, *nisi succursum est*, verbis Celsi, lib. 8. c. 4. *gravibus inflammationibus afficiantur, difficiliusque postmodum tractentur*: sed etiam non fracta, dum secundum text. 25. l. c. Hipp. τῶν παιδίων τὰ ὀςέα ἐμαιμότερά ἐςι, *puerorum ossa magis sanguinolenta sunt*, ut ex nostri, post mortem & aliquot annorum decursum, adhuc rubella calvaria cognoscere datur, ideo καὶ μᾶλλον καὶ θᾶσσον ὑποπυΐσκεται, *magis ac citius suppurantur.* Sicubi scilicet, contra apertam Hippocratis doctrinam, text. 22. *ulcus carnis ambientis non statim repurgatum, & ad siccitatis statum reductum fuerit; sed diu* (hoc loco ultra quadrimestre)) *humidum & putrescens relictum manserit.*

§. X. Alterum cranii læsionem suspicandi argumentum instrumentum lædens offert, de quo Hippocrates text. 14. *profecto ex telis maxime os rumpunt & manifestis & obscuris fissuris & introcedere faciunt, quæ sunt rotunda, orbicularia & obtusa & gravia & dura.* Tale autem pyrum immaturum fuisse, vero simillimum est, inprimis cum lædendi modus accesserit singularis; per hunc enim, quod ἀπὸ ὑψηλοτάτου, *ex altissimo* descendit, & ἐξ ἰθείης *è directo* caput petiit, vi textus 13. μάλιςά γε τάχιςα πάσχει τὸ ὀςέον κίνδυνός ἐςι, *maxime sane, ut hoc os patiatur periculum est.*

§. XI. Restat tertium argumentum, ex iis, quæ ictum secuta sunt, symptomatis depromendum. De his post Hipp. Celsus lib. 8. c. 4. p. 545. ita loquitur: *Vbi calvaria percussa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares auresve sanguis ei effluxerit; num ceciderit, num sine sensu, quasi dormiens jacuerit? Hæc enim non nisi osse fracto eveniunt.*

§. XII.

§. XII. Licet autem assertio hæc, de eo tantum, quod ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον fieri solet, accipi debeat; quatenus læsioni cranii ordinarie quidem hæc & similia phænomena, dolor v.g. masticatio impedita &c. superveniunt; nec viceversa tamen ex præsentia eorum omnium indubitanter de rupto osse pronunciare licet: in nostro certe ipse effectus, enormis ista caries, syncipu tab initio statim, una cum sutura, fissum fuisse, testari potest. Inde enim evenit, ut portio, quæ d. 24. Januarii de superiori tabula recessit, mox in primo ictu, per conquassationem ad insequentem separationem disposita, intus verò integra pene sutura successivæ consumptioni subjecta fuerit, quia in hac, ceu magis succulenta, prima sanguinis stagnatio atque corruptio sedem habuit.

§. XIII. Hæc de diagnosi: quæ cum fundamento caruerit, necessario infidam prognosin post se trahere debuit; cum tamen eam rationi & affectui conformem reddere facile fuisset, modo, quæ Hipp. clarissimis verbis de tenera & putredini obnoxia textura craniorum puerilium docet, Chirurgus cum læsionis organo, & inde ortis incommodis comparasset; sique porro ex text. 3. l. c. *Contusiones & ruptiones syncipitis, ob cerebrum plurimum ibi subsistens, lethaliores, ac ad curandum & effugiendam mortem difficiliores existere didicisset*: si præter hæc ad tempus autumnale ac hybernale respexisset, quod *capitibus læsis* Celsus l. 5. c.26. aliique veterum *perniciosissimum judicarunt*; si acerbissimis, vereque ulcerosis miselli doloribus indoluisset: si denique ad ea, quæ oculis cernere, manibusque palpare poterat, animum advertisset: tunc ex stabili loci affecti tumore, continuum affluxum & στάσιν p. n. sanguinis, ex nova, eaque spontanea cutis perforatione, magnam humorum acrimoniam ex putredine conceptam; ex vulneris tamdiu frustra tentata consolidatione, & crudi liquaminis excretione, ossis corruptionem, semper & usque ad ulceris sanationem impedientem; ex motu denique ichoris, pulsui arteriarum concordante, cranii profundissimam læsionem conclusisset; nec proinde restitutionem ægri, ut in principio garriverat, *octo dierum*

rum opus statuisset; sed potius cum Celso, l. 8. c. 4. p. 545. *hæc non nisi osse fracto evenire, & ubi inciderant, necessariam quidem, sed difficilem esse curationem pronunciasset.*

§. XIV. Tantum etiam de prognosi: cui jam curationem quoque apponere par esset, si, præter emplastri atque lanceolæ nomen, quicquam de ea nobis innotuisset. Ut tamen, ubi istam ratio defecerit, pateat, breviter, qua methodo à nobis ulcus tractatum sit, exponere, ordineque, non quidem ἐπιστημονικῶ, sed tumultuario, prout scilicet historiæ decursus sese obtulit, recensere animus est.

§. XV. Antequam aliquid tentaretur, opportunum videbatur, leni laxante primas vias expurgare. Quod etsi *Overkampio* aliisque neotericis superfluum videatur, sua tamen utilitate non caret. Deinde cum capillorum remotio tam ad dignotionem loci affecti accuratiorem, quam ad aptiorem remediorum applicationem, perquam necessaria esset, nec tamen acerbissimus dolor in rubella & ab expansione fibrarum fungosa reddita cute, novaculæ rasuram admitteret, forfice eos Chirurgus resecare cogebatur.

§. XVI. Circa explorationem profunditatis dubium nascebatur; cum enim styli beneficio, quousque cultri acies adigenda esset, metiremur, & ille in duro corpore subsisteret, nec statim ad duram matrem descenderet, cranium integrum, nec, uti ex adeo manifesto ichoris subsultu conjiciebamus, perforatum esse mirabamur. Cumque sequente die, post exemptam portionem tabulæ superioris, passim foraminulis scatentem, quæ stylum heri exceperat, conjecturam nostram omnino fundamentum habuisse cerneremus, experientia convicti, specillum non omnis erroris expers esse concludebamus; quamvis *Hippocrates* atque *Celsus* hoc, ceu fide dignum testem laudent, qui an vulnus aut caries in osse adhuc sedem habeat, an vero istud penetrarit, perspicue doceat.

§. XVII. Detecta itaque plagæ altitudine, restabat, ut cutis ad cranium usque, & quidem decussatim dissecaretur; cum & ulceris cavitas latensque caries sectionem indicarent, locusque affe-

P ctus

ctus eam permitteret, & Hippocrates Celsusque postularent. Sectionem indicari patebat ex textu 18. l. c. *Ulcera, quæ non habent sufficientem magnitudinem longitudinis ac latitudinis, ad ossis inspectionem, an quid mali passum sit à telo, & quale id passum sit, & quantum caro contusa est, & quantum os læsionem habet: & rursus, an illæsum sit os à telo, & nihil mali passum sit: & ad curationem, quali nam opus habeat ulcus, & caro, & ossis affectio*, τὰ δὴ τοιαῦτα τῶν ἑλκέων τομῆς δεῖται, *talia sane ulcera sectione opus habent*. Permitti autem sectionem ex text. 19. discebamus, *quia omnes partes eam sustinent, præter tempora & venam, quæ super tempora fertur, nec*, Celso teste, *magno negotio cutis sanescit, etiamsi frustra secetur*. In specie vero à Celso sectio, *quæ ex duabus transversis lineis literæ X figuram accipit*, commendabatur, *ut deinde à singulis præcedentibus angulis cutis subsecetur*.

§. XVIII. Cutis aperta uncialis crassitudinis deprehendebatur, & faciem uteri dissecti, cum ultimis mensibus instar spongiæ sanguine turgere solet, repræsentabat. Sanguinem per moram inspissatum & hinc nigriorem apparentem, utut affatim effluerent, reprimere inconsultum ducentes, nec monitum Celsi, qui p. 548. *sanguinem, inter secandum effluentem, spongia, subinde in aceto* (huic regioni minus conveniente) *tincta, cohibendum objectisque linamentis occupandum* esse scribit, observare; nec reliqua ἔναιμα καὶ συπτικὰ remedia in usum vocare poteramus. Cum enim partem sectam, alias minus succulentam esse, & per se non admodum sanguine abundare, sed per frequentem vociferationem sursum protrusum, nunc p. n. tam copiosum possidere crederemus: idcirco leniter labia vulneris demulcendo; exitum ejus promovendum potius, quam retardandum, putabamus.

§. XIX. Vulneri balsamum Chirurgi ex myrrha, mumia, aloë, sangu. draconis, mastiche, sarcocolla, melle rosaceo atque rutaceo concinnatum, carptoque linteo exceptum imponebatur, cum labia prius ℴℴ chamom. rosac. mastichin. anethin. quibus modicum

dicum 🜔 Philosophor. & ceræ rectif. admixtum erat, uncta essent; mox emplastrum sticticum Croll. & de betonica applicabatur, quod aliud latius, defensivum dictum, tegebat; tandem saccus latus, fol. beton. rut. scord. rosmar. salv. veron. origan. flor. rosar. melilot. stœchad. arab. & baccis lauri, gr. m. concis. & contus. impletus, vinoque ad tolerantiam ægri calido, madens, reliqua omnia amplectebatur, quem fascia per multiplicem circumductionem in sede sua confirmabat.

§. XX. Studio integrum apparatum recensere volui, ut pateat, solum emplastrum, cujuscunque bonitatis etiam illud primi Chirurgi fuerit, minime sufficiens fuisse. Accuratius enim caput custodiendum est, talibusque munimentis utendum, quæ non aëris accessum solum arcent, sed virtute insuper sua nervina resolvente, & balsamica roborant, στάσιν humorum præcavent ac tollunt, corruptionique resistunt. Hujus indolis sunt dicta remedia, inter quæ sacculus non infimum locum meretur: talibusque hodie à nostris Chirurgis indies gravissimæ capitis læsiones corriguntur, quæ olim sectionibus, ustionibus, scalpturis, terebrationibus, aliisque horribilibus operationibus opus habebant.

§. XXI. Pro interno usu Ess. travmat. ill. Wed. c. Ess. lign. aloes, anod, El. propr. s. acido mixta, pulvis item oc. 🜋. cinnab. Hung, corall. medull. saxor. ♉ d. rad. pœon. sperm. cet. offerebantur, & de liquido non minus, quam sicco medicamento bis quotidie guttæ 15. scrupulusque dimidius, vel grana 12. porrigebantur. Ne vero uniformia medicamenta fastidium parerent, modo pulveres cum aquis destillatis extractis atque syrupis appropriatis in potiunculas, usus tempore concutiendas, mutabantur; modo decocta rad. rubiæ, chinæ, liquirit. symphyt. herb. scab. millefol. agrimon. plantag. parabantur. Omnia eo fine, ut si sanguini aliquid peregrini inesset, istud emendaretur, tussique, ab irritatione duræ matris magis, quam pectoris vitio ortæ, παρέργως prospiceretur.

§. XXII. Et quia, maximo errore, diætæ moderamen in principio plane neglectum erat, in cibo & potu acida, salsa, acria, spirituosa, vetabantur, ne scilicet vitium, chylo impressum, in sanguinem redundans, ulceris gravitatem exasperaret. Inprimis autem aër tepidus ac quies commendabantur, ne scil. à frigore στάσις, ab æstu fornacis vero nimio fusio humoribus induceretur, nec etiam à motu corporis, risu, sermone claro, æger tussim & capitis concussionem dolentissimam pati cogeretur.

§. XXIII. Quæ si cuncta rite observata fuissent, nec ægro sæpissime, brumali tempore, per plateam ambulare & cibis insuper omnis generis uti, vinumque sorbillare, blanda agnatorum indulgentia permisisset; sed contra ea hi ipsi, sub deligatione ulceris flente puero, non tam collacrymassent, quam fortiter potius prehenso refractarii capite, operanti Chirurgo adstitissent; tunc non solum, cum lamella cribriformis separetur, ampliato magis ulcere, cariosa cranii regio scalpro ad sani ossis apparitionem exscindi, complanari, & hoc modo ad suscipiendam novam carnem aptari, ulcusque feliciter atque perfecte percurari potuisset: sed postmodum etiam, cum jam per protractum reluctandi κακοήθεις ingens intra cranium exesum porta pateret, haud omnino nulla ægrum conservandi spes affulgebat; quia & signa quædam, inter salutaria à Celso relata, *meningis* scil. *bonus color, hujusque & cervicis ac maxillæ liber motus, febris quoque absentia & mentis integritas* supererant, & nunc μηνιγγοφύλακα commode immittere ac sectione omne cariosum ad sani ossis margines auferre licebat.

§. XXIV. Quæ omnia eo felicius in nostro processissent, quo meliori corporis temperamento cæteroquin is pollebat. Hujus enim ope fiebat, ut simul ac die 23. per sectionem cutis à superfluis humoribus liberaretur, ulcusque dilataretur, & duræ matri ab imminente ichore per vitreæ tabulæ foramen sese purgandi commodior via concederetur, statim dolor remitteret, & à

doloris


E
b
D
a
b
b
A
B
b
D
a
D
b
C
b
c
a
F

doloris cessatione quies, à quiete autem ventriculo vigor redderetur.

§. XXV. Verum enim vero cum nec sanioribus consiliis aures adstantium paterent, nec à tristi prognostico eorum animi terrerentur, aucta tandem in cerebro mole sanguinis ac seri, quam nec vesicatoria extrahere, nec alia interna externaque remedia resolvere, atque divertere poterant, lethalis torpor spiritibus imprimebatur; donec per lethargicum soporem miser somni fratri traderetur, ubi

Ipsi, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuo una dormienda.

§. XXVI. Commoda hic de causis lethargi & cur æger non motibus convulsivis potius, ut alii similiter affecti solent, perierit? cur item terminum vitæ, ab Hippocrate hoc modo vulneratis definitum, longe superarit? disserendi occasio esset: cui etiam æthiologia cariei verminosæ pluraque alia addi possent: sed quia ista persequi, præsens instituti, merum historiæ examen concernentis, negotiorumque ratio prohibet, reliqua alio tempore exponenda silentio præterire placet.



EXPLICATIO
TAB. VI. & VII.

Fig. 1. est lamina ossea tenuis & perforata, portio scil. tabulæ exterioris cranii, á reliquo osse per cariem separata.
Fig. 2. exhibet exteriorem faciem cranii.

A, est primum foramen majus, à quo præcedens lamina ablata fuit, quod cum B postmodum in unum foramen coalescebat.
B. alterum foramen majus.
C C. duo alia foramina minora.
D D D, sutura sagittalis prorsus corrupta.
E, sutura coronalis,
F, sutura lambdoides,
G, officulum Wormianum,
a a a. loca cariosa in extima superficie,
b b b b b b. ostiola vasorum sanguiferorum, calvariam penetrantium,

Fig. 3, repræsentat cranii faciem interiorem,
A,B,C C. sunt quatuor foramina,
D D,E,F. sutura sagittalis, coronalis & lambdoides,
G. officuli Wormiani facies interior,
a a a a a a. peripheria cariei, quæ os partim penitus consumserat, partim admodum asperum & tenue reddiderat,
b b b b b b vestigia ramificationum vasorum duræ matris, ossi impressa,



CAP.


E
D
b
b
a
a
A
b
B
a
b
D
a
C
C
b
a
a
G
F



CAPUT IX.
DE
AFFECTIBUS CRANII.

§. I.

Abraso jam pericranio in conspectum venit convexa cranii superficies & in hac SUTURÆ CRANII, quarum non ubique eadem est facies. Quandoque enim prorsus deficiunt, ut *Pechlinus* in Æthiopis anatome observavit *lib.* 2. *Obs.* 34. quod tamen in tota Ægyptiorum natione neutiquam perpetuum (ut quidam existimant) & solenne esse *Riolanus Enchirid. Anat. lib. VI. c. VI. p.* 441. scribit. Quandoque in ætate juvenili antea præsentes in senili obliterantur, quod in locis æstuosis facilius contingere *Celsus lib.* 8. *de re Medica p.* 619. adstruit. Quandoque sutura coronalis & lambdoidea, os triquetrum, *Paracelsi* antepilepticum, interceptum exhibent, quod in Anatome parricidæ summè epileptici olim hic Giessæ observavimus: an verò idem in omnibus & solis epilepticis (ut idem *Paracelsus* asserit) inveniatur, ulteriori confirmatione & inquisitione indiget. Quandoque sutura sagittalis in adultis, non secus ac in recens natis, ad radicem nasi protenditur, prout simile cranium (cum prioribus) in ossuario Cœnobii Limburgensis, Ord. Cisterc. in Comitatu Leiningensi, prope Harteburgum olim inveni & adhucdum inter rariora mea Anatomica conservo. In statu vero præternaturali & morboso quandoque

SUTURARUM DISCESSIO,

quâ tum coronalis, idque frequentius, tum sagittalis sutura notabili intercapedine dehiscunt, non tantùm in tenerioris texturæ hominibus, sed & in agrestibus, injuriis externis & laboribus asuetis, obser-

obſervante *Bootio* in *Tr. de affectibus omiſſis cap.* 4. quæ dehiſcentia tanta ſæpius eſt, ut pulſus arteriarum in cerebro viſu obſervari & erumpentes extra cranium meninges ſpeciem farciminis exhibuerint, atteſtantibus *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 1. *Anno ix. & x. Obſ.* 189. Conf. *Dec.* 9. *Obſ.* 227. 230. ſub diſceſſu fragorem (Krachen) *Obſ.* eadem *Dec.* 2. *A.* 4. *Obſ.* 142. Sanguinem verò inde erupiſſe *Hildan. Cent.* 1. *Obſ.* 1. viderint.

Inter cauſas, præter violentias externas, idem à nimia vini ingurgitatione obſervarunt *Miſcell. N. C. Dec.* 1. *A.* 4. *Obſ.* 33. à cephalalgia *Miſc. N. C. Dec.* 2. *A.* 4. *Obſ.* 42. à partu difficili *ibid. Obſ.* 43. à ſuppreſſione menſium *D. Maur. Hoffmannus*, teſte Dn. Filio *Joh. Maurit. Hoffm. Anatom. Patholog. p.* 230. à febre ardente G. *F. Hildanus Cent.* 1. *Obſ.* 1. à peſte *Sennertus lib.* 1. *Prax. Part.* 1. *c.* 25.

In Curatiône, ſi coronalis ſutura dehiſcit, caput à fronte & ſummo occipitio manibus utrinque prehenſum ſenſim ac blandius primo adduci, abhinc autem validius ſtringi debet, donec oſſa conjungantur. Sin verò diſceſſerit ſagittalis, caput à lateribus comprimatur.

Talem preſſionem unicum in Hibernia ſubſidium eſſe *Bootius c. l.* aſſerit, quam & *Pechlinus Obſervat. Phyſico-Med. lib.* 2. *Obſ.* 39. in vetula Hamburgenſi adeò felicem expertus eſt, ut dolor & pulſus arteriarum circa ſuturam coronalem notabiles velut incantamento quodam evanuerint, Ob eandem cauſam ligaturas capiti arctius circumductas, ad vaſorum nonnunquam nimis arctè diſtentorum coarctationem, laudat *D. Joh. Maurit. Hoffmannus l. c.*

§. 2.

DEPRESSIO CRANII absque fractura in pueris (ubi omnia adhuc mollia ſunt) tantum evenit, quam, ſi nulla prava ſymptomata ſequantur, inſuper ferè habet *Felix Würzius*, cum elevatoria citius os frangant, quam retrahant, ut

Part

Part. 2. *Chir. cap.* 7. *p.* 108. *vers. Gallicæ* legitur; quem licet hac in parte taxet *Hildanus Cent.* 2. *Obs.* 3. (qui cum Paræo cucurbitam siccam, aut corniculum suctorium, vel emplastrum attractorium suadet) sequi tamen mavult *Scultetus Declar. Tab.* 32. *p.* 117. & è recentioribus *Nuckius Experim. Chirurg. V. pag.* 24. adeoque nullo symptomate notabili urgente capilli tantum circa locum depressum sunt abradendi & pars affecta fomentis cephalicis, v g. pelle agni calida cum fascia canero dicta calidè fovenda est. Cranium enim depressum licet manens, rarò patienti periculum adfert, cum & per cucurbitulas non tam cranium, quam cutis elevetur & à subjecto osse separetur. Quodsi verò in adultis elevatoriis uti velimus, non tam vecte triploide, aut aliis a *Paræo lib.* 9. *cap.* 5. *pag.* 202. & *Sculteto Tab.* 3. *Fig.* 3. depictis, quam potius instrumento ab *Hildano Cent.* 2. *Obs.* 4. *pag. mihi* 80. depicto, ob plures rationes illic allegatas, uti poterimus. Interim & hoc insufficiens est, si lamina interna deprimatur, externâ integra manente, cujus exemplum vid. in *Misc. N. C. Dec.* 2. *A.* 2. *Obs.* 1. & *Scult. in Armam. Part.* 2. *Obs.* 14.

§. 3.

IN PUNCTURA CRANII, seu vulnere superiori tabulæ punctim inflicto, trepano exfoliativo seu desquamatoriò os eousque abradere jubet *Nuckius l. c.*, donec punctura dispareat ejusque vestigium non amplius conspiciatur; quod idem quoque locum habet, si contusio quævis in secunda laminâ subsistat, ac ne ad ipsam quidem pervenit, suadente *Paræo Lib.* 9. *cap. V. pag.* 203. ubi & figura trepani exfoliatorii sistitur, quam elegantiorem reddidit *Solingius Tab. xi. Fig.* 1. & 3. Facilius autem hoc accedit in osse frontis, notabiles cavitates inter utramque cranii laminam habente, quod fracturam passum multis, cerebrum graviter vulneratum credentibus, imposuit, quum nonnisi superior ejus tabula, longè satis ab inferiori remota, læsa fuerit, observante *Nuckio l. c. p.* 23. Luculentum hujus rei exemplum præbet

CASUS

ab *Antonio de Heide Observ. Med. Chir. xviii.* descriptus & in *Fig.* 3. *TAB.* 1. ob oculos positus, qui ita se habet: Virgo 20. annorum candelabri ænei gravis lamella vulneratur ad frontis latus sinistrum. Vulnus latitudine æquabat digitum transversum, longitudine lineam A. B. Symptomata erant sequentia: Vertigo levis & convulsionis species in colli affecto latere, nec non dolor acutus & pulsans ad vulneris fundum, qui exacerbabatur, ubi specillo exploraremus vulnus, aut æger cibum manducare vellet. Os nudum & depressum apparebat. Chirurgis cum Medico sollicitis de evasato sub cranio sanguine decernitur, ut cutis & cranium denudetur; quod 4. die vulnerationis hâc ratione effectum est: Nempe vulnus utrinque incidendo prolongatur & à frontis parte superiore incisio vulneri perpendicularis ducitur, adeò ut vulnus adauctum repræsentaret literam tau inversam. Nam A. B. est longitudo vulneris protracti (quod initio non majus fuerat quam D. E.) Incisio vulneri primò perpendicularis habet longitudinem C. M, labia vulneris adaucti à cranio separata & erecta, ut cranium nudum conspici possit, designantur A. C. N. & B. C. O. Hæmorrhagia inter incidendum erat copiosa, sistebatur tamen facile ♃ ⊕ & linteo carpto. Sequenti die vulnus absque notabili sanguinis profusione detegitur: quô peracto duo ossis fragmenta teretia & minuta facile eximuntur. Sed medio in vulnere sese prodit fragmentum D. E. æquè extensum ac prius vulnus. Hujus fragmenti margo inferior oculum versus erat depressus ad profunditatem quartæ partis digiti transversi: superior verò margo verticem versus erat ferè ejusdem altitudinis cum reliquâ cranii superficie, cui tamen non erat continuus, sed fracturâ ab eâ separatus. Suspicantes duram matrem à fragmento premi, nec non sanguine evasato tectam esse, decernimus trepano cranium perforare, idque tam prope fragmentum, ut crena superiori fragmenti margini

gini esset continua: quod tamen secus evenit; nam extracto ossiculo, trepani dentibus deciso, foramen I. inter & fragmentum D. E. isthmus G. H. superstes mansit, impedimento ne fragmentum elevari posset. Patuit tamen, elevationem fragmenti non esse necessariam: exterior enim cranii tabula tantum depressa videbatur in cavitatem ossis frontis supercilio subjectam, interiori illæsa. Elapsô die uno vel alterô nova caro è duræ meningis superficie pullulare cœpit, quæ indies adeò accrevit, ut brevî foramen eâ infartum esset. Ægrâ interim tam bene valere cœpit, ut febre immunis brevî sese aëri libero exponeret, vulnere consolidato. Cum tamen quodam die nubilo & frigido caput denudaret, & capillos concinnaret, corripitur febre continuâ, quâ intra 14. dies confecta est.


Ante vulneris consolidationem extracta est ossea lamella magna F. L. S.

§. 4.

Genuinæ autem

CRANII FRACTURÆ

varias admittunt differentias, quas cum *in Medicina Nov. Antiqua Part. VIII. Chirurg. cap. IV.* §. 2. jamdum expediverim earumque curationem *Scultetus in Armament. Chirurg. in declar. Tab.* 28. sufficienter tradiderit, hinc superfluum foret, si actum hic agere & cramben bis coctam apponere vellem. Quodsi tamen quis ulteriorem hac in parte informationem & manuductionem desideret, *Disputationem inauguralem de Fractura Cranii à Thoma Staffard*, Chirurgo Leydensi, Lugduni Batavorum A. 1676. habitam & *Nosocomii nostri Academic. Continuationi* N. I. insertam consulere poterit, ubi tum enchireses, tum medicamenta adhibenda satis eruditè pertractantur: quemadmodum de periculosissima illarum specie, sc. CONTRAFISSURA, præter *D. Ammanni Tr. de Resonitu*, *Dn. D. Wagneri*, Prof. Helmstadiensis *Disp. inaugural. ibid.* Num. 2. commendamus.



CAPUT X.

DE MENINGUM, CEREBRI ET CEREBELLI AFFECTIBUS CHIRURGICIS

§. 1.

DIffracto putamine ad nucleum, sc. ad τὸ ἐγκέφαλον seu cerebrum devenimus, quod ut duplici membranæ atque tunicæ, quam meningem vocant, duræ sc. & tenui, involutum est, ita primum quæritur, an si pus, aut sanguis extravasatus sub dura matre latitet, hæc tutò & impunè secari possit? id quod in casu necessitatis (ubi Medicus & Chirurgus suæ quoque famæ consulere & facto prius prognosticô operari debent) affirmat *Nuckius Experim. Chirurg. V. p.* 24.

§. 2.


Ipsa cerebri & cerebelli VULNERA quod attinet, plura tum de curatione, tum de lethalitate vel illethalitate illorum judicia & responsa dedimus *in Pandectis & Novellis* nostris *Medico Legalibus*, adeò, ut hac vice prolixiore illorum recensione facile supersedere possimus.

Ne verò fungum pro cerebro & peponem pro corde habere videamur, pauca heic de

FUNGIS CEREBRI,

sub ejusdem aut meningum læsione comparentibus, dicenda erant, quos aut neglectos, aut male curatos mortem intulisse *Hildanus Cent.* 1. *Obs.* 14. propria experientia compertum habet. Oriuntur autem à portionibus seri nutrivi ex membranis cerebri

atque


Fig. 5
b
h
c
d
i
e
a




Fig. 1.
A
B
D
C


Fig. 6.
c
a
b


Fig. 3
c
g
a
b
f
h
d






Fig. 4.
m
l
f
K
a
e
c
d
h
i
g
b


Fig. 2.


Fig. 8.
C
d
B
A
d
A
B
d
C
d


Fig. 7.
b
a


Fig. 9
e
f
C
B
e
A
D
e
e
A
D
e
f

atque meditullii cranii carunculis, solutionem continui perpessis, profusis, & in carnosam luxuriantem substantiam concrescentibus, teste cel. *Joh. Mauritio Hoffmanno*, Archiatro & Seniore Altorphinô, *Anat. Pathologic. p.*232. Curationem sollicitè admodum fuséque proponit *Hildanus Cent.* 1. *Obs. Chirurgic. XV.* breviter autem expedit accuratissimus *Nuckius Experiment. Chirurg. V. pag.* 22. dum illos quantocyus auferendos & absumendos esse consulit, non quidem corrosivis medicamentis, sed exsiccantibus (ut vocant), aspersione videlicet pulveris sabinæ, vel pulv. Marchetti, quem in Obs. Chirurg. VIII. laudat. v. gr.

Rec. Schænanthi
Spicæ nardi ana. q. s.

Nonnunquam verò fungus iste tantum sumit incrementum, ut necesse habeamus filo sericeo eundem arctius circa radicem tamdiu ligare, donec succo nutritio destitutus emarcescat, tandemque decidat. Ne verò generetur, in principio operculum ex lamina aurea vel argentea ita apponitur duræ matri, ut carnis fungosæ proventus compressione ista impediatur.

Totum hoc negotium ob oculos ponitur *in Fig.* 8. & 9. TAB. VIII. ubi *in Fig.* 9. Lit. e.e.e.e.e. designatur fissura cranii & hiatus notabilis, ex qua corpus fungosum prodiit. f.f.f. fungos è fissura prodeuntes denotat. Reliqua fragmenta & alia, infra notanda, designant. Cum enim

CASUS

hic tum à *D. Anhornio*, Medico Sangallensi, tum ab illustri *Dn. D. Joh. Courado Brunnero*, Medico-Chirurgo nostri seculi Famigeratissimô observatus & tractatus, ea, quæ in antecedentibus de cranii depressione & fracturis, ut & fungis cerebri diximus, maxime illustrent, hinc eundem iisdem quibus *in Miscellan. S.R.I. Acad. Naturæ Curiosorum Dec.* 2. *Ann. IX. Obs.*174. *p.* 321. recensetur, verbis hîc inserere volui, qui ita se habet:

Nobilissimi Domini Michaelis Rietmanni, Mercatoris famigeratissi-

gratissimi Filius, die 18. Februarii 1683. in hanc lucem editus, animi & corporis supra ætatem vegetioris, ingenii felicis, habitus teneri & gracilis, in sudores levi ex motu diu noctuque exsolubilis, die 31. Julii 1690. circa quintam vespertinam de equo, ad velociorem cursum incitato, in terram decidit, caput vel lapidi allisit, vel, uti prius existimatum fuit, ab equi solea calcatus, vulnus prægrande in capitis dextro bregmate versus suturam sagittalem accepit. Puer, utpote natura alacrior, sponte in pedes sese erexit: cum verò copiosum sanguinis profluvium animadverteret, animo pene derelictus, & ab accurrente plebe ad Chirurgum peritissimum Dn. Sebastianum Müllerum deductus, mox animum recollegit, & vel explorationem, vel deligationem vulneris nonnisi durioribus verbis tandem exceptus; concedere voluit. Capillis derasis, sanguinis fluxu coërcito & vulnere debitè deligato propinabatur à Chirurgo potiuncula contra casum, ex decoctione specierum traumaticarum parata, quam patiens vomitu mox reddidit. Circa octavam ego vocatus, puerum a vomitu continuo delassatum & omnibus viribus fractum, qui levem corporis commotionem, vel verbi prolationem iterato vomitu luebat, cum pulsu debili offendi: quietem summam imperavi & mixturam cochleatim exhibendam præscripsi, ex stomachicis & archæi ferociam compescentibus, Aqu. sc. Menth. Flor. Aurant. Confect. de Hyacinth. Theriac. cœlest. & Syrupo anodyno. Tota nocte singula assumpta revomuit, mane stomacho applicatum Emplastrum diachalcit. cum Theriaca, oleo N. M. & balsamo de Peru. De mixtura stomachica nonnisi tertia pars cochlearis, & tantum quoque de jusculis vino acidulatis, subinde exhibitum, cum præsenti levamine. Secundo die vulnus deligatum non fuit, novæ ob metum hæmorrhagiæ. Stomachus sub vesperam omnia minori dosi ingesta toleravit. Patiens nonnisi de frontis intenso dolore & scotomiâ post quamvis capitis commotionem conquestus est. Tertio die remotis applicatis, vulnus figura sua ovali longitudinem sesqui unciæ, unius latitudinem unciæ habuit, & cranium medium pollicem depres-

sum

ſum apparuit. Dolor in fronte, medio inter utramque oculi orbitam loco, vehemens adfuit, vires deficiebant, ſomnus fuit inquietus & breviſſimus, vomitus quandoque rediit. Cuti cum ſubjacente panniculo carnoſo ex contuſione ſphacelatis, ſuppuratione digeſtivis promota ablatis, cranium nudum viſui ſe obtulit, hiante per ejus medium oblongâ & ſtylo exactè perceptibili rimâ ceu fiſſurâ conſpicuum. Quinto die ex pertuſo cranio fungus pullulavit digitum craſſus, pollicem longus, pede graciliore ſuffultus, è medio vulneris prominens, ad latera facile mobilis, à cujus utraque parte oſſibus cranii denudatis cum filamentis carptis pulveres ad oſſa ſpecifici, fungo vero unguentum ſuppurativum, reliqua vulneris cavitas impleta filamentis ſiccis, obtecta ſingula emplaſtro de betonica, cum ſtictico commixto, & caput cum vertice inunctum ol. è floribus cyani & lumbricorum, fronti quin etiam anodyna varia applicata fuerunt. Interea patiens, plus nimium ſenſibilis, neutiquam neceſſariam vulneris explorationem tulit. Parentibus propoſita fuit indaginis accuratioris & forſan cranii depreſſi elevationis neceſſitas, ad id nonnunquam in privatis diſcurſibus ab Excell. Archiatro noſtro *Dno. Doct. Baumgartnero* impulſi; ſolicitatum ſæpius fuit, ut & ipſe Chirurgicarum ἐγχειρήσεων peritiſſimus vocaretur; horruit vero & contremuit patiens, ſi vel fortuita ejus mentio incideret. Parentes, Filii tenerrimo amore digniſſimi, malis profundius affecti, violenta quævis ſeponere & mitiſſimam, quæ quidem inveniri poſſit, viam procedere juſſerunt, id conſtanter inculcantes Filii vires acriori medendi generi ſufferendo impares eſſe, & vel ſolo ex metu convulſionibus ac diſcrimine vitæ expoſitum iri; malle proin eum ab uſu remediorum mitiorum ſuccubuiſſe, quam tantis tædiis, tantisque inferendis doloribus eventui ancipiti expoſuiſſe. Itaque cum nulla ſymptomatum deteriorum præſentia, omnem de ſchediis & inæqualitate irritativa interioris cranii partis ſuſpicionem excuteret, ſepoſita ejuſmodi elevatione qua coeptum via perrectum ad trigeſimum uſque diem. Interea

tem-

temporis, cum ossa nigredine inficerentur & dolor in fronte ac à parte vulneris postica ad usque auris basin intenderetur, fungus ne minimum decresceret, quin potius omnes vulneris oras expleret, solis exsiccantibus hunc tractare constituimus, ac proin pulverem *Paræi* ex partibus duabus sabinæ & una ochræ confectum, mane & vesperi imposuimus: alteri ad ossa destinato euphorbium addidimus. Ossiculum, quod exterius cranii tabulatum credidimus, magis magisque è profundo in dies elevatum tandem 13. septemb. & 45tò vulneris die à fungo, ex ossiculi loco natali succrescente, omniaque ejusdem vestigia obturante non sine dolore (frontis præcipuè) extrusum fuit. Pulvis *Paræi* ad finem usque mensis septembris, quatuordecim scilicet diebus, usurpatus nihil effecit: acuatus proin alumine usto, notabilem quantitatem absumsit, instar pellis quotidiè separabilem. Symptomata dolorifica cum exinde increscerent, vomitus omnium assumtorum rediret, & æger ex defectu appetitûs & somnolenta febre extabesceret, acriora omnia, utpote communi Chirurgorum peritissimorum suffragio damnata, & infelicis hujusmodi sobolis genuina genitrix nuncupata, exulare jussi: compertissimum quamvis habuerimus ossiculum A, quod interea abscedebat, labia vulneris mordicando atque fricando, dolores egregiè adauxisse. Jam verò vestigiis insistere *Fabritii Hildani* conclusum, qui genuinam fungorum curandi methodum *Centur.* 1. *Observat* 15. prolixius tradit, effectui datum non sine successu: dolor scilicet capitis ab eô tempore (præsertim postquam subsequente septimanâ, d. 6. octobris aliud adhuc ossiculum, priori multò minus, sine notabili alteratione prodiisset) cum omnibus symptomatibus mitescebat, & propemodum sublatus fuit: appetiit, comedit, somnum habuit, actiones omnes animales vitales & naturales ritè obiit, corpore insigniter adauctus, ex testimoniô Parentum totâ suâ vita habitior non fuit, vestibus ordinariis indutus hinc inde obambulavit, cecinit, saliit, & pro more lætissimus ludis puerilibus tempus fallebat; mansit ita ad usque duodecimam septi-

manam,

manam finem incirca octobris, quo temporis spatio fungus faciem minimè mutavit. Sub 4ti verò mensis initium, cum puer tempestate pluviosa licentiosius de fenestrâ prospexisset & horrore subitaneo, cum subsequentibus ardoribus & dolore frontis, correptus esset, fungusque manifestè increvisset, me inscio pulvis euphorbii cum alumine usto inspersus & paucos intra dies penitus absumpsus fuit. Ast verò alius intra 24. horas, ovi gallinaei magnitudine extra vulnus prominens succrevit: symptomata pristina invaluerunt: insuper accesserunt dolor in vertice exquisitus, anorexia, sudores, sitis, terrores, agrypnia. Superficie fungi absumentibus detracta, pulsatio ingens arteriarum in eô conspiciebatur, paulò durius instrumentis ferreis tractatus sanguinem copiosissime fudit. Retulit aliquando Chirurgus, stylum per medium fungi ad insignem longitudinem versus latus lævum intrudi posse, alium meatum recta deorsum versus substantiam cerebri stylo patere; unde qui rarius tum temporis ægrum visitavi αὐτόπτης esse, & studiosius inquirere volebam, num intra vel extra cranii parietes sinus hic lateat? instituta exploratione tam profundè penetrabat stylus, sine ullâ quidem resistentiâ & ullo patientis dolore, ut ipsissima cerebri substantia perforata mihi videretur; idcirco omnem in posterum explorationem, uti temerariam, ita in affectibus capitis periculi plenissimam seriò prohibui. Pus album & penè probè coctum nonnunquam ex sinu dicto profluxit, aliquando verò, quod post principium novembris contigit, aliquot diebus penitus obstructus, nil præter tenue serum emisit; dolor exinde capitis & verticis immaniter increverunt, vomitus & cetera symptomata augebantur; quæsitus idcircò meatus, cujus ab aliquo tempore vestigia relinquimus, denuo fuit, inventus etiam & puri copiosissimo exitus paratus, ex quo in instanti, incantamenti adinstar, symptomata dicta evanuerunt. Tentata rursus à Chirurgo fungi per absumentia exstirpatio, quâ impetrata, compressione præpedire novam propullulationem animus fuit; at symptomatum indies increscentium vehementia, & æger magis magisque corpore viribus-

que deficiens, omnem optati successûs spem præcisura videbantur. Decimo novembris die, cum hactenus omnis industriæ fructus perditus & Penelopes tela toties retexta fuerit, corpori fungoso filum sericeum duplicatum, arctius quotidie constringendum, injicere statutum, quod peractu tantò facilius visum, nobisque majores addidit stimulos, quò basis reliqua corporis mole gracilior fuerat; at pulsatio arteriarum enormis concitata, qua integer fungus commoveri ac subsultare videbatur: perrectum nihilominus, quo cœptum pede erat, donec cum maximo & intolerabili fœtore maxima ejus pars putredine consumta una cum filo excidisset. Vulnus ichorem serosum copiosissimè fudit, quo linteamina quævis capiti imposita velut aquæ intincta madebant; dolor frontis & occipitis permanebat: convulsionum indicia apparebant: sudores colliquativi augebantur, & habitus corporis reliquus lenta continua febre sensim conficiebatur. Die 17. dicti mensis, cum Celeberrimi & Excellentissimi *Domini Doctoris Brunneri*, Fautoris mei colendissimi, in patrias oras reditus, (pristinæ sanitati felicissime restituto Serenissimo Principe Hasso-Cassellano) ex propriis, quibus me altero post sui adventum die dignatus est, literis innotuerit, non defui, quin statim assensu à Parentibus de Filii calamitate mœstissimis impetrato, in responsoriis exposito obiter ægri statu, rogarem, ut quantocyus liceret, Sangallum se conferre, prudenti consilio suam nobis navare operam & auxilio succurrere laboranti haud respueret. Interea fungus gangræna corruptus nigricans, sordidissimus & velut à canibus dilaniatus, horrendus aspectui obveniens, spiritu vini theriacali myrrhato lavatus, unguento digestivo putredinem arcente munitus, & emplastro consueto coopertus fuit. Febris lenta, quæ hactenus æqualis diu noctuque aderat, nunc sub vesperam suas exacerbationes pati videbatur, ex pulsu fortiore, capitis dolore adaucto, inquietudine &c. Symptomatica autem cum fuerit ex capitis vulnere, à miasmate quodam purulentô, massam humorosam & spiritus inquinante, motumque sanguinis fermen-

rati-

tativum ac varias, ferociori ejusdem in partes impulsu, membranarum irritationes producente profecta; juxta sedulam externorum mundificantium & partis corruptelam removentium applicationem, absorbentia & alkali divitia febrifuga ex ocul. cancr. pulv. conchar. diaph. jovial. quantum ab ægro etiam gratiora removente impetrare licuit, exhibuimus. Die 18. cum patiens totam diem satis commodè tereret, circa vesperam in extremis perfriguit, soliti dolores redierunt, & tandem convulsiones lateris dextri, singulos artus, cum capitis motu tremulo per integræ spatium horæ, integris sensibus concutientes successerunt; addita proin cæteris medicaminibus antispasmodica cinnabarina: nucha & spina dorsi inuncta fuerunt ol. è floribus Slotan. lumbricor. & Castorei. Die 21. eâ quâ nudius tertius horâ convulsiones superius recensitis symptomatibus stipati redierunt; concusso violentius latere per mediam horæ, hemiplegiæ illud resolutum, & non tam ἀναίσθητον quam ἀκίνητον factum, tandem frictionibus & lotionibus cum spirituosis restitutum fuit, sola debilitate & virium impotentiâ remanente. Febris abhinc typum quotidianæ continuæ exactè observabat. Patiens totam diem benè transegit, moderatè comedit, non sitiit, nec doluit ex capite, non vomuit, multò minus deliravit aut convulsus fuit. Vesperi autem circa nonam perfriguit nasus, inde dolor capitis initium sumsit, & sensim usque ad duodecimam crevit; hinc caluit & sitiit æger, deliravit & subinde convulsus fuit, postea successivè remisit, & manè mitiora omnia fuerunt. Uti verò internus ægri status deteriora quævis minitatus, ita externus lætiora omnia & felicia promisit. Corruptæ fungi partes sensim decedebant, & hujus loco caro quidem alia fungosa, at coloris instar substantiæ cerebri cineritii, emergebat; certò nobis indicio, gangrænam profundius non serpsisse, nec meninges vel cerebrum ipsum corrupisse. Die 25. Novembris celeberrimus & Excell. Dominus *Doctor Brunnerus* exoptatissimo suo adventu, utinam mensem maturiori! nos beavit, atque præsentia per triduum exhilaravit, quæ deinceps acciderunt patienti,

 conti-

continuò præsens, sedulò observavit, singula exactè consignavit, & remedia, quantum tulit ægri deplorata conditio, amicè nobiscum communicato consilio, applicuit, cujus proin ipsissima verba apponam: Circa sextam vespertinam vulnus deligatum fuit: est in osse bregmatis dextri, supra commissuram cum osse parietali, versus suturam sagittalem tendens, ℥iß. longum ℥i. latum; versus os parietale caro firma est, versus partem superiorem oræ vulneris carne luxuriante tument, ex medio vulnere fungus propullulat nucis juglandis crassitie, multiplex instar cristæ galli, totum opplet vulnus, indolens est, pulsatione arteriarum commovetur, interdum mitius, interdum impensius, facilè cruentatur: per medium fungum meatus ducit ad profundum cerebri, quod vix explorare ausus fui, dum Chirurgus perhibuit nuper ad digiti longitudinem stylum sub cranio versus partem lævam capitis admisisse, cum tamen sinus longitudinalis arctissime cranio cohærens, & corpus falciforme sub dura matre stylum impedire debuisset: sero scatuit potius quàm pure & illud nuper ex profundo pulsu arteriarum saliisse copiose ajunt. Die 26. noctem habuit inquietam, doluit ex capite, fronte & occipite: impensè vomuit abhinc cum insigni conatu & deliravit. Circa quintam matutinam melius habuit & obdormivit. Fungus manet idem: oras vulneris obtegit Chirurgus filamentis siccis: fungo ob purulentiam imponit theriac. cum camphor. spirit. vini, aqu. lactucæ & solani, laudat effectum hujus. Imposui stomacho cataplasma ex micâ panis, fermento, pulvere menth. juniperi, nuc. moschat. & mastiche, cum aceto cocta; toto die bellè sese habuit: comedit in prandio jusculum & de pullo pauca, quod diu non contigit: loco cœnæ, hordeati cochlearia tria & pomi cocti nonnihil: itidem benè habuit, dormivit subinde, nullum dolorem capitis sensit: circa nonam nasus perfriguit, postea dolor capitis sensim incepit & crevit: bibit decoctum C.C. pulsus circa decimam intensior fuit, non tamen caluit nisi naturaliter: circa duodecimam sæviit dolor in fronte & occipite; caluit & sitiit; desæviit circa tertiam & obdormivit;
postea

postea ter vomuit: nunquam deliravit uti præcedentibus noctibus, nec vomitus tam vehemens fuit, nec dolor tam diuturnus. Die 27. manè querulus fuit, doluit parum ex capite in fronte: pulsus excitatior adhuc: urina crassa & tincta cum sedimento farinaceo: vulnus multum seri limpidi fudit: fungus non crescit, potius decrescit, & pulsatio lenior: imposuit Chirurgus linteamina sicca oris, & fungo mixturam ex camphorâ & theriacâ; obtexit emplastro angustiori diapalmæ, abhinc emplastro alio de betonica, imposuit splenia calida, & obligavit fasciis congrue. Post deligationem tussivit & vomuit mucosa, spumea: debilis abhinc & capite tremulo, nec erecto esse potuit corpore, dedimus pulverem: Rec. C.C. phil. præparat. antimonii diaph. aa. gr. v. lapid. bezoart. or. gr. iii. cinnabar. antimonii rectificat. gr. ii. M. doluit ex capite: ex vulnere multum seri effluxit: loco prandii sumsit bina cochlearia juris conquestus: est de dolore capitis in fronte & occipite, caluit & sitiit. Serum copiose fluxit ex vulnere & linteamina permaduerunt inde ac fœtuerunt. Vesperi vulnus deligatum fuit, mirum visu! subsidit vulnus & fungus: per ingens chasma cerebri substantia profundius visa fuit: serum turbidum regurgitavit ex profundo cerebri inter tussiendum. Vulnus sicce deligavimus & emplastro obteximus: debilis fuit, caput tremulum: constabat tamen mente & integris fuit sensibus, etsi cerebrum magnam partem defuerit. Die 28. usque ad medium noctis inquietus fuit, sitiit, bibit decoctum CC. cum ocul. cancror. vomituriit: oculorum bulbi movebantur epilepticè: conquestus est de pede sinistro: dolor capitis non intentus fuit. Die 29. vir Excellentissimus, à negotiorum practicorum cumulo avocatus, moras rupit & discessum à nobis paravit, absentiam verò tanto tulimus ægrius, quo propius vitæ finem instare ex subsecutorum symptomatum pessimorum catervâ subodorari facilimè licuit: primæ ejusdem diei deligationi adhuc interfuit. Vulnus quod hesternâ vesperâ monstroso ac portentoso chasmate patuit, hodiè vel sui vestigia non habuit, utpote germine novo fungoso unius noctis

penè obliteratum. Quadrihorio post celeberrimi Domini Doctoris *Brunneri* discessum misellus sextâ vespertina tetano correptus omnia membra æqualiter extendebat. Successit opistotonos, quô caput versus dorsum reclinatum, pedes autem versus nates retracti, ad usque sequentis 30. nov. diei vesperam, nullam situs mutationem admiserunt; leviter enim vel his vel aliis corporis partibus commotis, aut extensione tentatis, tota σύςασις horrendis motibus convulsivis concutiebatur, ita etiam ut ori ingesta, spasmo fibris gulæ pertinacius constrictis, per œsophagum neutiquam descenderunt, quin potius ad caput laryngis delitescentia irritationem, tussim, vomendi conatum, tandemque convulsiones universales excitarint. Sensus, mens & loquela ad usque vitæ finem perstiterunt. D. 31. vulnus ob debilitatem Ægri ac tanta commotionem corporis excipientia incommoda, deligatum non fuit, sub vesperam hordeati cochlearia tria belle deglutiit: caput totâ die quasi dorso retroligatum gestavit. Circa sextam perfriguerunt extrema, dolores consueti redierunt, frons diu noctuque in matris manu teneri ac foveri debuit, à quô sibi quid levaminis accedere putavit; mox convulsionibus singula membra tremuerunt, mox tetano extensa riguerunt; tandem cum stertore & sonitu inter respirandum ingente, inter pias adstantium preces & fletus amaros, ex luctuosa hâc miseriarum valle ereptus, fato concessit. Celeberrimus Dominus *Doct. Brunnerus* egregium usum, qui ex anatome cadaveris & indagine loci affecti accuratiore in rempublicam medicam redundare posset, ante discessum seriò inculcans, calcar addidit hoc gratiæ & licentiæ à Parentibus (alioquin ad hujusmodi exercitia satis difficilibus) expetendi. Non fuit qui majore & authoritatis & persuasionis vi hanc apud familiam polleret, aut qui nostras partes prudentius aut felicius ageret, vel hoc officii æquiore animo præstaret, ac frater genuinus, Excell. & Consultiss. Dominus *Christoph. Hochreutenerus*, U.J.D. & Reipublicæ nostræ Secretarius, nec spem fefellit eventus; desiderio satisfecit, assensum obtinuit & anato-


mes

mes ſpectatorem teſtemque ſe præbere dignatus eſt. Mille votis expetita fuit peritiſſima ac dexterrima ſecandi manus Excellentiſſ. noſtri *Domini Doct. Brunneri*, ac quod hâc vice impetratu non erat, nos pro viribus ſuſcipere ac exequi conati ſumus. Vulnus externâ facie, deleto fungoſi germinis pridie ſubnati obturamento, in foveam ingentem collapſum, ex quâ ſubſtantia cerebri, ſordido ſcatens ex flavo virideſcente pure conſpicienda, apparuit: characteres tamen & ſtigmata fungi non penitus extincta, ſed circa cranii pertuſi locum, ubi oſſicula duo abſceſſerant, circulum formarunt, ſuperius pennæ anſerinæ, inferius digiti minoris craſſitie, quo cranii diffracti extremitates velut annulo & munimine, circumcincta fuerunt. Cutis decuſſatim diſſecta & ſeparata; à parte vulneris poſticâ ad uſque auris baſin (quo loco ab initio adfectus vehemens dolor ſentiebatur) duorum digitorum latitudine cum pericranio flavebat, cætera verò per totum calvariæ ambitum naturalis coloris conſpiciebatur: integra omnia (excepto loco affecto) nullibi contuſa, fracta vel fiſſa fuerunt. Cranium per orbem placido ſerræ ductu apertum, forti nexu cum meninge ubique cohæſit, & ſpatulis validis reſolvi atque attolli debuit; nullibi autem validius concrevit quam circum circa locum affectum, ubi meningis cum cranii diffracti orbe coalitus, nulla vi avellendus, cultro adſcindi debuit; hoc inſuper notatu digniſſimum erat, fungoſam extremitatibus cranii diffractis obductam ſubſtantiam corpus ſingulare non conſtituiſſe, ſed ipſiſſimæ meningis continuationem & valorum ejuſdem prolongationem fuiſſe: ex quo luce clarius patet, ſtylum, ſæpius vulneri ſub calvariâ intruſum, intra meningis ambitum ipſam cerebri ſubſtantiam perreptaſſe & proin tales explorationes periculo non vacaſſe. Abſciſſa à cranii pertuſi extremitatibus coaleſcentia meningis ſubtumidâ, dura mater, à parte ſui inferiore, ad uſque cerebri baſin ſphacelata, ad latus verò anterius & ſuperiore ſui parte, quâ Εγκέφαλος inveſtitur, nulla labe infecta comparuit. Cranii olla detecta & examini ſubjecta, ceu fiſſuræ aut contrafiſſuræ notas, de quibus nonnulli per morbi decurſum

sum somniarunt, non habuit: in loco autem affecto egregiè conspicuam introcessionem, in orbem sublongatum efformatam, nobis exhibuit; hacque omnem de calcatione absequi soleâ factam suspicionem delevit, quin imò lapidi acuminato allisum fuisse figura depressionis ovalis clarissimè ostendit. Cranii lamina, tenuis admodum & circa locum affectum ossiculis extrusis crassior vix fuit. Ex parte vulneris superiore, quæ carne luxuriante tumuit, & semper aliquid puris eructavit, ossiculum nigricans, à cranio penitus separatum & extrusioni proximum, intra triduum abscessisset. Os laterale, quod novâ iterum & firma carne obduci videbatur, unciam longum, semiunciam latum, profundè depressum, denticulata sui circumferentia fracturam evidenter demonstrante, tam fortiter cranio rursus accretum & connexum inhærebat, ut elevari digitis non sine vi potuerit. Ossiculi A. interna superficies asperior fuit, à puris acrimonia ita corrosa. Schedia in vulneris gremio nulla sedulò explorantibus obvenerunt, licet major & amplior obtusionis aut pertusionis cavitas apparuerit, quam quæ ossiculis extrusis obtegi potuisset. In vulneris pervestigatione omnium Lena malorum statim se prodidit, dum pars meningis, cum insigni de cerebri substantia quantitate, absumta cerneretur, & meatus prægrandis, tres digitos admittens, ab inferna vulneris parte paulo supra basin cerebri incipiens, & pure scatens copioso, per ejus hemisphærium ad usque inferiora pateret, ventriculi cum omnibus encephali internis meatibus pure flavente & insigniter fœtente inundati, pro capitis situ mutato, pus fluctuans hinc inde, modo in dextros, modo in sinistros cerebri sinus effusum admitterent: quod ipsum conjecturæ nostræ indubiam fidem fecit, cur sc. latus oppositum convulsionibus agitatum & resolutum fuerit? quandoquidem patiens, continuo in latere sano decubitu, puris in eâdem cerebri parte confluxum, partium extensionem atque irritationem majorem causatus, necessario pejora ex vulneris opposito latere symptomata expertus est. Protuberantiæ omnes internæ saniei mediis in undis fluctuabant. Plexus chorioidæi binæ

alæ

alæ super medullæ oblongatæ crura seu ventriculos exporrectæ, subputridæ, nigricantes, & corruptæ fuerunt. Superior & corticalis cerebri substantia cum suis anfractibus & corpore calloso omni labe carebat. Anteriore cerebri limbo elevato, & versus posteriora reclinato, juxta nervorum opticorum crura pus copiosum prorupit; ex quo manifestissime doloris, à principio affectus ad ultimum usque vitæ halitum perpessi, causa patebat. Basis anterioris cerebri partis, una cum binis membranis, nihil corrupti monstravit: posterius autem meninges subputridas & lividas habuit. In vulneris loco, ubi cerebri cortex ad usque basin absumpta fuit, & in penetralia cerebri sanies perrupit, nobilissimum hoc viscus puri copioso innatabat, & partium inferius (instituta methodo Varoliana anatome) observandarum, glandulæ scilicet pituitariæ, vasorum ex carotidibus &c. utpote pure exesarum, vix vestigia habuit. Cerebelli superficies optimæ notæ, fundamentum verò, dextri præsertim hemisphærii, magnam partem & multo profundius sinistro purulentum ac sanie fœtida consumta videbantur. Specus ossea, seu cavitas vertebrarum, pedullam spinalem excipiens, purè copiosissimo exundabat. Hæc sunt quæ positi à parentibus exigui temporis cancelli lustrare permiserunt, à cæterarum pectoris & abdominis partium perlustratione non tam tempore quam serio Parentum interdicto exclusis.





CHIRURGIÆ MEDICÆ
SECTIONIS II.
DE
AFFECTIBUS COLLI ET THORACIS
CAPUT I.
DE
MORBIS FAUCIUM & GUTTURIS.

§. 1.

Ad medium ventrem huicque annexum collum jam delati primo omnium inflammatio muſculorum colli, ſcil. ANGINA ſe offert, de qua cum in Prima libri hujus Parte, in doctrina de inflammationibus, actum fuerit, hóc in locó ſaltem operationem Chirurgicam, in ſummo ejus gradu neceſſariam,

BRONCHOTOMIAM

ſc. (quam alii minus rectè LARYNGOTOMIAM, *Fienus* autem concinnè admodum TRACHEOTOMIAM vocat) tradituri ſumus.

In quibusdam enim ſubjectis Angina laborantibus, non ob-

ſtanti bus

ſtantibus remediis tum internis, tum externis, arteria aſpera ita anguſtatur, ut præſentaneum ſuffocationis periculum immineat. Præſtat igitur anceps, quam omninò nullum hic remedium adhibere, ſc. Bronchotomiam, qua prudenter & cautè inſtituta nonnullos ſervatos fuiſſe experientia teſtatur, qua econtra omiſſâ ægris certò pereundum eſſet; & quamvis *Aretæus* olim hanc operationem impugnaverit, nihilominus rationibus & argumentis ejus *Hieron. Fabrit. ab Aquapendente Tr. de Chirurg. Oper. pag.* 234. *Edit. Patav.* ita ſatisfecit, ut absque ullo piaculo eandem, tempore neceſſitatis, in uſum vocare liceat.

Modum eleganter deſcribit *Nuckius* in *Experiment. Chirurg. xxv.* verb. ibi: Servus à tergo patientis in ſedili collocati caput, ſcapulam verſus reflexum, immobile teneat, cutimque atramento prius notatam ſiniſtra Chirurgus, & dextra famulorum alter elevet, elevatamque incidat. Facta inciſione ſeparatisque tantillum muſculis ſternohyoidæis diductisque digitorum ope integumentis, intra tertiam & quartam, vel quartam & quintam cartilaginem, vulnus infligat, quo inflicto aër ſtatim impetuoſè exit, patiensque levamen aliquod percipit; mox tubulum aureum, aut argenteum, vel plumbeum, lævem & in extremitate rotundum leviterque incurvum, variis foraminibus perforatum & alatum, foramini facto immittat immiſſus emplaſtro glutinatorio & perforato affigatur, ibidemque tamdiu maneat, donec patiens via ordinaria ſpiritum rurſus ducere poſſit. Poſtmodum ad partis læſæ conſolidationem perveniendum, vulnusque aſperæ arteriæ, ſi multum hiet, ſuturâ quadam adducendum, caputque magis pronum geſtandum, quò cartilaginum latera eò propius ad ſe invicem accedant.

Cavendum interim, ne humida aut oleoſa vulnus intercartilagineum ſubintrent, quia facile nova inde oriri poſſent ſymptomata; medicamentum denique parti cartilagineæ applicandum ex Balſ. copayv. hypericon. & ℴℴ terebinthinæ componatur vulnerisque

reliquum ordinariis consolidantibus, vel seqq. unguento ad cicatricem perducatur:

Rec. Terebinthin. lot. ℥.
Pulv. mastich. ʒi.
Alb. ovi vitell. permixt.
q. s. F. Ungt.

§. 2.

Hac operatione non obstante reliqua tracheæ VULNERA, sub claviculis & in thorace reconditæ inflicta ab accuratissimo *D. Bohnio Examin. Vulnerum lethalium p.* 279. pro simpliciter lethalibus habentur. Cum enim nulla medicamenta hic applicari, nec alia ratione iis succurri possit, necessario suffocantur ægri, dum ob aeris irrumpentis admissum elaterium vesiculari pulmonum substantiâ compressa respirationis negotium cessare soleat, conf. *Joh. Maurit. Hoffmannus, Anat. Patholog. p.* 200.

Idem de Larynge penitus exscissa statuendum, cujus triste aliquot ante avis exemplum vidimus in ἀυλοχείῳ, quod *Disp.* quadam *Inaugurali* hic ventilatum fuit.

CASUS

sequens erat: Claustrarius quidam, quinquaginta sex annorum, temperamenti cholerico-melancholici, habitus corporis strictioris & macilenti, ante aliquot annos maniam (occasione filii natu majoris peregre domum revertentis & ex contentione cum Patre habita furore maniaco ex improviso correpti) passus fuit, postea vero restitutus afficitur adhuc melancholicorum more angustia præcordiali atque constrictione circa costas nothas, intercurrentibus inconditis cogitationibus ac speculationibus. Ante mensem & quod excurrit alternis fixisque speculationibus in tantum obruitur, ut sui opificii negotiis sese subtraheret ac consortium hominum (præsertim cum ei de Melancholico aspectum hominum timente & de altero qui ex melancholia se interfecerat, narratum fuisset) fugeret.

Die

Die decimo Januarii, anni currentis, horâ octavâ matutinâ in hypocaustum superius solus se confert januamque sera claudit; uxor ejus atque liberi, cum malum per paroxysmos eum affligere scirent, exacerbationis diem adesse putantes, nihil insoliti metuunt, sed ægrum more consueto solitudinem quærere sibi persuadent; ast cum circa undecimam illum ad prandium vocare vellent & januam clausam invenirent nec vocitantes claustrarium respondentem audirent; per fissuram januæ introspiciunt eumque humi jacentem & sanguine conspurcatum observant: proin maximo terrore perculsi advocant vicinos, qui fores vi aperientes, depositas pone januam alvinas fæces, virum vero in proprio cruore quasi mactatum inveniunt, qui quantum ex inspectione apparebat cultro adjacente pergrave vulnus duorum digitorum transversorum latitudine, pone aurem dextram incipiens & sub mento ad aurem sinistram se extendens, collo inflixerat proprio; quo ipso larynx in totum cum epiglottide fuerat exscissa, œsophagus usque ad posticam partem, ubi suis musculis processibus ossium cranii annectitur, discissus, venæque jugulares externæ, una cum ramulis quibusdam lateralibus utriusque carotidis, partibus colli inservientibus nec non carotide externa lateris dextri abscissæ, cum enormi sanguinis profluvio, ita ut æger pene exsanguis mortique proximus, humi prostratus, solo stertore vitam indicare consp iceretur; attamen præterlapsis aliquot horis, recollectis viribus, mentis fiebat compos, & respiratione liberrima, ad quævis prolata, fractâ quidem & minus articulata aliquo modo tamen intelligibili, voce respondebat, quapropter Magistratus & Medici præsentis jussu, Chirurgus vulneri Emplastrum oxycroceum ac fotus discutientes applicabat. Altero vero & sequentibus diebus cum à præsentibus & aliunde vocato Medico ac Chirurgo nullus œsophagum partesque interiores abscissas connectendi modus inveniri posset, digestivo & priori emplastro, singulis diebus aliquoties vulnus deligatum, ac totidem vicibus an per siphonem aliquid alimenti vel liquoris confortantis injici ventriculo possit, tentatum fuit; sed partim

œſophagi collapſio & verſus ventriculum retractio, partim vomendi conatus ac lympha viſcida epiglottidem obſidens, & commotiones ac ſcreatum excitans, impedimento erant, ita ut vix unum vel alterum cochleare injicere valeremus; nihilominus, licet fame & ſiti adeo affligeretur, ut ſæpe partes oris refrigerandi & humectandi cauſa aliquot vitra majora aqua ſimplici plena ſumeret & per vulneris aperturam in ſuppoſitam patinam emitteret, ſanæ mentis erat, ut & cauſam impulſivam læſionis, ſcilicet mentis turbationem, Germanicè: Es ſeye ihm ſo wunderlich im Kopff gewesen/ daß er ſich nicht gewuſt zu helffen/ minus articulatis tamen verbis indicaret; miſerrimam ita vitam in undecimum diem trahens (ſummè debilis ac viribus deſtitutus) cum occaſione pomi manducati, partes vulneratæ preſſæ ac commotæ aliquam ſanguinis reſtitantis partem (ex læſâ ſine dubio arteriâ carotide externâ) profunderent, ſolito inquietior fiebat & reſpiratione difficiliore reddita paulo poſt vivorum numero eripiebatur.

Sectione cadaveris altero die inſtituta, pars oſſis bicornis cum larynge exſciſſa, reliquæ vero colli partes modo jam recenſito vulneratæ & œſophagus (qui ad duorum digitorum transverſorum latitudinem verſus inferiora ſe retraxerat) ita diſciſſus, ut tertia ſaltem latitudinis parte adhuc cohæreret, inveniebantur. In pectore, remoto ſterno, pulmones punctulis nigricantibus maculati, cor optime conſtitutum vaſaque annexa ſanguine penè deſtituta in conſpectum veniebant. Apertô abdomine viſcera ejus ſingula ut & lien naturaliter erant conſtituta: Ventriculus valde conſtrictus ac inteſtino tenui prope ſimilis, in cavitate ſua parum liquoris ſalivæ ſimilis continens, viſui ſe offerebat.

De reliquorum vulnerum in confiniis aſperæ arteriæ atque bronchi, ſive vaſorum ſanguiferorum ramis majoribus, ſive aliis partibus inflictorum renunciationibus vid. *Pandectæ* & *Novellæ Medico-Legales*. Curam leviorum docet *F. Würtzius P. 2. Cap. ix. & x.*

§. 3.

§. 3.

In confiniis bronchi non rarò

STRUMÆ & SCROPHULÆ

occurrunt, quæ vulgò pro uno eodemque morbo à Lexicographis Medicis, *Brunone*, *Blanckardo* & aliis habentur. Aſt rectius à *Warthono in Adenographia c.* 40. diſtinguuntur in eo, quod Scrophulæ molliores & utplurimum minus profundæ, Struma verò immobilior & profundior exiſtant: priores tumore elevatiori, poſterior autem depreſſiori gaudeant, ita quidem ut in Struma unicus, in Scrophulis verò plures ſibi cohærentes obſervaventur.

Utrobique autem oriuntur, quando glandulæ colli, jugulares occipitales, à *Nuckio* ſic dictæ, à nutrimento proprio, aut lympha craſſiori, chylo crudiori, aut aliis particulis ſalino terreis, inter fibrillas illarum interceptis, occupantur, vid. *Joh. Maur. Hofmann. Diſp. Anatomico - Patholog. p.*212. ubi ex *Sylvii*, *Boneti* aliorumque obſervatione demonſtratur ſolas glandulas conglobatas, non verò conglomeratas (quales ſalivales ſunt) Strumis & Scrophulis obnoxias eſſe, ſimulque pro ſingulari nota additur in iis, qui ſcrophulis in collo laborant, viſcera interna, cumprimis meſenterium & in eo pancreas Aſellii, Scrophulis quoque laborare, ut præter *Riolanum Anthropograph. lib.*2. *Cap. V. Roonhuſius Obſerv. Chirurg. p.* 2. & *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 1. *Anno* 1. *Obſ.* 87. obſervarunt; id quod in Curatione illarum, præter externa, etiam internorum, purgantium, abſorbentium & incidentium l. diſcutientium uſum indicat. E purgantibus ſummoperè hic laudatur turpethum, quod *Scultetus* in *Obſerv. xxxi. Arm. Chirurg. annexis* ita præſcripſit:

Rec. Pulv. turpeth. ℈iv.
c. brod. Zingib. in Ind. cond.
q. ſ. F. Elect.

Hoc

Hoc internè & o℅ lacertarum externè adhibito mulierem à ſcrophulis totum collum occupantibus intra menſem liberavit. Alibi unguentum *Fabritii ab Aquapendente lib.* 1. *pentateuch. c.* 21. ſummè proficuum expertus fuit. Alias internè ſpongias etiam combuſtas, pellic. inter. ſtomachi gallinæ c. rad. ſcrophul. laudare ſolent, de quibus vid. *Sennert. Med. Pract. lib.* 2. *Part.* 1. *c.* 25. *D. Ledelius in Miſcell. Nat. Cur. D.* 2. *A.* 2. *obſ.* 141. ſeq. pulv. laudat;

Rec, Cin. ſpong. mar. cyſteolith. aa ℥ii.
Zingib.
Pip. long.
⊖. gem.
Cinam. opt.
Scrophul. maj.
Oſſ. ſep.
Pyrethr. aa. ℥ß.

M. F. Pulv. S. Kropff- Pulver D. à plenilunio ad novilun. ſingulis diebus.

Heic Oſteocollam, in Haſſia, circa Darmſtadium, Friedbergam & Butisbacum copioſe è terrâ ſcaturientem, Scrophulas curaſſe obſervatum fuit.

Quid verò ſi medicamentis, ut ſæpiſſimè fieri ſolet, tubercula hæc non cedant?

Equidem aut cauſticis, aut ſectione tunc easdem tollere jubet *Sennertus l. c.* Aſt cum plerumque vaſa ſanguifera majora in confiniis illarum lateant, hinc ob metum hæmorrhagiæ *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente Lib. de Operat. Chirurg. p.* 230. conſulit, ut à ſtrumis & glandulis in collo extirpandis abſtineamus, niſi quando ita putridæ evaſerint, ut ſponte ſua à ſubjectis partibus liberentur, deterritus exemplo *Albucaſis*, qui ſcrophuloſum ſub ipſa ſectione, ob nimiam ſanguinis profuſionem, exſpirare vidit. Idem in ſtrumoſa puella obſervavit *Hildanus Obſ. XXXV. pag. mihi* 216. Cum enim Genevæ ad puellam unicam ſtruma arteriæ aſperæ & nervo recurrenti adhærente laborantem vocaretur,

ean-

eandem prognostico relinquimus, quam præsentaneo periculo exponere maluit. Temerarius verò Operator superveniens sectionem illam audacter satis aggrediens vix adhibuerat novaculam & ipsa puella sub operationis actu spiritum Deo reddidit, Empirico mox in vincula conjecto. Idem facilè accidere potuisset Operatori Heidelbergensi, cujus mentionem faciunt *Miscellan. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann. V. Obs.* 226. *p.* 453. nisi sub prudenti & experta Machaonis nostri seculi famigeratissimi, *D. Joh. Conradi Brunneri* & *D. Georgii Franckii* (νῦν ἐν ἁγίοις) sectionem suscepisset.

CASUS

hic erat: Fœmina ex Helvetia, plus quam LX. annos nata, ab octo annis ad dextrum colli latus, sub mento sensit tumorem instar avellanæ, qui indies indiesque grandior evasit, donec tandem ad tumorem instar cucurbitulæ mediocris perveniret, qui sub cute poterat ferè quaquaversum propelli & quotidiè major evadebat. Non rubebat, non dolebat, si vel durius etiam comprimeres, sola mole molestus erat petebatque illam auferri. Convenerunt Excell. *Dn. D. Brunnerus & D. Francus* cum aliis Medicinæ mancipatis, Chirurgis & Pastoribus, explorarunt tumoris statum, vetula erat cordatissima. Tentavit præmissis precibus & votis sectionem *Joh. Simon Eichenberg*, Operator Chirurgicus, in cacumine tumoris, per medium ab anteriore parte cervicem versus cutim dividens; effluxit non adeò multum sanguinis, dein quaquaversum cute à contento tumore separatâ, sine notabili ægræ dolore, quæ sine ulla lipothymiâ, sine ullis lachrymis ad finem usque sectionem sustinuit. Tandem vena jugularis fermè lædebatur, qua ligata & remotâ parum, feliciter tota moles resecabatur, quæ ad lib. ii. facilè pependit, absque notabili hæmorrhagiâ, utut post excoriationem tumoris ac resecta cute, propter extensionem, superfluâ, conspici poterat larynx cum asperâ arteria. Absterso cruore, affuso liquore styptico & insperso pulvere sanguinem

guinem ſiſtente, vulnus obligabatur debitè, ægraque intra 3. ſeptimanas convaluit.

Curioſum eſt manum demortuam ſtrumas curare poſſe, cujus *D. Joh. Beule* experimentum feciſſe, unde homo curandus qſ. frigidum rivulum in cor devolutum ſenſerit, ut ferè animi deliquium paſſus fuerit, teſtantur *Miſcell. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Dec.2. A.2. Obſ.*141.

Gratior verò & acceptior eſt tactus ſtrumoſorum Regis Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ & Comitum de Habspurg: cujus luculentiſſima teſtis eſſe poterit *Domina Cleveland*, Pharmacopoei Pariſienſis filia. Hæc Caroli II. tempore Pariſiis Londinum veniebat, ut Regis manu a ſcrophulari malo (from the Kingsivil) quo laborabat tunc, liberaretur. Hujus pulchritudo inter tangendum adeò Regem faſcinabat, ut ipſam poſtea Ducis prærogativa & titulo prætereaque centum librarum reditu menſtruo donaret, referente *Anonymo C. H. E. D. Relat. de itinere ſuo Anglicano & Batavo p.*49. & quum omnes ægri, egeni utplurimum, à malo hoc per tactum Regis curati, ſubſidio quodam gratiali donentur, hinc ſuſpicari licet haud paucos ejus intuitu morbum ſimulare, curamque hanc putatitiam magis & palliativam, quam infallibilem eſſe.

§. 3.

Cæterum ſunt, qui

BRONCHOCELEN

cum ſtruma confundunt, cum toto tamen cœlo, quod ajunt, differant, quoniam hic glandulæ in collo ſalvæ & incolumes eſſe poſſunt. Bronchocele enim propriè eſt ſpecies quædam herniæ, inter aſperam arteriam & cutim oborta, quam utplurimum à nimia membranarum, ibidem expanſarum, dilatatione & ruptura, ſive per violentam ſpiritûs retentionem, ſive per ponderis gravioris geſtationem aut elevationem ſive per partum difficilem deducit *Dn. Joh. Mauritius Hoffmannus lib. cit. p.*218. & quoniam è fibrillis & tubulis ſimul divulſis ſerum nutritivum extravaſatur ibique ſtagnando

do corrumpitur, mirum non est sæpius quandoque materiam sevo, melli aut pulti similem, ut in aliis tumoribus cysticis, observari. Bufonem verò vivum à *D. Sorbait* olim in Bronchocele visum & *M.N.C. Dec.* 1. *Ann. III. Obs.* 103. insertum, e seminio, cum aquæ frigidæ & cœnoso potu assumpto, illic exclusum fuisse, modernorum experimentis de generatione insectorum prorsus consentaneum est.

Curationem hîc duplicem habet *Celsus*, unam per medicamenta caustica, alteram per sectionem instituendam. In priori folliculus intus relinquitur: qui cum multum temporis exposcat, donec putrescat & ejiciatur, hinc alteram præferendam statuit, quæ ab illo sic instituitur: Facta sectione ad tunicam folliculus à reliquis partibus sanis digito est separandus & eximendus: locus affectus ✠ cum ⊖ vel ⦶. eluitur, vel, si folliculus eximi non possit, adurentibus prius absumitur & tandem labia vulneri sutura mediante conjunguntur; in quibus *Hieron. Fabrit. ab Aquapendente in Operat. Chirurg. p.* 231. suturam si excipias, assentientem habet. Hic enim experientia ductus, post abscessuum ejusmodi extractionem nunquam sutura usus, sed glutine potius, cum sutura, quæ cum dolore fit, inflammationem excitet, sicque curationem moretur.

§. 4.

Reliqua, Broncho æquè ac Gutturi incommodantia, sunt

ILLAPSA P. N.

aut suffocationem minitantia, aut deglutitionem impedientia. Illic fabam funesto cum eventu in bronchum & bronchia illapsum refert *Muysius Observ. Chirurg. Dec. VII. Obs. IX.* semen phaseoli minoris, similiter lethali cum eventu incuneatum, *Miscell. N.C. Dec.* 3. *Ann. V. & VI. Observ.* 223. habent. Taceo nucleum avellanæ apud *Thom. Barthol. Hist. Anat. Cent. IV. Obs. XXVII.* & nucis moschatæ particulam *in Borelli Obs. & Histor. Cent.* 4. *Obs.* 63. in fauces illapsa. Ecquid autem frequentius est ossiculis aut spi-

nis piſcium in gutture hærentibus, quæ omnia inſtrumento à *Gualtero Ryffio*, Medico-Chirurgo quondam Argentorati celebri, invento extrahere docet *Hildanus Cent.* 1. *Obſ. XXXVI.* poſt extractionem guttur ſæpe abluendo decocto hordei, aut ∇. plantaginis cum melle roſaceo & urgente dolore ſeq. electuarium præſcribendo:

Rec. Specierum diatragac. frigid.
diaireos aa. ʒii.
Summit. beton. &
Herb. veron. ſubtiliſſ. pulver. ana ʒi.
🜔. amygd. dulc. ℥ß.
Syr. violar. q. ſ.

M. F. Elect. mediocris conſiſt. Figuram inſtrumenti, ſpongia in apice gaudentis, vid. *cit. loc. & in Armam. Chirurg. Sculteti Tab. X. Fig.* 2. *§.* 5.

Antequam hinc abeamus, pauca inſimul de GLOTTIDE & EPIGLOTTIDE p. n. ſe habentibus addenda erant, quarum hæc quandoque ita induratur, ut non ſolùm loquelæ abolitionem cauſetur, ſed & efficiat, ut nonniſi fruſta majora æger deglutire poſſit & omnia liquida in tracheam illabantur. Cum autem talis

GLOTTIDIS INDURATIO

pro incurabili habeatur *à Barbette in Oper. Chirurgico-Anatomicis Part.* 3. *cap.* 4. hinc

GLOTTIDIS CONSTRICTIO,

quâ rima laryngis potulentis aut alimentis adeò arcte ſæpe clauditur, ut ne ſonum quidem edere poſſit æger, curæ nobis cordique erit. Ad hujus ergo curationem laudatus modo Autor præmiſſa, ſi opus eſt, V. S. aut purgatione ſequentia commendat admodum:

Rec. Lact. vaccin. ℥vi.
Vitell. ovi N. i.
Sacch. alb. ʒiii. M.

Sumat ſæpius cochl. i. aut ii

Vel

Vel


Rec. Thuris
Myrrh. aa. ℈i.
Croci Orient. ℈ß.
Succ. liquirit. ℥iß.
Gummi Tragac. ʒii.
Sacch. alb. q. s.
M.F. Rotulæ, continuò in ore detinendæ, masticandæ & deglutiendæ.

§. 6.

Contrarium hisce malum est

LUXATIO ET MOBILITAS CARTILAGINIS SCUTIFORMIS,

cujus meminit *D. Georgius Segerus in Misc. Acad. Germ. Cur. Dec. I. Anno VIII. Obs.* 34. *p.* 64. his verbis : Retulit mihi *Henricus Schmied*, Physicus tum temporis Luneburgensis, se aliquando vocatum fuisse ad nobilem quandam puellam, quæ primò tussi ferinâ laboraverat, unde dum tussiendo caput nimium movit antrorsum, recedente postea tussi in alium, non tamen adeò molestum incidit affectum. Movebatur sc. ei semper, & quidem absque omni molestiâ, sursum & deorsum, cartilago thyroides seu scutiformis, pomum Adami vulgò dicta. Et hic quidem motus nullo modo impediebat, quò minus egregiè aut loqueretur, aut caneret: tum enim non adeò frequens longioresque trahebat moras. Quia tamen aliquam deformitatem videbatur imprimere nitidiori collo, jussit Vir experientissimus plumbeam conficere laminam, eamque ita applicavit cartilagini luxatæ, ut ea a situ suo naturali dimoveri non potuerit; atque sic succedente tempore debitum suum locum amplius non deseruit cartilago illa. Aliâs de Laryngis prolap su, vid. Celeb. *Thomas Bartholin. Hist. Anatom. rar. cent.* 5, *hist.* 29.



CAPUT X.

DE AFFECTIBUS STERNI ET MUCRONATÆ CARTILAGINIS.

§. I.

Ad ipsam Pectoris cavitatem pronam nobis viam aperit & sternit

STERNUM

scuti instar cordi & pulmonibus præfixum, quod cum porosum admodum & cavernosum sit, adeoque sanguinem extravasatum aliosque humores acres facilè admittat, præter dolorem, quem cum pleura ferè participat;

ABSCESSIBUS ET CARIEI

fit obnoxium. Sic enim Mercator quidam Norimbergensis, tempore juventutis lapsum ad sternum perpessus, in ætate demum virili immensis pectoris doloribus afflictus, post mortem sternum purulentá carie deperditum exhibuit, referente *D. Joh. Mauritio Hoffmanno, in Disquis. C. H. Anatomico-Patholog. p.* 146.

Quam difficulter autem curentur, ex alia observatione *D. Joh. de Muralto*, quam *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Curios. Dec.* 2. *A.* 3. *Obs.* 140. *p.* 281. inseruit, elucescere poterit, unde & remedia & enchireses hic abhibendas haurire licet. Scil. Dominus Macquelin, Regens à Revey, derepente maximum costarum dolorem perpessus est ad musculum pectoralem, brachia & scapulas usque extensum, ut tredecim diebus continuis perpetuis clamoribus eundem delinire voluerit, irritis medicamentis cunctis, imò & V.S. sacculis & cataplasmatibus anodynis, clysteribus item atque sopori-

ſoporiferis. Tumor poſtea animadvertebatur in parte ſuperiore ſterni eryſipelatodes, durior, cui applicatum empl. diachylon cum gummis, ut materia ſubtus contenta emolliretur & ſuppuraretur. Biduo poſt apertus fuit abſceſſus, effluxit pus laudabile, & dolores evanuerunt omniaque in melius abire viſa ſunt: at materia ſingulis deligationibus aucta fuit tumoresque hinc inde in ſterno proruperunt alii. Majus ergo vulnus tumori inflictum ſtylo ſternum perforatum eſſe materiamque intus copioſiſſimam detineri commonſtravit & plures ſinus detexit; adhibitum fuit digeſtivum è myrrha, ariſtolochia & ♈ cum melle paratum, pulveres exſiccantes ſterno carioſo impoſiti, potiones vulnerariæ hauſtæ & omnia ad ſanitatem vergere credita. Pauco poſt tempore copioſum pus ore rejecit denuoque febricitare cœpit. Obſervatum tunc pus ſub dextra papilla verſus ſiniſtram per aliquos cuniculos meare. Inciſione facta, in latere dextro æquè ac ſiniſtro coſtæ omnes carioſæ in conſpectum venerunt, pure copioſo obſeſſæ, quibus malis abſinthio, Ægyptiaco, myrrhâ & aloe obviam itum eſt: ſemper novi tumores oborti, pus ſputo rejectum, tuſſis continua, macies extrema & tandem mors. Cadavere diſſecto ſternum penitus carioſum repertum ſub muſculo triangulari, intus æquè ac ſub pectore foris. Triangularis autem muſculus in locis exeſus proximo pulmonis lobo adhæſit, in ipſo lobo ulcus latitavit palmam latum &c.

Sæpiſſimæ vero in Fiſtulis thoracis caries & oſſis ſterni corruptio conjungitur, quarum curationem tradit *Petrus Marchettis, Obſerv. Chirurg.* 39.

§. 3.

Pertinet huc

FRACTURA ET DEPRESSIO STERNI,

tam connata, quàm adventitia. Priorem, ſc. Sterni cum coſtis ad interna reflexionem nativam, cauſam aſthmatis olim exſtitiſſe ex *Bauhini* Praxi obſervavit *Schenkius Tit. de oſſibus lib.* 2. quod

&in

& in adventitia locum habet. Fracturam autem adesse arguit inæqualitas tactui occurrens, os digito cedens, crepitum & strepitum simul excitans. Depressio è manifesta in parte cavitate, tussi, sputo sanguinis & dyspnoea innotescit.

Curationem utriusque mali docet *Paræus Lib. XIV. de Fracturis cap.* 10. verbis seqq. id os, seu fractum, seu depressum fuerit, ut pristino restituatur statui, substrato vertebris dorsi pulvinari, tomento, aut fœnô infarcto, æger est resupinandus, ut in juguli fractura. Tum Minister ambabus manibus, in ejus humeros q.s. depressurus, magnâ vi innitetur: dum interim Artifex costas utrinque comprimens manu temperabit molieturque restitutionem: Inde prohibendæ inflammationi & sedando dolori ante descripta remedia apponentur, plagulæ aptabuntur & decussatim super humeros deligatio fasciis instituetur, haud illa quidem arctior, ne spirandi libertatem ægro adimat. Sic depressionem sterni globo tormentario illatam feliciter in integrum se restituisse testatur laudatus *Autor. l. c.*

§. 3.

Frequentior adhuc est DEPRESSIO &

INCURVATIO CARTILAGINIS ENSIFORMIS

in sterno, Italis l'anima caduta, Germanis autem, nescio quo jure, das Nabel-Brechen oder Verrucken dicta, quæ sive à violentiis externis, (quod facilius & crebrius accidit) sive ab humoribus serosis illam obruentibus & nimis emollientibus (quod rarius) contingat, ventriculum premendo utrobique pessima symptomata, sc. anorexiam, vomitum p. n. cardialgiam, icterum & atrophiam inferre solet.

Curatur applicando cuti, cartilagini mucronatæ incumbenti, ventosam seu cucurbitulam amplo ore præditam, quæ illic affixa maneat, donec inspiratio impediatur, tunc subitò removeatur, sicque cartilago dicta sæpe primâ vice locum naturalem iterum occupabit

pabit. Sin minus, una l. altera vice repetendum id erit. Abhinc, præmissa illitione ℴℴ rosſ. & myrtillorum, ad dies aliquot ſeq. emplaſtrum loco affecto imponit *Paulus Barbette in Oper. Chirurg. p. 261.*

Rec. Rad. biſtort.
Nuc. cupreſſi ana. ℥i.
Maſtich.
Thuris ana. ʒß.
ℴℴ. nuciſt. expreſſ. ℥iß.
Pic. naval. & Tereb. q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

§. 4.

Aliud eſt vitium

PROLAPSUS CARTILAGINIS ENSIFORMIS,

cujus notabile & à pauciſſimis obſervatum exemplum refert *D. Georgius Segerus in Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec. I. Ann. VIII. Obſ. 33. p.* 63. verbis ibi: Spectabilis I. G. Scabini Thorunenſis novoppidani uxor prægnans, dum anno 1671. die 31. decembr in pagum ſe confert, præcipitatur ab improvido aurigâ in terram profundiorem ſcapulamque luxat dextram. Hæc q. præter luxatam ſcapulam, quàm uxor Carnificis vocata mox reſtituerat, nullum ſenſit incommodum. Unde adveniente partûs tempore, die nimirum 30. April. anni 1672. filiolum ſanum ac vegetum feliciter eſt enixa. Hunc autem cum aliquantò poſt accuratius contemplaretur, offendit in cartilagine enſiformi motum aliquem inſolitum, imprimis cum ſingultiret infans, quod ſymptoma ei quam maximè erat familiare. Quocircà cum motus ille perſeveraret, mater ſollicita me die 23. Maji vocavit, infantemque contemplandum obtulit. Deprehendi eandem cartilaginem ad latitudinem minimi digiti a ſternô remotam, quæ preſſa nullum infanti excitavit dolorem; & quia tunc quoque ſingultiebat

bat infans (quod ei communiter repleto ventriculo contingere solebat) cartilago quoque illa ad motum ventriculi movebatur. Suasi tum impositionem adstringentium. Mater verò, ut ob teneriorem infantis constitutionem in aliud tempus cura differatur, obnixè petiit. Sed ecce intra anni spatium cartilago illa, sensim sensimque versus sternum retracta, ita cum isto coaluit, ut jam nullum supersit laxationis vestigium.

De INDURATIONE & OSSESCENTIA hujus cartilaginis incurabili vid. *Petrus Pavv l. de Ossibus Part. 3. cap. 3.*



CAP. III.

DE AFFECTIBUS COSTARUM ET MUSCULORUM INTERCOSTALIUM

§. I.

QUos in præcedenti capite expedivimus affectus cum sterno communes habent Costæ illi connexæ, siquidem præter

LUXATIONES COSTARUM

in Medicina Nov Antiqua Part. ult. Chirurg. cap. 4. jamdum pertractat s & *Hippocratis* ductu curatas, pariter

FRACTURIS

sunt obnoxiæ, cumprimis veræ, sive jam penitus frangantur, sive tantum assulatim scindantur. Causæ illarum utplurimum sunt violentiæ externæ, casus, ictus. Quod enim costæ aliquando à palpitatione cordis diffractæ sint, illud *Fernelio* non credebat *Drelincurtius in Colleg. Practico Msc.* nisi forte costæ carie

fuerint

fuerint exeſæ, vel cadaver aliquod violenter in menſam fuerit dejectum, & quamvis *Angelinus Victorius Conſult. Med.* 97. ſimiliter coſtarum fracturam à palpitatione cordis, quam Philippus Nerius, Florentinus per 50. annos ſuſtinuerat, recenſeat, eandem tamen ſupra naturæ ordinem fuiſſe ipſemet demonſtrare conatur. Interim coſtas extrorſum depulſas & à ſitu ſuo naturali à morbo hoc detruſas fuiſſe, ex relatione *Sylvii D. Joh. Petrus Albrecht* in *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *A.* 6. *Obſ.* 17. *p.* 44. refert.

Curationem ab uxore ſua, in coſtarum fractura à lapſu orta, feliciſſime abſolutam *Hildanus Obſ. Chirurg.* 85. *Cent. V.* deſcribit ſeqq. Præparatis omnibus, quæ ad operationem neceſſaria erant, confracta oſſa feliciter in ſitum naturalem depoſuit. Totum latus ℴ℗. roſaceo inunxit & cataplaſma ex farina hordei, pulvere roſarum, balauſtiorum nucum cupreſſi, gallarum & tormentillæ, cum poſca & ovo integro confectum applicuit: ferulas quin etiam & pulvillos, prout ad oſſa continenda neceſſe eſſe videbatur, appoſuit, omniaque convenienti ligatura conſtrinxit, leviter tamen. Arcta enim ligatura quam ſit periculoſa in fracturis coſtarum, alias coram ex me intellexiſti. Coſtis confractis ſic repoſitis dolores reliquaque ſymptomata protinus ex parte remiſerunt. Statim quoque poſt repoſitionem coſtarum confractarum hauſtum aquæ prunellæ & ſionis partibus æqualibus commixtis exhibuit. Victum quin etiam tenuiſſimum præſcripſit. Sequenti die venam ſecari juſſit & de tertio in tertium diem fracturam deligavit & curavit. Interim bis in die hauſtum de prædictis aquis in octavum usque diem bibendum dedit. Poſt decimum, cum ego domum reverſus fuiſſem, curationem prædictis remediis & emplaſtro ad fracturas oſſium ſpatio quatuor hebdomadarum pleniſſime & feliciter abſolvimus. Hactenus *Hildanus.*

§. 2.

Quemadmodum verò Coſtæ veræ fracturis, ita Coſtæ ſpuriæ (quæ nonniſi ad ſpinam dorſi, ubi magis oſſeæ ſunt, tantum frangi poſſunt)

INCURVATIONI
&
PLICATIONI

magis obnoxiæ ſunt, quæ pariter à cauſis externis utplurimum dependet, ut *Foreſtus Obſervat. Chirurg. lib.* 8. *Obſ.* 6. docet. Curatur eadem ratione, uti depreſſio ſterni, coſtaque reſtitutâ conjuncta diſpnoea ſtatim evaneſcit, obſervante *Boneto* in *Sepulchreto*, ſeu *Anatomia Practica Lib.* 11. *Sect.* 1. *in Schol. ad Obſerv. cxvi.*

§. 3.

Non minus

COSTÆ CARIOSÆ

in Praxi ſunt frequentes, quas vel abſceſſus partium vicinarum, vel & lapſus, aut ictus gravior inſuper habitus generare ſolet, ut in Illuſtri quodam Supremo Locumtenente Capitaneo obſervavit *D. Joh. Mauritius Hoffmannus* in *Diſq. C. H. Anatomico-Patholog. pag.* 150.

Tollitur autem caries aut medicamentis exſiccantibus & cathæreticis, aut manu Chirurgica per ſcalpella, inſtrum. raſoria trepanum exfoliatorium, cauteria &c.

Illic

Rec. Euphorb. ℨi
Mumiæ
Sarcocoll. aa. ℨß. M.

è quo cum melle quoque linim. fieri poterit ad imitationem *Barbette in Chir. p.* 219.

Vel

Rec. Eſſent. myrrh.
Elix. propriet. aa. ℨii.
⊕. alb. in ſucc. chelid. maj. ſol. ℈i.
🜄. ℨi.
M. pro injectione.

§. 4.

§. 4.

Cariei antedictæ non rarò

FISTULA THORACIS

in musculis pectoralibus & intercostalibus radicata, jungitur, quæ si in musculis subsistat, sive per infusiones & alia medicamenta (quæ tamen obliquæ difficulter admittunt) sive per sectionem cum syringotomo, ut aliæ fistulæ, eô, quem *Scultetus in Fig. IV. TAB. xxxix.* proponit, modo curantur. Quodsi autem Fistulæ in thoracis cavitatem penetrent, si non incurabiles cum Paræo dicere velis, summe tamen difficiles curatu sunt, tum quod *Celsus lib. 5. cap.* 28. omnes fistulas, quæ ad inania, guttur sc. stomachum &c. penetrant minus expeditam vel difficilem admittere curam perhibeat, tum quod perpetuus thoracis motus & partes membraneæ subjectæ consolidationem impediant. Unde *Franc. Peccetius lib. 3. Chirurg. cap.* 23. in penetrantibus his

THORACIS ULCERIBUS

quæ in fistulas degenerarunt, fucata potius, quam verà curatione uti nos debere credidit.

His tamen non obstantibus similem Fistulam in Thoracem penetrantem ita se in Rustico curasse refert *D. Joh. de Muralto Miscellan. S. R. I. Acad. Dec. II. Ann.* 3. *Obs.* 145. *p.* 288. Orificium ulceris secundum longitudinem adapertum fuit, ut saniei egrediendæ via commodior fieret, imposita dein cannula argentea, ne occluderetur. Decoctum hordei cum melle rosato & vini tantillo thoraci injectum spirituque cohibito rejectum fuit. Ita continuatum fuit per 14. hebdomadas, manè & serò: quo tempore restitus fuit. Administravit foris ad cicatricem formandam, decoctum aluminis cum vino rubro, in plumaceolo applicitum, corpus etiam ab humore peccante evacuando.

His autem non juvantibus ad Chirurgicas operationes confugiendum, adeoque aut cauterio aureo, ad imitationem *Marci Aurelii Severini Pyrotechniæ Chirurg. Lib. 2. Part. I. cap.* 87.

ulcus percurandum, cavendo ne ſubjecta viſcera vim ignis ſentiant, aut inſtrumento ab *Hieronymo Fabritio ab Aquapendente* hunc in finem invento utendum, cujus enchireſes in *figura V. Tab. xxxviii.* ob oculos ponit *Scultetus in Armamentario Chirurgico pag.*156. Conf. & *Barbette l.*1.*p.*359.

§. 5.

De

VULNERIBUS THORACIS

in cavitatem pectoris penetrantibus (reliquæ enim levioris ſunt momenti) inſignis olim controverſia orta fuit inter Chirurgos, quam *Joh. de Vigo Tr. de Vulneribus thorac. cap.*10. annotavit.

Quibusdam videbatur eiusmodi vulnera quamprimum eſſe claudenda & cicatrice, quam fieri poterit, ocyſſimè obducenda, ne frigidus aer in cor ſubeat & ∽. vitales exiliant aut diſſipentur. Alii contra ſentiebant & talia vulnera diutius aperta ſervanda eſſe ſuſtinent, adeo quidem, ut, ſi per ſe non ſatis pateant, Chirurgia amplificanda ſint, quo ſanguini in thoracis ſpatium effuſo exitus pateat, ne in cavitate ejus putredinem concipiendo febrim, fiſtulas & ſimilia inducat.

Quam litem *Paræus lib. ix. de recentibus ſing. partium vulneribus c.*31. ita conciliat, ut priorem ſententiam tum admittat, ſi nihil ſanguinis in thoracem effuſum ſit: Poſteriorem vero locum habere dicat, ſi magna vis ſanguinis in illam ſe effudit. Hac ratione vulnus pectori gladio acuto illatum *D. Daniel Wincklerus* in *Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. Ann.* 7. *Obſ.* 41. globo verò plumbeo ſclopetario *D. Muraltus Dec.*2. *Ann.*3. *Obſ.*118. feliciter curarunt. Remedia & enchireſes vid. infra de Vuln. Pulmon.

§. 6.

Circa RENUNCIATIONEM de LETHALITATE VULNERUM THORACIS Excell. *D. Bohnius in Examine vulnerum lethalium p.*288. notat majora & juſto latiora, á quibus motus thoracis & pulmonum inſigniter læditur & cauſalitas

ſuffo-

ſuffocatoria ſatis evidens oritur, lethalibus annumeranda eſſe, cum nullibi ſalutare illorum exemplum legerit. Minora autem & cum viſcerum internorum violatione minus comitata vulnera adeo lethalia non ſunt, ut toto die in

PACACENTESI THORACIS

aquæ & puris evacuandi gratia inſtituta, per artem infligantur. Qua ratione autem hæc inſtituatur, fuſe in *Parte Chirurgicâ Med. Nov-antiq. cap.* 5. *§.* 10. oſtenſum fuit. Interim *Ruyſchium* ſcalpelli loco cauterium potentiale, è calce viva & Saponariorum lixivio, ad lapideam ferè conſiſtentiam coctis, conſtante intra 4. & 3. coſtam veram, ab inferioribus numerandi principio facto, applicare *Anonymus* C. H. E. D. in *Relatione de Itin. ſuo Anglicano & Batavo p.* 79. annotavit.

Alii etiam cauterium actuale adhibent, teſte *Nuckio Experim. Chir.* 31. *p.* 111. Ubique factæ aperturæ cannula aut plumbea aut argentea immittitur, per quam indies ℥ii. iii. ad iv. extrahantur. Sæpe & ſtylus excavatus eſt immittendus, quo materiæ excretio promovetur. Delineationem ejus vid. ap. *Solingium Tab. IV. Fig.* 8. Sin materia ſit minus fluida, modò laudatus *Nuck.* immittebat infuſum fol. theæ vel ſeqq.

Rec. Seri Lactis lib. i.
Mell. roſ. ℥iii.
Succ. chelidon. ℥i. M.
F. Injectio.

Vel

Rec. Rad. Conſolid. maj. ℥i.
Herb. abſinth.
card. bened. aa. Mii.
Flor. roſ. rubr. Mi.
Sem. ſumach. ʒiii.
Coq. ex Vin. rubr. Gall. & Aq. com. ana q. s. Col. Rec. ℥xxx.

Add.

Add.

Mell. rosat. ℥iii.
Myrrh.
Aloes ana ℥iß.

M. F. Injectio.



CAPUT IV.
DE
AFFECTIBUS MAMMARUM.

§. 1.

IN exteriore pectoris superficie restant adhuc MAMMILLÆ, quæ ob substantiam, qua gaudent, glandulosam variis etiam affectibus obnoxiæ sunt. Non dicam jam de

NIMIA MAMMARVM EXCRESCENTIA aut FLACCIDITATE,

in junioribus diæta tenui & subadstringentibus compescenda: aut

PARVITATE MAMMARUM

diæta laudabili, polytropha & frictionibus augenda: Cum hæc ad statum nat. potius, quam p. n. referenda sint. Ea saltem, quæ actiones lædunt hic spectabimus, inter quæ primo

INFLAMMATIO & ERYSIPELAS MAMMARUM

occurrit, quæ in lactantibus facilimè ab ira, terrore, aut à frigore externô, lac ad stagnationem & acescentiam disponente, oritur, prout Matrona lactens apud *Muysium in Praxi Chirurg. Ration. Decad.* 4. *Obs.* 5. est experta, quæ nocte quadam nimio frigori mammillam

millam ſiniſtram exponens in lecto poſtero die de tumore magno, duro & dolorifico ejuſdem mammillæ, quam butyro inſulſo cum creta, acidum abſorbente & ſacculo farinâ ſecalina pleno calidè ſuperimpoſito curabat, infante ſuctione ſymbolum ſuum contribuente.

Quodſi vero tumor ejuſmodi poſt ablactationem infantum oriatur, ſæpiſſime emplaſtrum de ſpermate cet. Mynſ. cum ℴ℘ ♀ fœtido malaxatum admodum proficuum expertus ſum.

Sin verò tumores ejusmodi diſcuti non poſſint, ſed ad ſuppurationem vergant & ſive ſponte, ſive manu Chirurgica aperiantur, ſupra laudatus *Muyſius l. c. obſ. 4.* interno ulceri immittit balſamum Arcæi, cujus hæc eſt deſcriptio:

Rec. Axung. ovis
Gummi elemi
Terebinth. Ven. aa ℥ii
ℴ℘ hyperici ℥iß.
Ceræ ʒii.
Santali rubri ʒi

M. Liquefiant omnia, colentur ac F. Balſamum.

applicando deſuper emplaſtrum ſtypticum Paracelſi ac ſuperimponendo ſacculum farinâ ſecalinâ impletum, ut reliqua durities emolliatur.

Quodſi præter expectationem

FISTULA MAMMARUM

ſuccedat, hæc more ſolito per injectiones balſamicas, ſectionem & ſimilia eſt tractanda, ad inſtar aliarum fiſtularum.

§. 2.

Sin vero tumores ejusmodi neqve diſcuti neque ſuppurari poſſint, utplurimum

SCIRRHUS MAMMARUM

oritur, qui eſt tumor p. n. durus, plus minus ſenſilis, prout ſc. vel recens aut nothus, vel confirmatus aut exquiſitus fuerit, colore

inter pallidum rubrum lividumque medio præditus, ponderosus, fixus, à particulis viscosis & ⊖no-tartareis, intra vasculosam & glandulosam mammillarum substantiam progenitis, describente D. *Joh. Maur. Hoffmanno. Disq. Anatom. Pathol. p. 145.* Aliquando mamma evadit dura instar saxi & sæpe ad molem lib. VI. aut VIII. excrescit, teste *Craan. in Praxi Reform. c. 127.*

Curationem ejus in lactante feliciter peractam ob, oculos ponit *Hildanus, Cent. 2. Obs. 89.* qui interne laudat pulverem Passavanti, in quo fol. sennæ basin constituunt, quæ in cancro etiam summopere & q. in substantia laudant Operatores Chirurgici: quamvis in tenerioribus obstinatam sæpe diarrhoeam post se relinquat, ut aliquoties observavi. Descriptio ejus hæc est:

Rec. Fol. Senn. sin. stip. pulv. ℥iii
Turb. gummosi ʒii
Rhab. electi ʒj
Liquir.
Sem. anisi
fœnic. ana ʒiii
Spic. ind. gr. viii

M. F. Pulv. tenuissimus. Dos. à ℈ii. ad ʒi

Hoc præmisso mammas & vicinas partes ℴ℗ ros. c. pauc. ✱ admixto per aliquot dies inunxit, ut uberiorem lactis proventum (post ablactationem infantis hîc necessariam) impediret. Abhinc singulis diebus mammas seq. linimento inunxit:

Rec. Empl. de mucilagin. ʒii.
℗. lil. alb.
amyg dal. dulc.
pingued. gallin. ana ʒi.
gummi ammon. in ✱. scyllit. sol. & col. ℥ß
M. F. linimentum.

Bis etiam interdiu cataplasma emolliens, è fol. & rad. malv. c. axung. porci, gall. anat. &c. applicavit, sicque observata legitimâ diæta tumor evanuit.

Celeb.

Celeb. *Waldschmidius* Arch. Hassiacus summoperè hîc laudavit Emplastrum Cinnabarinum, ex cerâ, cinnabari & 🝆 lini paratum, quod ad lac absumendum & coagulatum dissolvendum vix par habere dicitur *in Miscellan. S. R. I. Acad. Nat. Curios. Dec. 2. A. 6. Obs. 155. p. 317.*

In malo contumaciori, medicamentis non juvantibus, ad ferrum & ignem devenitur, hîc cauterio ignito foramen in parte affecta efficiendo & ☿≏ granum inserendo, imponendo desuper aliquod digestivum, hinc Ægyptiacum aut pulv. Vigonis: illîc sectionem instituendo, ad quam tamen non facilè deveniendum, nisi tumor in summitate mammillæ consistat, ut sine periculo eximi queat. In tumoribus minoribus & glandulis tumentibus, quas

SCROFULAS ET STRUMAS MAMMARUM

vocant, à sectione planè abstinere debemus, cùm sine insigni incommodô plures sæpè annos durent; adeoque superioribus & similibus medicamentis tractari debent.

Sectionis modum, ubi necessaria videbitur, ex *Sennerti Praxi Lib. 4. Part. 3. sect. 1. cap. 5. pag. 453.* haurire licebit, qui eundem ita describit: Ægrâ rectè collocata tumor versus summa mammillæ sinistra Chirurgi manu detrudendus est: Dextrâ verò cutis novacula acutissima secundum longitudinem incidenda & caro ab utraque tumoris parte separanda. Postea tumor separatus à carne acu filoque transfigendus & à Ministro tenendus: ab ipso verò Chirurgo ad radicem penitus abscindendus, sanguis sistendus & postea vulnus debitô modô curandum.

§. 3.

Simili quoque ratione tractandus est

CANCER MAMMARUM,

Virginibus & Mulieribus, mammillas frivolè denudatas frigori brumali exponentibus; aut nimis constringentibus admodum infensus isque vel OCCULTUS unius aut alterius glandulæ tumor durus

& immobilis, primo vix ciceris magnitudinem habens, mox autem latius ſe diffundens: vel MANIFESTUS & EXULCERATUS, qui tumor eſt lividus, colore cineritio vel plumbeo ad purpureum vergente præditus, venisque nigricantibus circumfuſus, tanquam totidem pedibus conſpicuus. Uterque ab acido quodam corroſivo, nutrimento proprio elapſo ſe miſcenti oritur, unde non tantum dolor ille punctorius & exurens, qui, ut eundem exprimunt, candelæ ardenti digito admoto (als wann ſie ein Licht brennete) ſimilis eſt, ſed & exulceratio illa, quâ tota mammillarum pulpa tandem computreſcit, oboritur. Horrendum utriusque exemplum atque

CASUM

olim videre & tractare licuit, quem ſi hîc inſeruero, Lectori benevolo forte non ingratum fuerit. Anno ſc. 1699. Virgo *Nobilis à Ledrum*, Supremi Vigilum Magiſtri, *DN. à Boekel* ex Sorore nepos, cancro mammarum occulto laborans, dolorisque pertæſa Operatorem Chirurgicum, *Dn. Zachmannum* (qui in præſentia ejus aliquoties cancrum mammarum feliciſſimè ſecuerat) Durlaco evocari curabat, qui non tantùm in mammâ ſiniſtra, hactenus affectâ, cancrum occultum reperit, ſed & principium ejus in dextrâ oſtendebat, id quod male eundem habebat, cum hoc in caſu reſectionem mammæ affectæ omnino fruſtraneam eſſe, utraque autem mammilla ſublata tandem ipſa præcordia cancroſa fieri, aliquoties expertus fuerat.

Hanc ob cauſam tuberculum in dextra mammilla prius removendum eſſe cenſens mihi negotium hoc commendabat, cum abſque conſenſu gratioſiſſimo Sereniſſ. Ducis Badenſis, cui à ſervitiis cubicularibus erat, ipſi tamdiu hîc commorari non liceret. Suadebat autem præmiſſis præmittendis internè decoctum lignorum, cum ⌒ ⊖ ✳. quo ægros ejuſmodi ſæpe ultra xii. annos in vitâ ſuperſtites conſervaverat. Externè emplaſtrum aliquod diſcutiens cum ☿ dulci, malaxatum ℴℴ. Philoſophorum, imponebatur

tur. His aliquamdiu adhibitis tumores quidem nonnihil imminuebantur, sed dolores indicibiles, pungentes, morsicantes, pulsatorii, non mammas tantùm, sed & pectus atque dorsum occupantes sequebantur, interpositis sæpe rigore, calore, syncope &c. Adhæc plurimum sanguinis ichorosi purisque per ulcera in capite, retro aures, per vomitum, per sedes, per unguium interstitia, tam in manibus, quam pedibus scaturiebat: quæ cum ex suppuratione mammæ (quæ insigniter concidebat) internâ proficiscerentur, suasi loco emplastrorum & unguentorum species siccas & balsamicas, cum panno crocato Myns. cum euphoria. Interim redeunt sæpissimè dolores tandemque ulcere comparente in CANCRUM MANIFESTUM abibat. Continuata diæta lignorum ulcus quidem externum ulterius non serpebat, sed internè suppurabantur omnia. Commendabatur ab adstantibus simul Chirurgus Butisbacensis, *Hoffmannus* nomine, qui ægram cum prognostico, ceu mortuam, ut dicebat, in curam suscepturus ligaturis & causticis rem expedire conabatur: sed risum potius quam applausum merebatur & gratiosè dimittebatur. Malum enim latissimè pectori insistebat & in sterno etiam radices egerat, adeò ut Archiater Principalis *D. Hertius* simul advocatus ne sectionem quidem locum habere posse contenderet, maculis hinc inde in corpore, & cumprimis in capite, latioribus erumpentibus. Venerei quid latitare credens *Zachmannus* decoctum Sarsaparigliæ recent. & select. (quô ea, quæ per salivationem ☿rialem tolli non potuerant, gummata, nodos &c. felicissime sæpe securasse asseverabat) suadebat, sed ob immanes dolores viriumque debilitatem usum ejus continuare non poteramus. Mammilla interim sinistra suppuratione interna penitus consumpta concidebat, circumcirca tantum scrophulis & strumis comparentibus. Accedebant tensiones & convulsiones, primùm in extimâ manu, mox in brachio, quæ abhinc caput & cumprimis oculum sinistrum violentissimè rotabant, universali tandem epilepsiâ superveniente. Tensionibus illis paulò post jungebatur

tumor brachii ſiniſtri, a cubito ad digitos ſe extendens, nullis cataplaſmatibus,emplaſtris aut pulveribus reprimendus: dubio procul, quod ob nervos denudatos & vellicatos partes ſe ſtringebant & circulationi humorum viam intercludebant: reſpiratione ſimul difficilima conjuncta. Hiſce tandem ſuccubuit & ob ſphacelum ſiniſtri brachii accedentem in eodem latere prorſus frigida die 10. Julii A.1701, penitus expiravit.

Optimis ſpecificis ex ſolano, ranis, ſucco ♋, plumbo & ſimilibus evanidis,corroſivis etiam minus tutis exiſtentibus, cæteris paribus ultimum in exſtirpatione mammæ eſt refugium,quæ operatio in Belgiô adeo frequens eſt, ut *Joh. van Horne in Microtechne Sect.6.§.* 19. non poſſit ſatis mirari *Hieronymum Fabritium ab Aquapendente*, virum illum doctiſſimum & in Praxi verſatiſſimum ſemel tantum vidiſſe mammillam abſciſſam ſanatam & quidem ab alio Chirurgo.

Nimium quoque meticuloſum dicit eundem Autorem,quod velit primô dolorem auferre & ſanguinis profuſionem impedire, cum & dolor ſit momentaneus & exiguæ arteriolæ diſſecentur.

Enchireſin idem *Hornius* c.l. & *Nuckius in Experimentis Chirurgicis p.*194. ſeqq. expediunt: Trajiciantur per mammillæ tumorem, crucis in modum,duæ acus, filis ſive ligulis inſtructæ, eô, quem *Scultetus in Armam. Chir. Fig.* 1.2.3.4. *Tab. XXXVIII.* proponit, modo: Tum extremitates filorum conjunctæ extrahantur, ut mamma eô melius à pectorali muſculo recedat. Mox alterâ manu cultro falcato cutis circumferentia ad mammæ baſin diſcindatur & è vicinis partibus ſeparetur, quod ab exercitato Chirurgo unâ vel altera ſectione abſolvitur. Alii bidente majore utuntur, quem una cum cultro falcato vid. apud *Cornelium van Solingen,Tab. V.Fig.*7.8. Facta jam exſtirpatione admovenda erunt medicamenta ſanguinem ſiſtentia, vel (uti quibuſdam in more poſitum eſt) actuali cauterio vaſa ſanguinem fundentia leniter adurenda, parsque uſta plumaceolis cum pulvere adſtringente tegenda, quibus emplaſtrum ſuperimponendum & tandem com-

compressa una atque altera, cum fascia scapulari, agmen claudat.

Notetur autem inutilem & minus necessariam esse integram exstirpationem, si pars tantummodò mammillæ afficiatur. Sufficit enim si hæc tantùm auferatur: quo facto medicamenta stypptica admoveantur.

Cave etiam ne scirrhum pro cancro habeas & sine prægnante causa exstirpationem suadeas, ut *D. Bidlovio* olim accidisse refert *Anonymus C. H. E. D.* in *Relat. Itin. sui Anglo-Batavi p.* 132. Hic enim Lugduno Amsterodamum ad fœminam scirrho mammæ dextræ laborantem vocatus, hunc pro cancro habebat, eundemque manu sua exscindere paratus erat. Ast *Dn. Ruysch.* simul in consilium ante operationem vocatus, statim cognoscebat non verum esse cancrum, sed scirrhum saltem. Applicato ergo emplastro de cumino intra quatuor dies tumorem dissipabat & feliciter curabat.

§. 4.

Eodem emplastro etiam reliqui Mammarum tumores, ab humoribus serosis intra glandulas mammarum interceptis & flatibus oriundi, refrænantur, quorum priores

OEDEMATA,

posteriores vero EMPHYSEMATA &

ἐμπνευμάτωσεις MAMMARUM

audiunt. Priores Cachecticis familiares magis fixi sunt. Posteriores dolore vago, acuto mammæ, utplurimum sinistræ, cum brachii totius lateris, costarum & scapularum cruciatu, tumore inconstante, mox evanescente, mox denuo assurgente, duritie tensiva aliisque flatulentiæ signis se produnt & utrobique internè, præmissis universalibus, per anticachectica, carminativa & discutientia, empl. de meliloto, de baccis lauri, diasulph. Rulandi: vel & sacculis ex flor. chamom. sem. cum ⊖. tosto & similibus curantur.

§. 5.

§. 5.

Contrarium his tumoribus affectum, sed rarius observandum, habet *Riverius Cent.* 4. *Obs. LVII.* quem

FOVEAM MAMMARUM

vocat & in seq. casu ob oculos ponit: Nobilis, ait, Matrona, annum agens quinquagesimum, temperamenti biliosi & melancholici, ante decennium subito terrore correpta, ex repentina infantis, a Nutrice incauta interfecti, morte, mensium fluxum omninò suppressum experitur. Post duos annos exortus est in parte superiore mammæ sinistræ tumor subdurus & oblongus, digiti crassitiem æquans. Paulò post apparuit in parte inferiore ejusdem mammæ tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies FOVEAM effecit in eadem parte exiguam & sine dolore, quæ sensim incrementum sumsit, ut inter biennium dimidiam fermè totius mammæ partem ad interiora retraxerit & in fundo illius cutis costis hærere videretur. Similem ferè casum recenset *D. Joh. Maur. Hoffmannus l. c. p.* 157. Vivit, inquit, in vicino Palatinatu Matrona sexagenariâ major, tertio nupta viro, sed nunquam mater facta, hypochondriaco scorbutica: sensit illa in sinistra mammâ tumores binos duros, magnitudine globuli lusorii, cum dolore punctorio, interdiu leviori, noctu appropinquante graviori, cum aliqua rubedine, quos mox insecuta est papillæ introcessio & disparitio: elapsis verò aliquot mensibus tumefactæ & induratæ glandulæ binæ pariter ita interiora versus retractæ, notabile fovearum vestigium reliquerunt, quam metamorphosin acrimoniæ sanguinis & lymphæ mammariæ occultæ cancrosæ, fibrillas vasculaque ad stricturam spasmodicam lacessenti, ut & glandularum nutrimento corrupto, ariditati & subsidentiæ tribuens, *Hippocratici* præcepti in *Sect. VI. Aph. xxxviii.* memor, absorbentibus, specificis internè & topico ☿riali externo ita refrænavi, ut ægra ætiamnum vita adhuc integra fruatur.

§. 6.

§. 6.

Tandem & Papillæ mammarum ob teneram & pulposo-fibrosam substantiam & sensum acutissimum suos patiuntur Manes, cumprimis in


FISSURA PAPILLARUM,

à firmiore apprehensione & morsu pusionum lactentium orientes & ob seri acrioris affluxum latius se expandentes.

Curantur axungia canis & pileolo plumbeo in apice foraminibus compluribus pervio, cujus delineationem vid. in *Armam. Chirurg. Sculteti Tab. xiii. Fig. VIII.* in cujus defectu paretur cereus. Alias & ℴ℘. hyperici, papilla prius saliva madefacta. it. ℴ℘. ros. in quo rad. pimpinell. min. infusæ fuerunt: ℴ℘. item ceræ, amygd. dulc. unguent. nutritum, diapompholygos, pomatum, saccharum aspersum & similia laudantur, vid. *Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 1. *Obs.* 115. *p.* 292.

PAPILLAS verò RETRACTAS

& intra mammillas se abscondentes vitro alembicoide, aut fistlua tabaci quævis muliercula extrahere novit, vid. *Sturmius in Colleg. Curios.* & *Scult. Lib. xvi. Fig. V. & Tab. xxxvii. Fig. vi.*



CAPUT V.

DE AFFECTIBUS VISCERUM IN THORACE CONTENTORUM.

PErtractatis jam externis præcordiorum læsionibus, ad viscera in pectore contenta devenimus, ubi binæ ad vitam summè necessariæ partes sunt considerandæ, sc. PULMONES & COR pericardio suo involutum. In prioribus præter ULCERA, VO-

MICAM & similia, in *Prima Praxeos Parte* jamdum expedita, hic præcipuè

VULNERA PULMONUM

sunt consideranda, de quorum renunciatione in *Scriptis* nostris *Medico-Legalibus* quoque actum fuit. Sufficiat hic notasse vulnera Pulmonum graviora & profundiora, cum læsione ramorum majorum, vel plurium venæ & arteriæ pneumonicæ, ob hæmorrhagiam incompescibilem esse simpliciter & per se lethalia. Superficialia vero & leviora pro lethalibus haberi non possunt, cum plura eorundem perfectissimè sanata fuisse per infinita Casuistarum exempla probari possit. Sic *D. Joh. Mauritius Hoffmannus* in sæpius laudata *Disquisitione corp. hum. Anatomicô-Pathologica p.* 189. testatur se in caupone pagi Oberferrieden, cui anno supra millesimum sexcentesimum nonagesimo secundo pulmonis dextri lobus globulo sclopeti transfossus erat, divina gratia restituisse, vid. *Miscellan. Naturæ Curiosor. Dec. III. Ann. I. Obs. CXLI.* aliud vero pugione illis inflictum vulnus felicissime olim curavit *D. Joh. Nicolaus Pechlinus*, Archiat. Princ. Hols. & Prof. quondam Chiloniensis, cujus *historiam* ut dignam judicavit, quam peculiari *Commentario* illustraret publiceque ventilaret, ita omnia hic verbotenus inserere non dubitavi, quod tota medendi methodus hujus vulneris, cum medicamentis selectissimis indies adhibitis, curatissime hic descripta sint

HISTORIA

ita se habet:

ARTIC. I.

JUvenis Studiosus boni habitus, An. MC. LXXIX. Tertio Nonarum Maji, ipsa die Dominica, ne religio obstitisse credatur, inter quintam & sextam Thoracis costam, duorum pollicum transversorum intervallo ab osse Sterni, vulnus accepit exile atque angulosum.

COM-

COMMENTARIVS.

Circa vulnera, quæ pugnantes mutuo sibi inferunt, id quam maximè mihi visum est rarum, ex tot tamq; infestis plagis plerasq; innoxias esse & minimè lethales, planè, quasi è machina adesset DEUS, aut ictuum moderator Genius, quo in grave quidem sed non protinus lethale vulnus nocendi transiret libido. Vidimus vulnera per medios ventres adacta, exeunte in aversam partem ferro, lethalia futura, si viscus attigissent, nunc tamen innoxia; alia etiam ad ipsam partem nobilem, mammillam sinistram, cordis dictum scrobiculum, inguina, collum, venarumque grandiores truncos directa; quæ si paulo altius, & vel pilum latum penetrassent, mortifera fuissent; nunc verò majus quid est, in ipsam partem nobilem ferri immitti aciem, & vitam vel trahi aut servari, non sine miraculi suspicione. Fuerunt, quibus Cor vulneratum non nisi post aliquòt dierum tædia mortem adtulit; alii etiam ex vulnere Pulmonum satis profundo, alii ex Cerebri, Ventriculi, Intestinorum Vesicæque vulnere convaluere, quasi majoribus illos, certè pœnitentiæ & agniti erroris gratiæ, reservasset DEUS O. M. plerunque tamen, pudet dicere, successu tam infido, ut illorum pauci, quos tantum non Orci faucibus divina manus eripuerat, ad bonam mentem,tot tamen ante ceremoniis religiosisque verbis adjuratam, redierint, alii etiam exemplis istis commoti mortis metum, quem in temerariis justum esse & Virum fortem decere ego quidem opinor, posuerint, sed dispari fato; namque & optimos sæpe hausit temeraria dextra, & male meritos ferrum vel non attingit,aut in vulnus conjicit, periculosum quidem, sed non lethale; ne quis putet omnibus eandem esse fortunam, & custodis Angeli felicitatem.

Notum est, plus inesse periculi plagis minoribus quam grandioribus, si in cavitatem exeant; alias enim, ut ipsa magnitudo molestiam auget sanationis, ita in plana superficie exile vulnus omni alio tutius. In profundum euntis plagæ osculum, nisi ex debito

 amplum

amplum sit & pateat, manus adhibenda & turundis inditis oræ distinendæ, quo latentis in fundo materiæ tutior sit eruptio.

ARTIC. II.

Percussus statim ab accepto vulnere palluit, & sex septemve passibus promotis in occurrentium Chirurgorum, M. Valentini Butzeri & M. Joachimi Köpke, qui propè habitabant & forte fortunâ spectatum venerant, manus incidit, qui eum in ædes delatum suas grabato imposuere, vulneris conditionem exploraturi. Dum interim ego quoque à sacris, quibus operabar, avocatus ad jacentem deducor. Ibi quidem initio hominem satis miserum & si quid vultui credendum, deploratum reperio, adeo universi oris & genarum collapsus, inde & labrorum trepidantium livor & oculorum obtutus & capitis frigidum sudantis & nimium anheli pectoris, nunc & lipothymiæ continuò subrepentis periculum, pulsu nunc etiam deficiente, & vulnere sicco, extrema quæque adesse significare videbantur.

Quemadmodum ipsum in se vulnus periculosum est, ita periculi magnitudinem minuere sæpe fortuna solet. Sit asperis comitata symptomatis plaga, erit tamen, quod securiorem jubeat esse, si protinus adsit, qui manum commodet & tristiora quæque vel deliniat aut avertat. Plures haud dubiè vitam recepissent, nisi defuissent, qui subito symptomati, tum maximè sanguinis profusioni, peritam manum adferre potuissent. Pereundum sanè illi fuerat in solitudine abscissis pudendis, vincente manum hæmorrhagiâ, nisi è quercu, cui se moriturus applicaverat, velut DEO monstrante, muscus, ut est vitriolatæ adstrictionis particeps, vulneri admotus sanguinem cohibuisset. Vidi, cui utriusque cruris fractura καυληδὸν facta in medio itinere absente Chirurgo lethalis fuit. Certè in externi habitus hæmorrhagiâ, quid manus possit dexteritas, experti sunt commodo suo plurimi, laudatque ideo etiam velut optimum præsidium *Botallus.* Principi equidem Auriaco, cum alia omnia frustra essent, una Chirurgi manus saluti fuit. Spectatus mihi gladiator, cui jugularis

laris externæ vulnus ſubito profluvio mortem minabatur, niſi Chirurgi fortè præſentis manus moram adtuliſſet, donec delinito ſanguinis animique fervore linimentis emplaſtrisque rebelle aliâs vulnus tractari poſſet, lentè ad ſanitatem perducto ægro. Puto autem Fortunæ beneficium fore non leve, ſi quis ut eſt vulneratus, protinus vel in *Boudeti* aquam Stypticam, aut *Cæcilii Folii* Ceratum, omnia ad invidiam usque laudata remedia, incideret, nempe, ubi vel ſanguinis repreſſione aut glutinatione quàm ſubitâ eſt opus.

Notas haſce mortiferi vulneris plerique omnes agnoſcunt & ipſe Medicorum anteſignanus *Celſus*; verum, cùm nihil ſit tam triſte adſpectuque horridum, quod non aliquando ominantem fallat, in illa mentis humanæ caligine, ſecretoque DEI influxu, utique non ſtatim cenſoriè decernendum; ubique tamen, ſi vulnus profundum & cavitate abditum, periculi quàm ſecuritatis ſuſpicio juſtior eſt. Fuerunt, ubi interituri videbantur vulnerati, adeo omnia periculoſæ plena aleæ, graviſſimisque conjuncta ſymptomatis, quæ utrum effectu an ſpecie talia eſſent, in illo laborantium tædio corporumque varietate vix OEdipus conjiceret. Illa virium conditio & ſuffectura doloribus patientia, illa Naturæ mirifica perque ignota euntia virtus, illa ſpirituum ſanguinisque & ſolidorum tam accurata invicem proportio, vulnerumque in abdito latentium facies, cum non ſecundum omnes ſui partes ſint perſpecta, conjectantem decipere facilè poſſunt. Accedit, quod ægri ſæpe doloribus & metu victi omnium ſymptomatum recenſum inſtituere nequeant, & vel præſentium tædio aut futurorum imagine ita afficiantur, ut ſibi erepti aut non omnia, aut alia, quàm oportet, enarrent. Illi verè etiam, qui ab ebrietate, fatali vulnerum matre, in periculum ſunt conjecti, neque ſtatim, ut acceptum eſt vulnus, nec paulo etiam poſt ſenſum ſui aut vulneris habere ſolent, adeo veternus quidam oboritur, qui utrùm à vino ſit, an vulnere, haut facilè diſcernas. Soporem inde calor ſequitur, inundantibus ſanguinem, ſpiritusque jam etiam mortis metu

tu opprobriique cogitatione ferociores, sulphureis vini particulis, quem si à vulnere esse jurares, oppido fallereris; adeo in hisce quoque nihil initio absolutè determinandum, symptomatum variante concursu. Pulsus equidem defectus aut potius ἀναισθησία cordis vulnerati suspicionem excitabat; sed cum aliunde quoque tum maximè ex consternatione illa mutari tenor pulsûs possit, neque illo indicio constare de eventu potuit.

ARTIC. III.

Ergo metuendam statim syncopen aqua antapoplectica exterius, interius sequente potiuncula avertere cogitabam: Recipe Aq. Cord. comp. Uncias IV. è Typhis C. Cervi Unc. j. Cinnamomi Diabor. Spir. lilior: Convall. Aa Unc. Semiss. Cerasor. nigr. drachmas ij. Diascord. comp. drachm. j. C. Cervi essentif. Scrupulum j. Ocul. Cancri ppt. Scrupul. ij. Elæosachari Citri drachm. I.ß. Misce, Hujus potiunculæ aliquot identidem hausit cochlearia. Vulneris explorationem mira corporis ad flexum fatiscentis imbecillitas prohibebat; adeo etiam, ut tentato semel aditu, specillique parte in oram vulneris adacta, nova rerum facies sese ostenderet, & frequentati vultus spasmi, dentiumque stridores propositum turbarent. Verum, ut ægrum nimis reclinatum reperio, quem situm ipse minis extorserat, jubeo corpus erigant concutiantque nonnihil, ut ne suspecta sanguinis moles pulmones corque ipsum opprimeret: sed extrema timentes Chirurgi molestiam inferre detrectabant, donec post duas horas collectis viribus aliquid sibi animi esse testaretur æger, & in cætero corporis frigore excitatior pulsus vitæ luculentioris præberet argumentum. Itaque cum nihil adhuc dum sanguinis vulnere effluerct, & qui in vestes transierat, vix esset agnoscendus, denuo in varias partes quassari corpus jussi, sed conatu perinde irrito, sive Pulmonum sese lobi vulneri obverterent, sive fibræ musculorum intercostalium suâ illâ conglobatione oras arctius cogerent. Rursus etiam post varios flexus aditus specillo tentatus & repertus, ægro impensè dolente, &, nisi externis refectus fuisset, deliquiis proximo.

De Spasmis, quamvis symptomate prodigioso & *Hippocrati* suspecto, æquè omnia incerta; quòd non protinus causa, à quâ pendeant, sensibus obvia sit, imo etiam fibrarum muscularium leviculæ palpitationes cum spasmo sæpe confundantur. Erant hic quoque, non spasmus, sed spasmodicæ contractiones invicem alternatæ, non tam à vulneris, quàm dolorum atrocitate, & mobili spirituum in illa animi perturbatione effervescentia, ut eventus docuit. Vidi nonnullos, quibus ad leves quoque causas musculi convellerentur, & ad tristia sive animi seu corporis objecta, seu misturam copulæ elasticæ, unde contractæ, palpitarent, eventu non infelici. Certe à turgescentia sanguinis, vel copiosi, aut rarefactivis particulis imbuti, illæ in carpo palpitationes & tendinum lusus quotidiani sunt, &, si rectè attendis, sine periculo.

Exploratio potissima fere est ex signis, quæ vulnerum conditionem manifestant; verum utut mechanica sit & obvia sensibus actio, multis tamen & illa involvitur scrupulis. Primùm enim ob eam causam difficile esse puto experimentum, quod situs, quem ægri initio habuerunt, dum vulnerarentur, plerumque mutetur, adeo ut sedes vulneris non ubique sibi respondeat; nam cum ob corporis figuram viscera modò hunc, modo illum situm acquirant, & vulnerum pleraque flexo aut in certum habitum figurato corpori inferantur; exploratio vero vel in jacentibus aut in angulum erectis contingat, necessum est superficiem viscerum vicinam mutare, & illam habitus cum viscere ἐνθυορίαν infringi. Deinde, ut quis situm illum vulnerati deprehendisse se credat, tamen cum infesti vulneris malignitas & animi dolentis mollities non quemvis promiscue flexum, tum minimè istum, admittat, non video, quemadmodum veram & adæquatam vulneris conditionem attingere specillum possit. Tertio & hoc aliquid est, quod quæ in cavitatem exeunt vulnera, à subjectis visceribus, sæpe & musculorum tumore, occludantur, conantemque repellant. In Thoracis vulneribus frequentissimum est Pulmones

nes ſpecillo objici, ne ingredi cavitatem poſſit. Abdominis percuſi explorationem modo omentum, nunc inteſtinum perturbat, imprimis ſi, dum vulnus infligeretur, tenſa eſſent aut flaccida, ita enim parallelismum & ſedem vulneris mutari, oramque & fundum diſtare neceſſe eſt, ut ne ſpecillum rectà ſubire poſſit. Jam verò cum fundi vulneris conditio, figura & magnitudo, tùm maximè ruptarum venarum vel copia aut quantitas, in quo tamen maximum eſt momentum, explorari ſpecillo nequeant, utique patet, quàm eorum, quæ abdita ſunt, incerta ſit atque difficilis probatio; ut ne quis putet rem eſſe levem de vulneribus, ut ut manui ſpecilloque obnoxiis, judicio decernere. Eſt autem exploratio non ſolis Chirurgis committenda, ſed & ipſi periculum facere debent: tum ne ſoli ſapere videantur rerumque intelligentes, tum ne medentis prædictio alienâ fide nitatur. Obſervo autem hic nonnullas Chirurgorum artes, qui ſemper, etiam cum de ingenio vulneris ſatis conſtat, omnia in pejus vertunt, quo percurati vulneris major ſit gloria, & unctior merces. Sed eſt meo judicio candidè agendum & ſeriò, & uti incerti vulneris conditio non temere elevanda, ita nec exaggeranda.

ARTIC. IV.

Sed cum poſt varios conatus nihil efflueret ſanguinis, vulnusque deligationem expoſceret, turunda à Chirurgis indita, quam ipſam digeſtivo, ut eſt illorum mos, ex Terebinthinâ coctâ Vitelloque ovi & Roſarum oleo illeverant, ſuperaddito Emplaſtro Stictico Crollii. Transactæ ita inter tumultus doloresque quatuor horæ, cum juſſu meo retectum vulnus tenuiſſimam undam evomeret ſanguinis calidi & ſpumantis, nondum ſatis, ut videbatur, vulnere per turundam dilatato. Emiſſi ſanguinis pondus ad libram erat Unciarum ferè duodecim, & quia calculo putare effluentis copiam animum induxeramus, vaſculum in eam rem ahenum Unciarum quatuordecim capax adhibuimus.

Non debebat amplius ita relinqui æger, niſi intempeſtivo illo calore, quem dies adferebat, vulneri noxa crearetur; itaque poſt

tres

tres horas Chirurgi linimentis turundâque vulnus opplevere: sed ne quid damni caperent oræ ex sanguine vel coagulato aut inflammato, digestivum fuit additum. Turunda quoque, ne intus abriperetur, alis instructa picatis; quod enim aliàs funiculis tentant, id eum in modum commodius & comtius fieri posse videtur. De digestivis id duntaxat notavi, ea, dum vulnus reddunt nitidius & a corruptione immune, consolidationem quoque & carnis procurare luxuriem, atque ita vulnus maturius sæpe coire, aut saltem coitum tentare, quàm necessitas postulat. Igitur meo consilio id minime agendum, dum cruda sunt omnia, dum sanguis nondum emanavit, dum fundus & si quæ sunt in angulis, non satis purgata: tuenda quidem interior vulneris superficies à corruptione, sed non nimium caro augenda, adeo non temere nec terebinthina cocta, nec unguentum fuscum Felicis Wurtzii, quo liberalius vulgo utuntur, adhibenda. Erupit tandem exspectatò sanguis perniciem latibulo suo minans, sed rivo tam tenui, ut oras dilatare necesse fuerit. De isto autem sanguine meritò quis quærat, utrum jam ante in Thorace stagnaverit, an nunc demum irruperit. Stagnasse eum multis indiciis constat; quod autem non eruperit, id partim terrori, metui misto, qui vulneratum occupaverat, partim coalitis, ob contractionem musculorum intercostalium, fibris adscribendum fuit. Certè pulsus illa tenuitas argumento erat, motum sanguinis necdum satis integrum, adeo & lentam fuisse in extremis circulationem; quod ipsum & frigus externi habitus atque etiamnum durans vultûs squalor testabântur. Et ne quis putet sanguinem stagnantem & extra venarum sphæram rejectum nullis amplius nec animi nec corporis passionibus obnoxium; etiam aquæ illæ abdominis & pus empyicorum, quamvis degener materia, & terrore & animi deliquiis quandoque sistuntur.

ARTIC. V.

Circa horam nonam vesperi redimus, ubi pulsus à nobis deprehensus imbecillis atque angustus, ægro tamen ob inutilis san-

guinis copiam nonnihil levato. De vulnere autem nihil adhuc dum certi, quod de Pulmonum læsione non constaret. Jam verò nobilis alicujus partis noxam symptomatum sæviorum congeries facilè arguebat. Pulmones rursum respiratio sic satis idonea à culpâ vindicabat; erat quidem illa paulò concitatior & quasi abrupta, verum res mira! nec tussi, nec sanguine comitata. Sed ut omnis dubitandi materia amputaretur, adhibitus in testimonium cereus, vulgato experimento, sed & ipse luminis constantiâ ostendebat nihil aëris vulnere efflari, adeo & illæsam Pulmonum superficiem nihil misisse sanguinis, fallaci tamen, ut apparebit, eventu.

Ex hisce puto constare, quam *res solliciti plena timoris* prædictio, & quam una circumstantia, ut in aliis quoque accidit, variare negotium possit. Ponderanda sunt omnia, & ubi ponderaveris, non protinus fidendum indicio, quando in abdito lateant, quæ universam prognoseos materiam moderentur. Equidem, cum, morbi ingenium non in totum est perspectum, incerta est futurorum ratio. In hoc casu, cum nondum vera & adæquata vulneris causa attingi potuerit, utique nihil decernendum erat. Credibile vel grumum sanguinis, aut obversum Pulmonis lobum, quâ parte illæsus erat, aëri viam præclusisse.

ARTIC. VI.

Postridie ejus diei, qui erat mensis quintus, accessi matutinus ægri conditionem exploraturus. Ibi tum vultus æquè ut antè rigidus labraque adhuc livida: Pulsus celerior & caloris augmento comitatus: Respiratio profunda magisque interrupta: intolerabiles circa cor angustiæ dolorque supra modum atrox: Vulnus detectum, quamvis inclinato corpore, nihil reddidit sanguinis; & quia aërem matutinum admittere inconsultum erat, post aliquot quassationes turunda indita, vulnusque religatum. Intus autem analepticis vulnerariisque, & quæ grumum dissolverent, certatum. Exemplum mistura tale erat: Recipe Aq. Veronicæ, Scabiosæ, Pimpinellæ, Chærefolii, Scorzoneræ comp. aa. Unciam

j.

j. Cinnamomi, Diabor. Spir. Fragorum aa. Unc. Semiſs. Diaſcord. comp. ſcrupul. IV. Aceti Vini ſtillat. Unc. Semiſs. Ocul. Cancri ppt. Drachm. j. Spermatis Ceti grana XV. Sacchari rotul. perl. Q. S. ad gratiam. Miſce, cochleatim uſurpetur.

ARTIC. VII.

De Meridie horâ fere quartâ vix amplius dolorum patiens Chirurgo neceſſitatem impoſuit vulnus reſolvendi. At ille nihil audens ſine conſilio, præſentiæ meæ omnia reſervâbat; itaque protinus adſum vulnerisque aperturam planè ſuadeo, quod ſanguinis erupturientis molem jam tum animo præſagirem. Reperio autem ægrum viribus valde defectum & languentem, aucto nunc etiam caloris gradu pulſusque celeritate. Cor mirificè excruciabatur, ut quod non ſatis commodè in illâ ſanguinis prementis copiâ volutari poterat. Reſpiratio conciſa & profunda, Pulmonum illam expanſionem abnuente cruore. Tuſſicula jam invaluerat, ſed non magnopere moleſta, & quâ, ut ipſe dixit, jam ante morbum laboraverat; neque ſicca illa, aut ſanguinem; quæ noſtra erat exſpectatio, ſed craſſam coctamque referens materiam. Unde ignarus quid conjicerem, ſtatui occaſionem Tuſſis operiri; nec mora, effertur tuſſi phlegma coctum nitidumque, ſed unicâ ſtriâ ſanguinis diſtinctum; ex quo cum ego Hæmoptoen jamjam affuturam crederem, alia omnia evenerunt; nam inde rurſum materia alba & cocta, nullum toto morbi decurſu nec ramentum, nec guttula ſanguinis. Vulnus detectum, inflexo in angulum acutiorem corpore, ingens ſanguinis profluvium dedit, etiam majus futurum, niſi plagam vinculis coërcuiſſemus. Sed cum paulò poſt per turundam quoque & emplaſtrum promicaret; reſerato vulnere quatuor rurſum Unciis exeundi libertatem dedimus, ægro jam fatiſcente & emiſſi ſanguinis copiâ ſedecim Uncias æquante. Itaque neceſſum erat momento fungi illius orbicularis, quem lupi crepitum noſtri vocant, ſtricturisque validis oras vulneris occupare. Interim æger medicamento priore refectus & ponderis aliquod levamen ſentiens, circa veſperam, horâ nonâ

 reditum

reditum sollicitabat, quem & ipsi ultro condicebamus. Itaque novus eo tempore orgasmus & erupturientis sanguinis prurigo ægrum molestabat? & quod timeret cum tantâ sanguinis mole animæ quoque exitum, ægrè adduci potuit, ut vulnus recluderemus; verùm intellecto periculo non recusavit Chirurgorum operam. Imò cum sibi adhuc constare videretur, inutili omnino & in isto loco noxio cruori claustra laxavimus: effunditur ergo non sine trepidatione adspectantium pleno flumine ferè ad Uncias XII. Ad hæc febris invalescens sudorque repente subortus frigidus sinistri ominis suspicionem movebant: verum & illa tempestas non perpetua. Repetita prior potio, & quod sanguis nimium se profundere videretur, Pulverem commendavi adstringentem in jusculo vitulino partim sumendum: Recipe Pulv. Sanguinis Draconis gr. XXV. Corall. rubr. ppt. Scrup. j. Laudani opitati gr. j. Misce.

Nihil hic magis mirandum, quàm quod nihil sanguinis in tam metuendo Pulmonum vulnere ore tussi proruperit, quæ nota aliàs esse solet percussi visceris. *Ballonius* tamen, & ipse gravis Practicus, *Consil. lib. II. cons. XXII.* unum & alterum exemplum allegat, ubi nihil prodierit ore, Pulmonibus læsis, censetque ejus rei rationem esse valde perplexam. Ego autem, ut credam in leviculo vulnere & velut superficiali pulmonum stricturâ sine Hæmoptoe transigi morbum posse, ita hoc casu, ubi grandior vena atque etiam, ut postea apparebit, Pulmonum pars abrupta fuit, non satis capere possum, quem in modum laceratis vesiculis angularibus, in quas bronchiorum capillaria proxime se inserunt, una cum aëre non etiam sanguis aut quod ejus tenuius est abripiatur. Dicendum fortè est in illo Naturæ lusu grumulum aliquem sanguinis aut laceram Pulmonum membranam, velut valvulam, capillarum extremis obductam, aditum obstruxisse.

ARTIC. VIII.

Die sexto Maji eadem ferè symptomata quæ pridie, nisi quod moles iterum sanguinis eruptionem tentaret, circàque oras vulneri-

neris calore quodam efferveſceret, indicante hoc ægro. Itaque manè emiſimus ſanguinis libram ſemiſſem, etiam de Meridie erumpente ſub finem ſpumoſo ſanguine, qui ſe hactenus non prodiderat. Cereus in experimentum rurſum adhibitus tandem quoque aërem vulnere efflari oſtendit, ut jam de Pulmonum vitio dubitare amplius non liceret. Veſperi extractæ rurſum quinque Unciæ, eratque fluor inæqualis & ad ſingulas inſpirationes fortior atque ſpumoſior; ſemper tamen ad ſanguinis miſſionem levamen ſentiente ægro. Miſtura & Pulvis iterata.

Nunc tandem perrupiſſe molem ſanguinis aër videtur, ut & in ſpumâ exiret & cereum difflaret, excuſſo nempe repagulo, quod hiatum inſederat. Sed paradoxum eſt, non eâdem quoque viâ, qua aër ſe proripuit, ſanguinem rediiſſe, aut volatile ſerum, cum aliàs ſæpe etiam ſanies veſiculas tranſudet pulmonum, lobulisque bronchiorum excipiatur. Dicet alius, ſi quid obſtitit impedimenti, adeo nec aër prorumpere debuit? at fuit fortè ea per accidens obverſæ membranæ figura, ut externa quæque arcere & aërem duntaxat deſuper illapſum admittere potuerit. Forte etiam bronchiorum aliqui ramuli attriti & fluctuantes alter alteri viam incubitu obſtruxere, ſolo aëre in inſpiratione exitum ſibi parante; neque enim, dum aër egreditur, Pulmonum capillaria ingredi ſanguis potuit, dum verò & ipſe viam emetitur, compreſſis ſtatim capillaribus aut objectâ in illâ contractione valvula membranea, quæ vis omnis externa eſt, ab ingreſſu prohibitus & ſanguis videtur. Credibile etiam eſt, ſi in ſummâ aut mediâ parte Pulmonum fuit plaga, haud ita facilè aſſurgere ſanguinem, ac ſi in infimis ſit, niſi hiatus efficiat, ut qui è venis erumpit ſanguis, mox in bronchia tranſeat.

ARTIC. IX.

Septimo Maji ægrum eodem ferè ſtatu offendimus, niſi quòd febris, reſpiratio & tuſſicula aucta viderentur; quod ipſum in partem infortunii trahebam, cum in illa quaſſatione Thoracis nulla quies, nulla coëundi poteſtas ruptis venis concederetur,

 quia

quin potius ad tot irritamenta alius ex alio sanguis cavum inundaret. Apertum vulnus tredecim Uncias sanguinis spumosi & sibilantis refudit. Cum itaque hoc argumento, etsi cæterorum symptomatorum vehementia nonnihil remisisse videretur, omnia in ancipiti posita viderem, nec quidquam internis in tanta hæmorrhagia effici posse persuasus essem, consilium cepi infusionis, an fortè propius & melius Clyster ad venarum oras deferri sistereque impetum sanguinis posset. Cogitanti autem mihi incidit quidem de aqua styptica suspicio, sed vis illa adstringens vitriolata, qua sanguinem efficacius coagulat inque grumum cogit, dissuadere usum videbatur. Metuendum enim erat, ne sanguine quoque, qui Thoracis cavum inundabat, atque adeo Pulmonum cordisque motu suspenso vita periclitaretur. Chirurgi etiam, quibuscum communicabam hoc consilium, insuetam sibi medicinam aliquantum horrescebant. Sed cum monstrarem nihil in ea fore periculi, modò blandis molliculisque adstringentibus uteremur, consensere tandem & ipsi manifesto discrimine compulsi. De die interim medicamentis indulsit prioribus, ne vires nimium labescerent. Sub vesperam redii, sed laborantis conditio nihil melior; fortè quod retectum vulnus sanguinem non funderet, quem tamen adesse copiosum illa pectoris gravitas & alia symptomata facilè significabant. Formulam hanc Clysteris Thoracici adstringentis in futurum præscripsimus: Recipe Prunorum sylv. Drachm. I. Fl. rosar. rubr. balaustior. aa. pug. j. Herb. Veronicæ Man. j. polygoni Man. Semiss. Radic. torment. Drachm. ij. Terræ sigillatæ Scrup. ij. Coque in s. q. aquæ hordei ad Uncias octo, colatura detur usui. Hora nona vespertina denuo ægrum visitavi, & cum omnia gravia viderentur, vulnus recludi jussi. Ibi tum statim novum profluvium & ad singulas exspirationes auctius, excutiente sanguinem convexo diaphragmate. Unciæ erant octo. Sed quia verebar, ne sanguis ad postica & angulum declivis diaphragmatis prolapsus mora stationem quæreret, jussi subjectis pulvinaribus corpus nimis

resu-

resupinum erigerent, quò facilior deinde esset effluxus. Et quia Clyster adstringens jam erat paratus, infusionem primum trium cochlearium fieri mandavi. Æquo animo tulit eam patiens sensitque ad teporem Clysteris Thoracis cavum blanda velut sparsione irrigari. Relictus inibi Clyster ad diem alterum vulnusque obligatum; interea, cum febricula infestior esset, & saturata rubedo, Peripneumoniæ symptoma, genas occuparet, medicamentis utendum duxi sanguinis bullientis æstum stagnantisque coagulum impedientibus. Itaque hunc pulverem præscripsi. Recipe Antimonii Diaphoret. Ocul. Cancri ppt. Fl. sulphuris rectif. aa. Scrup. Semiss. Spermat. Ceti, Mumiæ Alexandrinæ aa. gr. VI. Sacchari penidiati gr. XII. Misce F. Pulvis pro duabus dosibus.

In omni hæmorrhagiâ quies utilissimum remedium: notum enim est, quam musculorum quoque motus sanguinis promoveat fluorem. Quid ergo censendum de præcipuo illo post cor circulationis organo, Pulmone, qui sine ullâ intermissione systoles illas alternat, & haustum sanguinem inflatu continuo propellit. Utrum credibile est motu isto non interrupto aut sisti sanguinis impetum, aut coire vasa posse? videmus, quàm in musculosas partes adactum vulnus, si vena est percussa, omnem planè motum abnuat, & nisi quies imperetur eaque continua, haud facilè coalescat: nunc in mobili isto perpetuò ferventisque à corde sanguinis pleno organo venæ coibunt? itaque ego non mirabar fluidi continuoque impulsi sanguinis pertinaciam; propius miraculo videbatur in illa partis volutatione desiturum aliquando, qui inceperat, fluxum. Aër ille, quo sine nec momentum vivere possumus, dum influit continuo, bronchiorumque & vesicularum replet utriculos, hoc ipso venarum, quæ toto viscere comites incedunt, membranisque vesicularibus intexuntur, spatia coarctat sanguinemque in truncum venæ Pulmonalis, inque auriculam Cordis sinistram mechanicè exprimit, ne quid facultatis vel expultricis aut attractricis subesse quis credat. Hac compressione, ut

ut omnes promiſcuè venas, ita has quoque anguſtari, ſanguinemque continuò ejici neceſſum eſſet, niſi peculiari vi balſamica in tanto diſcrimine ipſa ſibi ſufficeret Natura, & ἀπαίδευτος ἔργα periculo occurreret; Sed in hanc rem conjecturam ſuo loco reſervamus.

Famoſa eſt aqua ſtyptica, Gallo auctore in noſtrum quoque orbem ſparſa, ſed cujus efficaciam non æquè omnes ſalutarem aut certam experti ſunt. Vis autem, quâ ſe commendat, in coagulatione ſita eſt, quæ ut non ubique neceſſaria, alibi etiam damnoſa, non mirum eſt eventum ſæpè deſtitui, & nuper adeò laudatam medicinam in criminis ſuſpicionem adduci. Intereſt plurimum ſcire, quam magnum ſit vulnus, & qua parte, & quo modo illatum, rectum etiam an obliquum, ſecundum fibrarum ſeriem an contrà, perpendiculare, an horizontale? certè enim pro magnitudine & figura ſanatio variat coagulumque ſanguinis aut conducit aut nocet. Vidimus ipſi, viderunt etiam alii, ingreſſu vulneris per grumum obſtructo, quod reliquum erat fluidi ſanguinis, actis ſubtus cuniculis, paſſim per muſculorum tendinumque fibras ſeſe dividiſſe, & mutato mortis genere, non ex hæmorrhagiâ, quæ fortè aliis remediis ſedari tutius potuerat, ſed gangrænâ obiiſſe vulneratos. Teſtis quoque eſt ejus rei ὁ πολυμαθέστατος *Bartholinus*, nuper nobis ereptus, *in Actorum Hafniſium* volumine tertio. Quid quod toties etiam, quoties grumus vel ex improviſo aut cum faſciis excidit, excidit autem ſæpe) Hæmorrhagia recrudeſcere, novamque curam, perinde ut priorem incertam, poſcere viſa eſt. Et ut laudanda ſit aquæ illius virtus, nolim tamen alienis manibus præparetur, aut citius, quàm oportet, adhibeatur, non etiam temere cavo ventrium committatur, quare neque hoc caſu periculum ejus facere ſuſtinuimus. Viſum eſt nonnullis abſurdum una opera ſimul & craſſum ſanguinem fundere & tenuem condenſare. Sed experientiam obſervanti apparet felix eſſe utriuſque in ſpeciem contrarii connubium. Tam eſt curioſa ſui Natura, ut varii generis medicinas

ipſa

ipsa pulchre disponat, & quamvis confusas suis tamen singulas objectis vitiisque accommodet. Quæ coagulant sanguinem particulæ, non ante se exserunt, quàm eò sunt delatæ, ubi illarum est usus; quæ attenuant, & ipsæ sibi contrarias respiciunt nec facilè aliis efficaciam impendunt suam. Cujus rei rationem hanc esse puto, quod quæ attenuant, grumumque resolvunt sanguinis, fibrosis imprimis caseosisque ejus particulis & lymphæ tenuiori miscendæ specificè sint accommodata: quæ condensant, ea dividendo utriusque conjugio præcipitatione aliquâ aut adstrictione inserviant, dum seri poros excussis sanguinis fibrosioris particulis ipsa vel occupant aut una coarctant. Ut ne quis culpam famigeratissimo *Sylvio* intentet, qui ut alias sæpe, tum in hæmorrhagia semper, absorbentia, balsamica, & coagula resolventia invicem commiscuit magnoque nominis elogio usurpavit.

ARTIC. X.

Octavo die Maji, erat is à vulneratione quintus, febris remissior etiam post noctem mediocrem: tussicula autem paulò asperior; at sanguinis immunis, coctâ duntaxat prodeunte materiâ. De gravitate dolebat in dorso circa nothas, quâ diaphragma declinat, inde & spatio hypochondriornm anteriora versus, quod cum ego à consensu partium vicinarum esse conjicerem, potuit postea aliunde esse. Ad resolutionem vulneris præter omnem opinionem nihil erupit sanguinis, sive quod Pulmo interveniret, seu quod ad postica relapsus cruor haud facilè se revocari pateretur. Conabatur quidem & juvabat sollicito flexu profluvium æger, sed frustra; itaque, ne aëris ingressus cavo noceret, religari vulnus jussimus, aliam profluvii oportunitatem exspectantes. Cum ergo circa meridiem inquietior factus molem stagnantis sanguinis æger persentisceret, ipse auctor & suasor extitit, ut vulnus resolveretur, non detrectantibus officium Chirurgis. Exivere Unciæ sanguinis octo, sub finem etiam complures bullæ spumantes. Ingravescente cum vesperâ febri, genisque efflores-

centibus, ante horam nonam vulnus recludi mandavi, sanguinem si quis esset, evocaturus; nec mora, quin magnum rursus profluvium, sed quod post sex Unciarum jacturam maturè cohibitum. Instillationem de die intermissam meo jussu repetivere Chirurgi.

ARTIC. XI.

Postridie matutinis horis melius se habebat, tantum de pondere & puncturis postica versus conquestus. Respiratio quidem difficilis, concisa & frequens, sed non ex æquo & vulneris ingenio. Sanguis post resolutionem undulatim profluxit tandemque in spumâ defecit. Unciæ erant quatuor. Igitur, quod coagulum, & jamjam adfutura putredo jure metuerentur, mutavi Clysteris genus, & decoctos in aqua hordei Centaurii flores melle rosato deliniri; Unciamque unam & semissem, hoc est, tria cochlearia instillari jussi. Ptisana & vitulinis jusculis, quod solidiorum non esset capax ventriculus, satiare ægrum oportuit; quamvis vix etiam hæcce ferendo esset. Vesperi ægrum rursus visitavimus, ubi præterquam quod febricula invaluerat, etiam dolores offendimus solitò majores, maximè jam in hypochondrio sinistro; quod cum à loco affecto planè distaret, conjectavimus flatuum illam culpam esse, & sanè ita erat; evacuatâ enim alvo dolor remisit & ipse sibi æger visus alacrior. Interim remotis linamentis atque turundâ non protinus sanguis erupit, sed demum post varios conatus commodeque inflexum corpus. Ex illo autem certum oportuit servare situm, quo sanguis liberius profluere, nempe ferè illum, quem, dum vulneraretur, tenuerat. Copia emissi sanguinis, subtracta Clysteris quantitate, quod semper fecimus, Uncias æquabat XII. & quod ad priorem Clysterem quoque, id ad hunc maximè apparuit, medicatum prodiisse sanguinem Clysterisque odore perfusum.

Si rationem figuræ & nexûs diaphragmatis attendimus, utique non videtur res levis, omnia ita ex declivi angulo evocare, ut vel statim in anteriora incumbant, aut, quæ sunt omnia excutiantur

tur. Alligatur diaphragma Xyphoidi cartilagini, à quâ ſtatim ad quartam, aut, ſi placet, alteram coſtarum notharum, inde ad ultimas, & duodecimam dorſi inde & aliquot lumborum vertebras obliquato ductu deſcendit, & apophyſibus carneo tendinoſis ad os usque ſacrum demittitur. Atque hic ſi calculum ineamus intervalli, quod ab utroque circumferentiæ puncto relinquitur, apparebit obliquius eſſe in homine hoc organum, quàm animalium ullo; accedit, quod in exſpiratione plani non tam inclinati quàm convexi & in obtuſum apicem ſurgentis centri figuram referat, adeo etiam curvilineâ ſuperficie angulum relinquat decliviorem & recto longè minorem. Ut adeo, ſi quid iſto loco expellendum eſt, inſpiratione magis fieri debeat, quam exſpiratione, nempe tum, quando muſculus ille ex convexo tumore in planum ſubſidit minus inclinatum. At cum ex circumferentiæ natura non poſſit planum fieri horizontale, videtur corporis prono inflexu defectus ille ſuppleri, id quod poſtridie, & aliis diebus ubi moram nectebat ſanguis, experimento dicimus. Multum autem juvandæ huic figuræ vulneris ſedes conferre videtur; nam quo à circumferentiæ & quidem poſticæ finibus propius abeſt, hoc facilius eſt profluvium, multò contrà difficilius ſi ad anteriora incumbat, difficilimum autem ubi ſuperioribus coſtis inflictum eſt; nam aliquid & hoc excretionis levat moleſtiam, ſi in anterioribus quidem, ſed tamen humili loco, interque quintam & ſextam aut ſextam & ſeptimam vulnus reſedit; quorum iſtud noſtro quoque ægro non leve præſtitit beneficium.

Nimirum, quod Hæmorrhagia nimia eſſet & corpus cum tempore nutrimento fraudaretur ſuo, conſultum duxi juſculis naturæ noſtræ affinibus & gelatinis jacturam ſucci nutricii reparare. In quorum commendationem hoc quoque accedebat, quod viſcoſis dulcibusque particulis ſanguinis deliniant fervorem motumque impediant, adeo & vaſculorum coalitum blandè procurent. Medicatam magis Gelatinam cenſeo illam ex Cornu Cervi decoctam, quippe quæ ſale etiam volatili fœcunda fermento vu-

nerum noxio expugnando plurimum confert, quæ si specificis Syrupis aut acido Citri temperetur, etiam diversarum partium vulneribus & symptomatis accommodari potest.

Rarissimum est, ut non in doloribus istis, qui sunt à vulnere, hypochondria intumescant; & in illo spirituum humorumque orgasmo non etiam, qui in intestinum emittuntur humores, tum maxime bilis fluida & volatilis, effervescant, & cum ad alvum in illâ corporis quiete perduci nequeant, cumulatis flatibus ventri laterique officiant. Atque ideo in vulneribus quoque commendatissimi Clysteres & quæ primam purgant regionem laxativa. Nam si alibi, hic quoque videndum, ne quid ex ventre rapiant venæ, quod dulcedinem balsamicumque sanguinis saporem, quo maxime ad glutinanda vulnera est opus, corrumpat.

ARTIC. XII.

Decimo Maji, quod situs esset repertus, qui evacuando erat idoneus, flumen prosiliebat cruoris, cujus ex nigredine & odore quasi pisculento, certè peregrino, jamjam adfuturam corruptionem augurabar Emissi sanguinis copia uncias sex æquabat: jam verò quod pridie feceramus, liquoris negligere infusoriam piaculum videbatur; immissa ergo lento manuum tractu Clysteris cochlearia quatuor. Respiratio adhucdum difficilis; tussicula remissior & nihil non cocti prodiens. Medicamentis pulmoneis bechicisque ex æquo continuatum. Laudavimus imprimis conservam Rosar. Hisp. ut quæ demulceat non tantum sanguinem, sed & spiritus reficiat. Etiam ad calorem temperandum & particularum effervescentium acrimoniam obducendam sequente formulâ usi sumus: Recipe Hordei mundati & ad crepat. cocti Unc. Semiss. Amygd. dulc. mund. Drachm. j. Sem. Mel. non rancid. Aquilegiæ, Milii Solis aa. Scrup. ij Aq. Fragariæ, Fl. Acaciæ aa. Unc. iij. Scabiosæ, Scorzoneræ, Veronicæ aa. Unc. ij. F. Emulsio S. A. Adde Aq. Cinnam. diabor. Unc. j. Syrup. Rosar. Rubi idæi aa. drachm. ij. Ocul. Cancri præp. Antimonii Diaphoretici

retici aa. Drachm. Semiſſ. Saccari rotulati perlati Q. S. ad gratiam. Miſce.

Circa veſperam febris invaluerat & remotis plagis linamentiſque novum ſanguinis flumen matutino æquale apparebat, & cum vix ſuffecturum ægrum putabamus, tantùm non poſt ſingulas corrupti ſanguinis miſſiones animoſior erat atque erectior. In cruore, etſi dies jam ſeptimus verteretur, nulla adhuc dum puris lineamenta, nullæ fibræ; multò potius atra ubique & ſyrupi inſtar mucilaginoſi craſſa facies in refrigerato; quid quod fluentem adhuc & calidum ſanguinis rivum odor comitabatur viroſus, peregrinæ cujuſdam mutationis index; itaque cura habita inſtillationis.

Puris plerumque generatio haud ita diu trahitur; ſed tamen pro corporis ſanguiniſque natura ocyus aut ſegnius procedit. Si corpus frigidioris temperamenti aut texturæ denſoris, tardius, ſi calidioris & rarioris, citiùs abſolvitur. Utplurimum tamen tertio, quinto aut ſummum ſeptimo die veſtigia puris in extravaſato cruore eluceſcere ſolent. Quò magis mirum videatur, necdum ullas puris notas apparuiſſe. Exiſtimo autem ſanguinem, qui extra venarum ſphæram in cavitatem effuſus eſt, cum à cæteri ſanguinis conſortio ſit diſcretus, adeo nec calorem amplius, quem invicem ſibi ſuffundere mobiles particulæ poſſunt, participet, tardius ad ſuppurationem diſponi, quàm alium quemque. Accedit, quod qui in Thoracis cavo continetur ſanguis, pulmonum & diaphragmatis appulſu à quiete, quam fermentalis putredo expoſcit, prohibeatur.

ARTIC. XIII.

Undecimo Maji eadem fere phænomena, quæ ante; nam & ultra libram profluxerat putidi obſcurique ſanguinis, ſive quod Acaciæ ſuccus ater, quem ob hæmorrhagiæ periculum in Clyſterem addi juſſeramus, ſeu quod putredo in moram verſa nigrum contraxiſſet colorem.

ARTIC. XIV.

Duodecimo, id eſt, nono poſt acceptum vulnus, die, nox δύσφορος multaque tuſſi & conciſa reſpiratione tranſacta: adeo majus malum ſuſpicatus novo conſilio animum firmabam. Equidem in tam neceſſaria animæ ultrò citroque euntis reciprocatione vix credibile erat, vulnus, ſi quod eſſet in Pulmonibus, ad ſanitatem perduci poſſe, adeo nec hæmorrhagiæ modum fore. Præſagiebam itaque poſt ſymptomata ingentem ſanguinis undam; nec fefellit opinio; pleno enim flumine erupit, non floridus amplius aut integer, ſed ſqualore inquinatus: inſtillationes frequentatæ detrahebant quidem nonnihil iſti contagio, ſed vincere in totum non poterant; quo ne quis hodiernum aut pridianum eſſe ſanguinem exiſtimaret, ſed nuperum & jam inde à primo vulnere ſuperſtitem. Tam diverſa undique ſymptomatum facies aliud atque aliud ſuadere videbatur. Mane prodiit unda decem Unciarum, puris autem nihil quidquam. Sub veſperam Unciæ ſex effluxere; febricula quoque intenſior & φλόγωσις genarum, ſi nunquam aliàs, nunc certè maxima, ut diſcrimen aliquod Pulmonum eſſe appareret. Reſeratum vulnus ſanguinem reddidit ſpumoſum fœtentisque auræ plenum. Pulſus erat concitatior, inquies corporis ſumma, omnia in turbido; Inſtillationes potionesque vulnerariæ ſtudioſè imperatæ; imo, ne quid à vulgari methodo deficeremus, decoctum præſcripſi ex Pyrolâ, Conſolida majore & mediâ, Scorzonerâ, Scabioſa, Tuſſilagine, Veronicâ, Liquiritiâ & Paſſulis, adjecto quoque ob ſuſpectam putredinem florum Centaurii pugillo uno & altero; nempe, quæ ejus erant naturæ, ut molli dulcique glutine vulneris conſolidationem promoverent.

Prodigio proximum erat ſanguinem effundi tam copioſum, &, ut odor & craſſitudo teſtabantur, inveteratum. Quis autem credat in tam anguſtis occupatisque ſpatiis hærere illam ſanguinis molem potuiſſe; ſi non hæſiſſe conſtat ex aliis ſignis, quidni novitatem ipſe ſuam tenui roſeoque effluvio teſtetur? an verò

ſta-

ſtagnantis quoque contagium in vicinam maſſam tranſiit humorum? Rem bene ponderanti videtur utique pars aliqua jam inde ab initio hæſiſſe, ſed quæ continuò affluentem ſimili inficiat contagio, & ſpecie ſui obducat. Jam verò, ſi rupta uſque patuit vena, quis tandem futurus erat excretioni modus in illa viſceris concuſſione? ſed hic quoque nos data opera expediamus.

ARTIC. XV.

Tertio decimo die vix alia rerum ſpecies certante hinc Naturâ, hinc morbi aſperitate; mane tamen, in univerſum pacatior quàm veſpere; utrisque vicibus æqualis fere copia ſanguinis Uncias pendebat quatuordecim, detracta, ut alias, Clyſteris menſurâ. Dies erat à vulnere decimus, ubi necdum vel veſtigium puris; itaque priorem cogitationem facile repudiaſſem, niſi nidor ille cruoris peregrinus in illâ craſſitudine animum denuo confirmaſſet. Inſtillatio ſtudiosè repetita.

ARTIC. XVI.

Quarto decimo die novum emicuit ſymptoma, namque vultus roſeo & Laccæ Florentinæ æmulo colore perfuſus Peripneumoniæ, inflammationisve pulmoneæ ſuſpicionem augebat, ſed motus Thoracis non adeo inæqualis & remiſſa inſpiratio diverſum quid ſuadebant. Febricula etiam lenta corpus depaſcebatur, eratque amplius depaſtura, niſi tam profuſa hæmorrhagia orgaſmum infregiſſet. Ipſo hoc die eductæ fuere Unciæ ſanguinis octodecim, ſed vapidi & mucilaginoſi, ut jam in propinquo eſſe corruptionem crederes. Pluſculum ſucci Acaciæ in Clyſterem addi & ſyphonem ad alias aliasque Thoracis partes converti juſſi, ſicubi fortè perruptis venulis adſpergi liquor adſtringens poſſet, Suaſi etiam juſculis quàm maximè gelatinoſis profluentis ſuccidamnum reſarçiret, quod nec abnuit in mediocri appetitu.

Certè, cum ſanguis ſit pabulum & ebullitioni febriculoſæ ſubjectum, fieri nequit, ut non cum diminutione ejus magna quoque effervеſcentiæ pars tollatur. Atque ideo protinus ad inflam-

flammationis suspicionem compendiosè sanguis mittitur, imo etiam, ubi minus ille ex vulnere fluit, quàm oportet; atque ob eam quoque causam, quæ est Prudentiorum Medicorum animadversio, non statim, ubi vulneris est Hæmorrhagia, de sistenda ea cogitatur, sed relinquitur exeundi copia, donec viribus & depascenti eas febri inflammatoriæ satis sit prospectum. In vulneribus tantam sæpe erupturientis sanguinis ferociam deprehendimus, ut nisi emittatur, intus desæviat gravissimaque excitet symptomata; & oras vulneris importuno coagulo fætidaque putredine infestet. Hoc autem casu, ubi jam diu plus justò fluxerat fluxurusque amplius videbatur, quamvis febris leniret periculum, auxit tamen lipopsychiæ aut deliquii suspicionem. Atque ideo causæ erant justissimæ, ut quod in Thoracem exciderat, detraheremus omne, & quod venarum adhuc dum contineretur cancellis, quanta maxima opera custodiremus, quamvis irrito hactenus eventu, quod Natura ostenderet, suas in curandis morbis & abditis & desperatis partes sæpe esse potiores.

ARTIC. XVII.

Quinto decimo morbi die color manè pallidior, circa vesperam autem magis miniatus. Instillatio facta resupinato subtractis pulvinaribus corpore, an forte immissus liquor sic tandem melius vulneri appropinquaret, & aliquando Hæmorrhagia, si quæ esset, sisti posset. Calor etiam inclinante die invaluerat, quamvis non eum in modum, ut febrim aliquam argueret. Cruor effusus ad Uncias duodecim, etsi primùm serosus appareret atque fluidus, mox tamen contracta pellicula crassus evasit atque mucilaginosus, & qui medicatum Clysteris odorem fœtente aura facilè superaret. Mel Rosatum cum pauxillo spiritus vini addi in Clysterem jussi, ut ne putredo, quæ jamjam pus minari videbatur, degeneraret, & sanguis stagnans ab Acaciæ succo plus æquo coagularetur. Intus quoque ad fluorem sanguinis compescendum hanc formulam adhibuimus. Rec. Cornu Cervi raspati Unc. iij. Passul. maj. mund. drachm. ij. Sem. Anisi Unc. Sem. Aq.

Plan

Plantag. Tormentillæ, Scabiosæ ana. Q. S. Coque S. A. Colat. Unciis viij. adde Aquæ è Typhis C. Cervi. Scorzon. comp. Cinnamomi, diabor. ana Unc. Semiss. Syrupi jujubini drachm. vj. M. F. Gelatina vulneraria.

ARTIC. XVIII.

Die sexto decimo Febricula quidem non adeo intensa, sed tamen ingens virium deliquium, pulsusque ipse non quidem pro magnitudine morbi, sed comparatione cum antecedentibus institutâ exiguus. Pondus puncturæque lateris, ex quibus valde dolebat æger, molem & acrimoniam sanguinis tabescentis in illâ Pleuræ viciniâ satis indicabant, etsi nulla, mirabile! vel tussis aut alia vellicatio incommodaret. Detecto vulnere manè quidem Unciæ quatuordecim fœdi cruoris putidumque olentis, totidem etiam, quod vix credas, vesperi ultima minari videbantur; sed vultus constantia in tam copioso alibilis succi detrimento aliud promittebat; ad examen revocatus cruor crassior apparuit & variegati in fundo coloris, ita ut purpuram pallidiorem dilutioribus & carneis striis intermistam referret. In refrigerato grumuli fundo hærebant candidiores, sedimenti urinacei, ubi post morbos solvitur, æmuli: instillatio continuata & jam ante potio vulneraria.

ARTIC. XIX.

Die septimo decimo, qui vulneris erat quartus decimus, eadem adhuc symptomata viriumque majus discrimen, ægro jam quoque animum despondente, cum ad vulneris aperturam ingentem denuo profundi sanguinis ad Unc. XI. copiam videret. Sanè nos quoque ad illam stagnantis fluidi quantitatem perculsi, quodvis experiundum duximus, & cum nihil vel probatissimis effectum esset, hæc fortè Naturâ abhorrente, ad liquorem facilè stypticum pedem retulissemus, nisi illa sanguinis putidi crassi & jam purulenti copia diversum suasisset. Itaque receptam methodum ingressus Deo Naturæque negotium committere satius duxi, id tamen etiam conatus, ut tantillo spiritus vini in

Clysterem addito crassitudo imminueretur. Vesperi reverso pulsus, virium functionumque omnium majus erat deliquium, quamvis non ex æquo morbi. Reserata plaga Uncias reddidit duodecim. Æger exonerata putidi sanguinis mole non tantum sibi constabat, sed & parte aliquâ sensum doloris puncturasque jam aliquot diebus infestas levari fatebatur. Examinatus uterque in patinis cruor non tantùm fœdè olebat evaporatis particulis medicamenti, verum etiam in fundo saniem ostendebat crassam mucilaginosam atque purulentam. Itaque isto indicio de pure quidem concepimus spem lætam, sed illa permisti sanguinis copia vires ægrè sustecturas arguebat, & deinde in tantâ sanescentis fluidi morâ solida jam corruptionem hausisse videbantur.

ARTIC. XX.

Octavo decimo die nihil ferè mutata conditio ægri, si quod somnus de nocte mediocris doloris sensum abstulisset. Resoluto vulnere effluxere iterum Unciæ sanguinis tredecim, intermistis fibris pallidioribus, quas in refrigerato apparuit esse puris jam maturati strias. Cruoris substantia multis jam partibus serosior, quàm pridem, quod nempe crassioribus caseosisque fibris fundo subsidentibus inque pus excoctis serum innataret. Circa vesperam pauxillum duntaxat prorupit sanguinis, morantibus fluorem tenacioris materiæ filamentis. Jussimus ad hæc Clysterem melle vinique spiritu, quem hactenus commodè toleraverat, perfundi, addita etiam ad arcendam putredinem Balsamicorum tinctura.

Quo magis elaborari pus cœpit, hoc sanguis fuit & tenuior & aquosior; ut hoc ipso constet, puris generationem ad crassas potissimum & filamentosas sanguinis particulas spectare, esseque velut sedimentum quoddam sanguinis fermentatione eamque sequente præcipitatione tinctura sua & viscositate orbatum. Familiare est inter Chemicorum experimenta Tincturas quàm saturatè rubras aciduli spiritus nidore in candidas verti, & cum huic quoque fermento inflammatoriæ mutationis causas imputent nostri,

ſtri, facilè etiam, quod inde reliquum eſt ſymptomatum, hinc deducas.

ARTIC. XXI.

Nono decimo die mediocriter ſe habuit æger, etſi febris nonnihil invaluerat, degenerante jam in Empyema ſanguine. Reſpiratio aliquantò incommodior, unà & tuſſicula: nihil tamen peregrini in ſputo. Id quoque dolebat, pondus in Thorace augeri, haud dubiè, quod craſſiores particulæ quæ in pus quam maximè abeunt, à ſero ſuo deſertæ diaphragma magis premerent. Ad plagæ aperturam denuo Unciæ duodecim ſanguinis effluebant, ſed quibus acceſſerat triens olidi puris, ut de Empyemate jam planè conſtaret. Itaque cura omnis eo converſa, pugnatumque internis pariter atque externis.

ARTIC. XXII.

Vigeſimo die utcunque melius ſe habere videbatur, prodieruntque ad reſolutionem vulneris Unciæ octo puris ſanioſi & fœtidi, admiſtis tribus Unciis ichoris. Quà de cauſa Clyſteris formulam ita variare placuit: Recipe Fol. Scordii Man. j. Flor. Hyperici, Bellidis, Centaurii min. aa. pj. Myrrhæ rubræ Drachm. Semiſs. Coque in S. Q. aquæ puræ; Colat. Unciis X. adde Mellis Roſati Unciam unam & Semiſs. Veſperi, non computato Clyſtere, Unciæ quatuor puris prodiêre. Hactenus igitur Hæmorrhagiæ ancipitis periculum evaſiſſe videbatur æger, ſed nova à pure ſollicitudo.

Hæmorrhagiam certè non memini aliam vidiſſe aut legiſſe majorem quàm hanc ipſam; quamvis autem per ordinem ſucceſſionis cruor eruperit, multum tamen eſt, tot de die unciis, aliquando & libris, profuſis vires non penitus intercidiſſe. Equidem, cum corpus noſtrum, niſi calculus fallit, viginti duntaxat octo aut ſummùm triginta ſanguinis libris rigetur, neceſſe eſt vetere expulſo novum ſucceſſiſſe ſanguinem, totum adeoque corporis habitum mutatum, non inficiante hoc pinguiore aliturâ, quam poſtea præter omnem opinionem recepit. Aliquid tamen eſt, non ſimul & ſemel

semel effusum fuisse, ut meritò suspicari possim, ex quotidiano victu, potu & cibo, quamvis hic longè esset tenuissimus, redundasse, quod detrimenta illa lentè repararet. Sane id unum serò dolui, non fuisse initas rationes quantitatis in victu, & nec Urinæ, nec excrementorum nec transpirationis, ita enim calculi subductio & mutua omnium, comparatio fuisset facilior. Illud autem haud fallaci conjectura assequi posse videor, excretorum sensilium quantitatem sensilium assumtorum quantitate longè semper fuisse majorem; nam si Urinæ, si sudorum, si excreti sanguinis exigam copiam, quod assumebatur sive liquidum seu solidum, primis saltem diebus ferè nihil erat, quod postea aliquid, & tamen excretorum respectu exile. Ut facilè induci me patiar, aliunde accessisse & vel ex aere, quod seri suppleret vicem, esse, adeoque in ipso, quod Cosmopolita ajebat, *occultum vitæ cibum*, esse nectar analepticum, esse spiritum salemque volatilem & vectricem omnium Lympham, suis tamen & ipsam beatam dotibus fermentisque instructam.

ARTIC. XXIII.

Die vigesimo primo symptomata in universum leniora, etsi subinde per horas ingravescerent. Vulnus manè detectum Uncias refudit puris jam candidioris crassiorisque tres, unâ cum duobus ramentis corporis solidioris articuli digitalis magnitudine: hæc ipsis oculis & microscopio explorata vesicularum Pulmonis substantiam ex parte putridam ostendebant: adeo ut nunc demum de vulnere conjectandi certior occasio esset. Instillationes continuatæ.

Mirificum sanè est nunc tandem prodere se Pulmonis frustillum, ubi tamen initio nec curiosa exploratio quidquam profecerat: Jam ergo constare debebat vulnus fuisse Pulmonis, nec vulnus tantùm, sed & partem lobuli decussam. De vasis autem læsi magnitudine etsi valdè rixentur auctores, video ego etiam non ita magni vulnus periculosum esse, quando in tam continuâ visceris a spumoso sanguine ferventis quassatione, non facilè coaliturum videa-

videatur. Quemadmodum autem quà iter est sanguineorum vasorum, eò quoque pari necessitate contendunt aereæ viæ, tubuli bronchiales, ita necessum eodem semper vulnere & aerem & sanguinem efflari. Ut enim plagam concipias longè subtilissimam & ad capillarem venulam directam, semper tamen & usque vesiculæ pulmonaris læsionem involvi opus est. Cum autem vesiculæ istæ sint expansiones tubulorum bronchialium membraneæ, in quas velut in utriculos immissus aer se recipiat, utique ad minimam statim superficiei pulmonaris, quippe quæ tota vesicularis est, stricturam aerem nisi quid impediat, exire necesse est; ut plurimùm tamen etiam sanguinem, quia vesicularum singulis planis reticulatim intextæ sunt venæ perque minima dispersæ. Hic autem, cum pars decisa fuerit solidior in tanto tamque subito sanguinis profluvio, tum venas aliquot capillares, tum unam paulò majorem pertusam fuisse probabile est. De lobulis autem, an protinus ferro fuerint abrasi, an verò putredine secesserint, dubium est: ego, partim ferro recisos, partim putredine solutos existimem, non vanâ conjectura.

Sub vesperam redeuntibus quatuor apparuere puris fœtidi Unciæ, una cum ramentis solidioribus, sed in speciem putrilaginis corruptis. Intermissa jam instillatio experimenti causâ.

ARTIC. XXIV.

Itaque postridie, dies erat secundus & vigesimus, vix aliquid puris extorquere vulnere potuimus, lentore moram imponente: exile tamen ramentum ori vulneris se objecerat, quod, cum forcipe dentato amoliremur, aliquantulum puris successit. Instillationem autem magno negotio repetivimus. Vesperi reversis exhibuit sese pus ad uncias decem; sed non ante quàm æger in ventrem se abjecisset pronus. Fœtor autem intolerabilis medicatum Clysteris odorem longe superabat: jamque ex adstantibus aliquis, quem novitatis causâ adduxeram, & ipse Medicinæ Candidatus, spectaculo rei, maximè etiam infesto nidore territus, in lipothymiam inciderat, balsamo bene olente, quo quisque se adversus

fœtorem armaverat, ægrè revocatus. Verùm quia pus justo crassius videbatur, spiritus Cornu Cervi tantillo in Clysterem addito fluorem reducere conabamur. At ne vulneris quoque angustia fluxum inhiberet, Turundam mutavimus, immisso ex radice Gentianæ cylindro.

Fœtor ille puris novam sollicitudinem de Hæmorrhagia securis creabat, namque manifestum putredinis periculum minari Pulmonibus & ipsi Pleuræ videbatur. Portento tamen simile, in illa fœtidæ auræ acrimonia, nunc Pleuram, nunc Diaphragma, nunc Pulmones afficiente, nullam unquam tussim secutam esse, nempe aliam, quam quæ causaria valetudo ante morbum excitaverat. Utrum Balsamicus Clysteris nidor vitiosum illud contagium ex parte correxerit, an membranæ fuerint παχύδερμοι atque sensus minus delicati, equidem haud facilè dixero. Scio alias ad inflammationes & puris generationem crescere membranarum texturam & quasi solidari. Interim, dum jam Pulmonis lobulos aliqua sui parte imminutos fuisse constat, notabile est in tanto hiatu pus, quod etiam vesicularum texturam ab aliquibus transudare creditur, non etiam ad fauces bronchiorumque truncos viam affectasse, seque in sputo aut screatu exseruisse. Sed opposuit se forte, quod in pure erat glutinosissimum, viamque valvulæ instar obstruxit; aut ipse in se collapsæ vesiculæ beneficio succi saniosi, ut alias sæpe & labra & digitos conglutinare invicem solet, coaluere; sive etiam ruptæ vasculorum Laciniæ præpostero flexu sibi incumbentes aliæ alias angustarunt, quemadmodum in exenteratis sæpe visceribus vidi nuda illa & fluitantia vascula, si in plano solido promiscuè agitantur, non penitus neque ad omnes partes aditum flatui dedisse. Neque enim in tam obscuro rerum positu evadendi melior spes est.

ARTIC. XXV.

Die tertio & vigesimo duæ Unciæ puris emanabant, sociantibus se iterum aliquot ramentis pulmoneis. Perniciosus adhuc fœtor instillationes poscebat. Vesperi denuo sex Unciæ puris crassi

&c

& ſupra quam credi poteſt, fœtidi. Sanies erat bicolor, albis, cinericiis jam & viridioribus flocculis diſtincta, ut appareret ex illo genere puris eſſe, cujus ingenium damnare Medici ſolent. Aheneum vaſculum, quo excipiebatur, atro purpureo colore ſignatum erat; quod cum ab acida puris aura proficiſci crederem, eroſionem primùm pleuræ, inde & pulmonum, tandem etiam coſtarum, veritus, Balſami aliquid ſulfuris & quidem aniſati in Clyſterem addi curavi.

ARTIC. XXVI.

Die quarto & vigeſimo manè rurſum duæ Unciæ puris exivere, unà cum majoribus ramentis, odore totum conclave infamante. Inquieta nox propter Turundam tumidiorem, derivatis in ſe humoribus; juſto etenim plus vulnus dilataverat. Itaque ad veterem Turundam & illam ex lino rediimus. Veſperi examinata puris materia copioſa iterum fruſtula moleculasque ſolidiores oſtendit. Reſoluto vulnere duæ Unciæ puris paulo jam candidioris & æqualioris prodiere. Tuſſis, quæ jam inde ab aliquot diebus infeſtaverat, planè remiſit. Inſtillatio ad quatuor cochlearia inſtituta.

ARTIC. XXVII.

Die quinto & vigeſimo valetudo mediocris; ex vulnere autem quatuor Unciæ puris candidioris, comitati lobulo Pulmonis. Necdum tamen in illo medii ventris putore ullum vel puris in ſputo, aut olidæ auræ in ſpiritu veſtigium. Veſperi iterum Unciæ quinque puris, multò quàm antè, fœtidioris, quo ipſo ſpes pridem concepta nonnihil laborare cœpit. Ad purificandam ſuperficiem tum Pulmonum tum coſtarum Mellis Roſati pluſculum Clyſteri adjici curavi, arcente etiam ulterius contagium amaritudine myrrhata.

ARTIC. XXVIII.

Die ſexto & vigeſimo Symptomatum quædam malacia. Pus tamen etiamnum fœtidum & ad quatuor Uncias profluens, Itaque Balſami ſulfuris aniſati guttas quindecim in Uncias octo Clyſteris

ſteris addidimus, meliorem ſic puris conditionem ſperantes. Veſperi tres apparebant puris Unciæ, minus jam fœtidi omnibusque numeris abſolutioris; quin & pondere ſe levari æger dicebat; an quod pus jam maturius, hoc eſt, aere concepto levius magisque fermentatum eſſet, an quod pars aliqua ante deceſſiſſet?

Mirandum hoc quoque erat, ab olido illo puris contagio, jam inde ex aliquot diebus infeſto, nihil quidquam damni vel in pulmones aut ſanguinem redundaſſe. Tuſſis tamen nulla vel remiſſa eaque aliunde. Pulſus mediocris & parum à naturali diſtans. Anima adhuc dum pura nulloque ſqualore, quod equidem in illa Pulmonis internique Thoracis putredine eventurum videbatur, inquinata. Equidem credibile eſt, a viſcerum membranea ſuperficie; utpotè arctius contexta, halituoſam illam auram, modò ne ſit nimis ſpiculata & acris, facilè repelli ſuisque contineri carceribus.

ARTIC. XXIX.

Die ſeptimo & vigeſimo pus erat candidius, æquale & minus olidum; nova tamen ſymptomatum ſyndrome ſpem pridie conceptam perturbabat; namque in mira membrorum ſegnitie, ſenſuum torpore & ſomni graviter incumbentis neceſſitate æger dolebat. Tumor quoque pedis, illius ex directo vulneris, jam à tribus diebus gravis; quid quod & Pulſus mutatam rerum faciem ſignificabat. Itaque, ut in talibus fieri ſolet, ὕπουλον vulnus ſuppoſitamque lateri doloroſo ſaniem hariolatus ſpem ferè omnem abjeceram. Verum Fortunæ luſus conſiderans manifeſto ereptum periculo etiam majoribus eripi poſſe exiſtimabam. Veſperi ejus diei Unciæ quatuor puris albi & bene cocti, nec ullo modo fœtidi, effluxere. Sed tamen neſcio quid febriculoſi frigoris corpus infeſtabat, doloremque in Lumbis, maxime circa coſtarum poſticarum ſpatium ſentiebat ſummum, viribus nunc etiam magis, quam pridem, collapſis. Pulveres, mutatis paulum ingredientibus, repetiti & novis ſymptomatibus accommodati. Intus quoque Balſamo ſulphuris aniſato in decoctum addito uſi ſimus, dum interim inſtillationum quoque habita ratio.

Nunc

Nunc tandem auræ aliquid ulcerosæ perreptare massam sanguinis febriculamque accendere videbatur, neque enim aliunde facilè novum illud symptoma deduxeris. Obstitit quidem usque, si ita placet, membranarum solidior textura, & tandem victa succumbere debuit sparso in sanguinem virulento puris nidore: qui cum aciditatem quandam participet, mirum non est leve primum coagulum, & mox dissipato eo calorem subortum esse justo majorem, ut in quem desinere Naturæ vindicta solet.

ARTIC. XXX.

Postridie tres Unciæ puris liquidi albi & nihil præter Balsamum Sulfuris Anisatum redolentes emanarunt; multâ tamen spumâ tum hanc tum hesternam missionem comitante; manifesto documento aëris aliquid pectoris receptum cavitate elidi; certè enim lenta puris eruptio majorem justò moram & aeris commercium vulneri indulgebat. Hesternum frigus duas horas corpus occupaverat, excipiente calore, qui in mediam usque noctem perdurabat. Musculorum vigor remissus & ossa veluti confracta ægro apparebant, novum haud dubiè contagium suppeditante empyemate. Et quia morâ illa damnum accipere & Pulmones & Pleura videbantur, consultum fuit experiri, num se diureticis, quæ est nonnullorum persuasio, abduci materia pateretur. Præscripsi misturam ex Aquis Chærefolii, Petroselini Hyssopi, Spir. Fragariæ, Tartari & Oculis Cancri; verum quibus nihil profectum est. Manè à Chirurgis intermissa erat infusio, atque ideo vesperi puris pauxillum idque crassum & vi extortum vulnere prorupit ad Unciam dimidiam. Quare denuo instillationem imperavi, non de nihilo omittendam.

ARTIC. XXXI.

Die nono & vigesimo rursum evacuatæ sunt quatuor Unciæ puris paulò crassioris. Cætera mediocriter se habebat æger risuque adventantem excipiebat. Respiratio modica; Tussis quoque remissa aut nulla; ἰσχυαλγία etiam unà cum pedis illo tum o-

Cc re-

re sero vaporoso evanuerat. Medicamentis febrifugis & maturantibus usque certatum.

ARTIC. XXXII.

Die sequente matutinis horis puris spumosi lentéque fluentis Unciæ duæ. Ingens hisce diebus & plus quam canicularis calor aerem turbabat, adeo novum ægro metuendum erat periculum: at, sive quod transpiratio aucta, seu quidquid erat medicamentorum præcipitantium, contagiosam auram reprimeret, melius se habere viriumque constantiam erecto situ fateri cœperat. Sed neque hæc felicitas perpetua. Circa vesperam duæ iterum Unciæ & Semiss. Hac vice consultò instillationem omisimus.

ARTIC. XXXIII.

Itaque postero die, qui erat primus & trigesimus, Uncia tantùm apparuit una puris lentè & ægrè protrusi: quarè repetita instillatio matutina plusculum circa vesperam reddidit puris & quidem fluidioris. Drachmæ erant quasi decem. Dolor Hypochondrii sinistri denuo invaserat. Igitur evocati Clystere flatus quietem dedêre.

Vulgatissimum est in illo vulneris dolore corporisque statû quiete, dum fermentationes quoque lentè procedunt, flatus colligi, alvumque constipari: ubi, cum acribus impetuosisque medicinis occurrere religio sit, non temere alio quam lenitivo aut Clystere operam adhiberi velim. Adeo neque hic, quod antè quoque factum memini, nec infusio Sennata, nec Syrupus laxativus, Cancri oculis & Aquâ Fl. Acaciæ dilutus, metuenda erant. Ut tamen sine suspicione offensæ medearis, tuta est ab omni parte Clysterum emollientium ratio; neque enim eos, quos Trochiscorum alhandal plurimis granis condiunt Chirurgi, facile admittendos putem, quod ipsorum Purgantium, ubi id necessitas postulat, longè potior & securior sit usus.

ARTIC. XXXIV.

Primo die Junii puris non spumosi Uncia dimidia; fortè quòd ob celeritatem deligationis omissamque instillationem minus irrepserat

repſerat aëris. Sub veſperam ultra drachmas ij. vix quidquam prodiit, etſi in omnes partes verteretur corpus, obnitentibus, credo, Pulmonibus. Inſtillatio neglecta. Ergo poſtridie vix una puris drachma prodiit. Inſtillatio conſultò adhibita oſtendit ſub veſperam puris craſſioris Uncias ferè duas, liquato per moram pure. Jam verò præter omnem ſpem, adeo nihil conſtat, pulſus concitatior dolorque in dorſo dextro, quà ad Lumbos vergit & coſtæ terminantur veræ, vehemens, ſine dubio ob ſuperſtitem adhuc puris materiam. Effloreſcentia utriuſque genæ major, jam & reſpiratio correpta & appetitus dejectus monſtrum alere videbantur. Inſtillatio nunc iterum omiſſa, non alio conſilio, quàm ut fructum ejus manifeſtius deprehenderemus.

ARTIC. XXXV.

Tertio die drachmæ puris duæ tantum apparebant; ergo inſtillationem maturari juſſi: inde etiam veſperi multiplicatæ drachmæ ad Uncias crevêre duas. Pus erat fluidum quidem, ſed minus æquale, lividum & tetro odore. Quare ſpes & expeditæ curationis eventus animum rurſus fruſtrari cœpit. Infuſio commendata, etiam Pulverum & Electuarii, quod ex Conſerv. Fl. Symphyti, Veronicæ, Roſar. Loch. de Pulmone vulpis, Oculis Cancri, Succino præparato & Syrupo Papav. Rhœad. conſtabat, uſus.

ARTIC. XXXVI.

Quarto die pauxillum puris albidi & fœtentis, & quod Græci ἰλκώδες vocant. Nunc ergo ſpecillo Thoracis cavitatem explorandam duxi, ut de mole ingenioque puris conſtaret. Itaque calefactum modicè ferrum lento tractu ſub Pulmonibus ad latera coſtarum inflexit Chirurgus; cumque nihil adeo obſiſteret, in adverſum dorſi parietem ferrum impegit, jam etiam exterius ſenſum ejus animadvertente digito, ipſo verò ægro, ſive metu, quem animo præceperat, ſeu ſenſu aſperiore magis percuſſo jamque Cardialgiæ proximo. Querela erat potiſſima de dolore dorſi cir-

ca costam octavam. Pulsus etiam celer & febriculosus, respiratio magis quàm antè impedita.

Periculum facere libuit, utrum longo specillo materia notari posset, quò copiæ certior ratio haberetur. At sive quod in declivem diaphragmatis angulum secessisset, seu aliud obstaret, nullum quidem ejus rei signum capi potuit. Quod autem tam malè ab exploratione haberet jamque Cardialgiæ proximus esset, vel à sensu Pleuræ subtiliore, seu fortè inconsulto nervorum Cardiacorum compressu, in illâ specilli agitatione, repetendum fuit. Namque inde vix horæ requies, cum alio omnia statu deprehenderem.

Totum inde corpus convellebatur, febris, dolor, respiratio, omnia in deterius vergere videbantur & post Cardialgias vehementissimas vomitus invadere & dejectiones alvi, redundante statim, res mira! in universum corpus exanthemate coccineo eoque ad singulos vomitus invalescente. Materia vomitu rejecta æquabat libras tres eratque instar aquæ puræ nullaque adeo salsedine comitatæ. Potio analeptica, quam plerumque cætera medicamenta intercalabant, & ipsa rejecta. In hoc itaque ego certamine velut Crisi omnem eventus aleam positam existimavi.

Rarum profectô symptoma: & quod nescias unde deducas; nunc enim de spirituum, nunc humorum orgasmo incidit suspicio. Nervos quidem fibrasque primum illa exploratio vexasse videtur, paratâ jam antè ad exitum seri fluidioris mole. Notabile tamen & hoc erat, in tam pertinaci corporis quassatione nec semilaceros Pulmones, nec alias partes injuriam passas, quò Naturæ custodis prudentiam hic intelligas.

ARTIC. XXXVII.

Quartô die Junii matutinus aderam peregrini symptomatis conditionem sciscitaturus; sed nihil adhuc dum melius æger habebat. Vulnus uno eoque ruberrimo colore perfusum; jurasses Cinnabarin esse Laccâ temperatam. In cætero corpore maculas rubras albedo distinguebat, remittente nunc paroxysmo & exanthemate

themate, quod uti universum vultum adhucdum, ita pauló ante totum corpus sine discrimine aut ullâ candoris notâ occupaverat. Manè ad levissimam corporis concussionem vomitus recruduerat, exeuntibus rursum duabus ſ ri limpidi libris. Pulsum reperi ego celerrimum, inæqualem & parvum, respirationem concisam & subitam, nunc etiam calorem toto corpore vehementiorem. Hac rerum facie perturbatus, disposito molliter corpore, pus, si quod esset, evocari jussi. Nec mora: prodiere Unciæ septem & semissis puris æqualis & subalbidi. Potuissemus autem plus exspectare, nisi lipothymia à tot doloribus superstes intervenisset. Infuso liquore guttulâ unâ atque alterâ balsami sulphuris anisato vulnus obduximus, & quod omnia detrectaret ventriculus, quantumvis mollia, internorum usum tamdiu sufflaminavimus. Sub meridiem rediimus: ubi rubor ille in totum remisisse videbatur, succedente veteri candore: Stomachus etiam lentè assueverat Cardiacæ Potioni: Plagâ resoluta expressimus duas Uncias puris striati & crassissimi. Vesperi rubor se intenderat priori affinis, sed unius horæ intervallo finiebatur, jamque, quod ante non licuerat, significabat miras se ad exanthema sensisse ventriculi tensiones & post æstuosas quasdam acresque ebulliones videri statim aliquid in venas diffundi, inde trahente contagium volatili succo in cutem emanare carneum primum, inde auctis gradibus coccineum colorem, mox tamen iterum profligandum. Emissæ puris Unciæ duæ. Electuarium ad corroborandum ventriculum exhibitum tale erat: Accipe Conservæ menthæ, Rosar. vitriolatæ aa. Unc. Sem. Cond. Cort. Citri Drachm. ij. Diascord. Frac. Scrup. ij Mastich. el. Drachm. Semiss. Terræ sigillatæ, Japonicæ aa. Scrup. Sem. Syrupi Rubi idæi Q.S. Misce, fiat Electuarium. Bolum jussi subinde deglutiret, donec firmior esset Ventriculi tonus.

Equidem à seri biliosâ & volatili tincturâ facilique à cætera massa secessu ortum duxisse hoc phænomenon mea quidem est conjectura. Genus autem efflorescentiæ tam rarum mihi visum,

 ut

ut nec cum Guttâ Rosaceâ, neque cum Erysipelate comparari potuerit, & semel tantum in vultu ejusmodi subnatum colorem meminerim. Color autem erat non fœdus aut morbificus, sed pulcherrimus ejusque æmulus, quo pudoris notas in bene habito corpore exprimere & Natura & Pictoris penicillum solent.

ARTIC. XXXVIII.

Quinto die melior ægri conditio symptomataque in universum leviora. Pulsus moderatus, respiratio mollis, ipsius etiam ruboris exilia supererant rudimenta. Unum duntaxat grave, dolor & tensio sub Cordis dicto scrobiculo, ut appareret necdum omnem Ventriculi effervescentiam remisisse. Continuata Cardiaca & impositum ex oleis aromaticis linimentum. Proruperant puris Unciæ duæ & Semiss.

Tolerabilis etiamnum ægri ratio, sed dura post vomitus alvus laxativo ex Syrupo Rosar. solutivo, mannâ & Rob Ribium sollicitari debuit; bis inde dejecerat. Puris pauxillum vulnere exiverat. De meridie lecto se proripuit, periculum virium facturus: & sanè sic satis bene novum hoc vitæ genus toleravit. Post horas duas lecto se reddiderat: Vesperi Uncia puris dimidia fuit educta.

ARTIC. XXXIX.

Die sexto Jun. manè puris flatuosi & bullati Uncia dimidia exivit, idque μετ' εὐφορίας, nunc etiam Ventriculi dolor planè desierat: imo & ciborum major quàm pridem, appetentia. Vesperi eadem ratio, tres Drachmæ puris eductæ, spesque erat cum tempore imminutum iri puris copiam, quando de dorsi dolore nulla amplius querela.

ARTIC. XL.

Die septimo tamen nova catastrophe & præter opinionem Uncia ferè dimidia tum manè tum vesperi emissa: recruduerat etiam ille in postico dolor.

ARTIC. XLI.

Octavo symptomata rursum omnia remissiora, Tussis nulla, Re-

Respiratio etiam multis partibus melior & ferè naturalis. Mira autem ad somnum propensio, ne quid terriculamenti abesset. Evocatæ mane Unciæ puris duæ, vesperi Drachma una & Semissis.

ARTIC. XLII.

Nono Junii, qui erat à vulnere trigesimus septimus, nova emersit calamitas; namque virium manifestum deliquium, vox exilis & rauca, pulsus quoque satis compressus. Equidem ad iteratam puris effervescentiam & nascentem inde sanguinis spirituumque intemperiem tot Paroxysmorum in se redeuntium errores referri posse videbantur. Drachmæ puris tres prodierant.

ARTIC. XLIII.

Decimo Junii Pus manè vesperique ad Drachmas ij. emissum. Clyster injectus plurimum detraxit materiæ viscosæ, unde & animi passus est deliquium. Vires tamen paulò antè firmiores, quàm pridem: namque de die duas horas egerat ὀρθοςάδιος: Pulsus quoque erat compositus, at vesperi celerior cum nocte ingravescebat.

ARTIC. XLIV.

Sequente die eodem omnia statu: pus utrisque vicibus ad Unciam unam prodiit. Vacuo ventriculo mediocriter se habet, repleto eo, quamvis nec hoc multum sit, omnia deteriora & cum febriculosâ intemperie conjuncta, efflorescentibus quoque genis, ut solet hecticis evenire. Facies ipsa sensim collabescens nihil adhucdum boni promittit.

ARTIC. XLV.

Undecimo Junii appetitus quidem mediocris, sed latera nondum satis firma corpus ægrè sustinebant, vix enim è lecto properabat, quin statim eum repeteret; Puris effluxit Uncia, sed ut ab aliquot ante diebus, boni nitidique; quare etiam Clysteris genus mutare constitui, sola hordei aquâ & melle rosato contentus.

ARTIC. XLVI.

Duodecimo die stillavit pus ad Drachmas decem. Nova genarum efflorescentia aliis aliisque symptomatis tum maximè respiratione incommodâ vultuque Hippocratico excepta. Verum animus ægri erectior ciborumque appetentia etiam, quæ ex prioribus nascebatur, suspicionem diluebant. Præscriptis formulis adhuc insistebamus, urgentes potissimum BalsamiSulfuris Anisati usum.

ARTIC. XLVII.

Tertio decimo die Unciæ puris duæ effluxere. Itaque quo melius subveniri Naturæ posset, præscripsi mundificativum pariter & maturans remedium, Pilulas nempe, ut quarum actio tardior est & ipsâ tarditate securior. Formula autem hæc erat: Rec. Terebinthinæ Venetæ in Aqua Petroselini coctæ drachm. j. Flor. Sulfuris drachm. sem. Balsami Peruviani Scrupul. j. Olei Anisi guttas vj. M. F. Pilulæ numero quadraginta, liquiritiæ pulvere conspergendæ; quarum quinque aut septem tum manè tum vesperi cum Syrupo Violaceo deglutiendæ erant.

ARTIC. XLVIII.

Quarto decimo die dolores circa sedem vulneris exquisiti, sine dubio acrimonia oram membraneam vellicante: jam verò & genarum color roseus clandestinas sanguinis effervescentias prodebat. Pulsus & respiratio, utraque sub noctem concitatiora, mane ad ingenium redibant. In illo tamen humorum orgasmo & appetentiæ & virium incrementum non contemnendum; & ut speciosis istis symptomatis fidendum minimè videretur, attamen ipse æger animum confirmabat. Exierat puris Uncia una & dimidia.

ARTIC. XLIX.

Postridie dolores vulneris per centrum musculi Pectoralis in tendinem exire motuique brachii officere videbantur. Credibile motu intempestivo excitatam puris acrimoniam consensu quodam in vicinas partes desæviisse. Puris apparebant Unciæ tres.

AR-

ARTIC. L.

Sexto decimo die non ſine oſtento rurſum prodiere Unciæ tres & dimidia, atque ita, quem tandem aliquando deſiturum credebamus puris effluxum, novis actibus inſurrexit, ſpemque ſimul omnem, modò collapſam nunc inſtauratam propemodum, evertit. Pus quia craſſum & nonnihil olidum, veterem balſamicumque ex amaricantibus Clyſterem repoſcebat, quem ideoque præcepi ut adhiberent.

ARTIC. LI.

Septimo decimo die eadem fere quantitas, pridiano etiamnum durante dolore. Febricula ſub veſperam ſemper infeſtior ſubinde & lipothymiis comitata.

ARTIC. LII.

Octavo decimo eadem ſymptomatum ſeries dolorque vulneris modicus. Conquerebatur etiam de matutino frigore in meridiem usque producto, quod plerumque cibo ſumto calor excipiat. Puris emiſſi Unciæ erant quatuòr, paulatim creſcente numero.

ARTIC. LIII.

Nono decimo die paulùm ſibi redditus æger videbatur, calorisque & frigoris vices non ita graves. Puris unciæ ſex apparebant. Quare ſuaſi ægro præſcriptis medicamentis, quorum hactenus faſtidium diuturnitas pepererat, diligenter uteretur, ipſis cum primis Pilulis, habitâ etiam Clyſterum ratione, tum qui Thoracem, tum qui alvum eluerent.

ARTIC. LIV.

Vigeſimo die eadem ſymptomatum ratio pusq; ad Uncias tres emanavit. Cætera non malè ſe habebat. Ex illo tempore, quòd alia negotia obeunda eſſent, itineraque ægrorum causâ continuam viſitationem abrumperent, præſcripto vivendi ordine, vulnus Chirurgis commiſi curandum, eâ tamen lege, ut ſi quid novi ſanationem turbaret, in eo amoliendo meo maximè conſilio & præſentiâ uterentur. Itaque neceſſitate flagitante etiam poſt illa ſæpiuſculè adfui ægro diverſam ejus conditionem toties mutabilem

admiratus, quòd ſymptomatum quotidie alia atque alia facies eſſet, ſanandi rationes mutationum ingenio accomodare neceſſe habui. Jam enim febriculæ, ſed erraticæ, ſed nocturnæ & frigore comitatæ, jam lipothymiæ, cum vultus pallore & labrorum lividitate, jam tuſſiculæ, obſtinatæ quidem, ſed vel ſiccæ aut cocto phlegmate comitatæ, jam diarrhœæ etiam copioſæ cum febriculâ, jam quies & ſopor veternoſus, jam alia periculi ſuſpicionem augebant impoſitam mutandi neceſſitatem. Et ut nihil certius videretur, quam Empyum eum eſſe & usque manſurum, attamen poſt varia tædia conſultationesque curioſas, juvante Deo O. M. eò res deducta eſt, ut pure penitus expurgato vulnus coaleſceret ægerque cum tempore ſanior evaderet quàm pridem. Ingraveſcebant quidem & minabantur periculum, etiam poſt vulneris coalitum, tuſſes, fallaces febriculæ, Hecticis non abſimiles, cum ſqualore Autumni conjunctæ, verum tamen tum diætæ, tum loci, cujus conſuetudine gaudebat, ingenio, accedente etiam hyemis molliculæ beneficio, morbum feliciter ſuperavit, unusque etiam oſtendit Naturæ nihil eſſe difficile, & ubi à medicamentis tenuis ſpes eſt, à DEO plurimum exſpectandum boni. Sunt hæc monſtra ſanationum, quarum individualis & numerica ratio uni DEO perſpecta eſt: & cum nos ſpecie duntaxat & ſenſuum objectu omnia metiamur, indiviſibilis autem illa Naturæ, ſeu Harmonicæ omnium unionis quantitas & proportio, Elaterisque efficcacia, nullo admodum ſenſu cognoſcantur, non mirum eſt Prognoſticorum, quæ à nobis proficiſcuntur, fidem eſſe ambiguam. Ut adeo laudare habeam Medicorum prudentiam in rebus quoque dubiis cunctantium, in quam partem Prognoſticum inclinent; nam ſi quid in talibus temere hariolanti reſpondet, non artis aut ſcientiæ, ſed Fortunæ opus eſſe putandum. Quid enim ibi certi eſſe poteſt, ubi objecti natura eâ parte cognita non eſt, quâ maxime eſſe debebat. Temeritas illa eſt conjecturæ etiam non vanæ nutricula. Satius eſt & meo quidem judicio ad commendationem nominis utilius, oſtendere, quàm ſæpe Natura, etiam in vulgò conclamatis, ſit potens, quàm

contrà

contrà in plurimis nec ſpecioſis circumſtantiis ſit fidendum, &, ubi omnia tuta videntur, ſæpiſſime eventus deſtituat. Quod ſanè multis vulnerum obſervationibus teſtari poſſem, niſi Hiſtoria ad finem ſpectaret.

Puris autem ratio, dum fluxit, (fluxit autem ad diem usque ſeptimum & vigeſimum Julii) hæc fuit, ut plerumque qualitate ſibi ſimile, copiâ diſſimile prodiret; aliquando enim in drachmas inque ſcrupulos deſiiſſe ejus effluxus, jamque nihil amplius exire videbatur; cum ecce ſubito iterum ad Uncias, ad dimidias libras, ſemel quoque ad integram & ultra efflueret. Igitur pro puris conditione Clyſteres Thoracicos mutavimus; & ubi deſinere fluxus ejus videbatur, ultimis diebus cannulam plumbeam, ſed alatam, vulneri immiſimus, ne puri, ſi quod reſtaret, aditus intempeſtivè obſtrueretur. Fluebat autem nonnihil melius ad corporis motus reſpirationesque per cannulam in Emplaſtrum. Cum deſinere fluxus videbatur, cannulam extraximus & conſolidationem tentavimus; & tamen, quamdiu vulnus apertum erat, aliquid effluebat, cumque pure antea effluxerat materiæ limpidæ ſeroſæ, primùm ad drachmam unam aut ſemiſſem unâ cum pure, inde exhauſto illo ſola ad drachmas ij. & diminutis gradibus ad ſcrupulum guttulasque. Materia illa in vaſculo relicta gelatinæ naturam induebat, areſcebatque inſtar glutinis; quem cum humorem Naturæ proprium & illum membranas Pleuramque inungentem eſſe judicarem, ſuaſi conſolidationem vulneris non infelici eventu. Illud autem de vulnere teſtari poſſum, toto hoc curationis tempore valde ſe præſtitiſſe obnoxium, nec ulla carnis alienæ luxuria, neque labiorum callo fiſtulæ naturam affectaſſe: quod cum aliàs timendum ſæpe ſit & moneant Practici, in hoc tamen corpore id quoque vel in Naturæ benignioris laudem, aut Chirurgorum prudentiam accedere meritò debuit.

In univerſum autem reperio ex Ephemeridibus Chirurgorum, quibus abſente me per quatuor aut quinque ſeptimanas, etſi ſubinde per epiſtolas conſulerent, vulneris percurandi officium manda-

 tum

tum erat, effluxisse ex illo, quo ego numerare destiti centum & viginti octo Uncias, cum dimidia puris fluidi atque putris, quibus si numerum jungas priorem, excrescet in viginti libras med. Unc. novem drachm. quinque puris, atque illis si accedat sanguinis profusi calculus, ecce simul sumtæ materiæ quadraginta tres libras, quinque drachmas, non considerando, quod temere in lintea atque emplastra promanavit.

Notandum hic est, si gravitas Puris ad bilancem examinata fuisset, longè majorem futuram fuisse copiam. Dimensi sumus vasculum, quo humores illi excipiebantur, exemplo cantharorum, quos aquis suis dimetiendis servant Pharmacopœi & Unciis distingvunt.

Quod autem de copia illa rem putas esse incredibilem, attendas velim non simul & semel sed aliquot septimanarum cursu prodiisse, quidquid erat sanguinis aut Puris. At verò ne unius historiæ fide nitatur veritas, altera alteram corroboret. *Hildanus Centuria tertia observ. Chirurg. Observ. XXXVII.* Historiam, si non similem, certe prodigiosiorem, de Hæmorrhagia Umbilici enarravit, testatusque est intra undecim dies, quotidie bis, idque horis destinatis, manè intra septimam & octavam, de meridie intra secundam & tertiam, certo Pharmacopœo Solodurensi viginti septem libras sanguinis umbilico effluxisse, & tamen ægrum beneficio Naturæ sanatum ad se rediisse. Ubi nisi quotidiano victu damnum fluentis sanguinis compensatum ex parte fuit, ut compensatum esse potu quidem, ego existimo, necesse est ab aëre, ut antè indicavi, materia seri repetatur, aut, hoc quoque fallente, longè major sanguinis copia venas perambulet, quàm vulgò nostri credunt.

In nostro verò casu hoc quoque perplexum satis, ut tamdiu fluxerit sanguis, nec tamen signum ejus in Pectore latentis satis manifestum fuerit. Si enim hæsit, utique in exspiratione, ubi attollitur Diaphragma, incumbentis pondus molestare debuit; sin in Pulmones se abdiderat sive pus seu sanguis ad occasiones eruptu-

ra,

rum, haud facilè quis modum latibuli expresserit, & sanè expansione suâ & ipsi dolorem adferre debuissent gravativum? Jam & hoc aliquid est, an omne simul ibi steterit; an verò partitis vicibus ut Pulmonibus exstillavit, ita etiam vulnere proruperit. Equidem fieri non potest, ut omnis tum sanguinis tum puris materia ab initio ibi hæserit, quod Thorax, vel si vacuus esset, tot capiendis libris non sufficeret. Puto igitur subinde molem aliquam sanguinis vulnere emanasse, & tandem quoque stagnantem in Lobulo aliquo sanguinem corruptionem subiisse, qui ipse etiam allabentem in singulas horas fermento sui infecerit & ad putredinem disposuerit; omnem adeoque sanguinem ibi in pus converti potuisse, donec emendatâ sanguinis partisque læsæ textura vulnus coalesceret. Planè uti in Fonticulis nonnunquam fieri videmus, quòd corpore fraudato pleraque in eos alitura abripiatur, manèque & vesperi succum secernant nutricii æmulum, sed in speciem puris corruptum; cujus tum demum deprehendere finem solemus, quando melior complexio Balsamicum & consolidativum succum subministraverit, sparso etiam in reliquum corpus hoc beneficio.

Quod tamen sæpiusculè Phthisin minaretur æger, erroribusque Paroxysmorum febrilium periculum tabificæ mortis indicaret, istis vulneribus proprium est, & ostento simile, post tot tædia intentatasque deteriorum vicissitudines, tandem tamen sine ullo recidivæ metu, at demum superato autumno asperiore, integrum atque sanum, etiam cum adiposo corporis incremento, evasisse. Nescio autem, an simile sit, quod *Gregorius Horstius Cent. iij. Observ. XXXVI.* ad *Hildanum* hisce verbis transscripsit: Exemplum, loquitur de vulnere Pulmonis, ante biennium hic in vicinia habui in Nobili quodam Viro, lethaliter in Pectore vulnerato, cui diutissimè decumbenti quotidie maxima saniei copia è vulnere, non raro quoque Pulmonum particulæ parvæ simul egrediebantur. Hic aliquandiu Phthisi corripiebatur, omnibus signis cum ea convenientе, quæ aliàs ab exulceratione Pulmonum fieri

ſolet, interdum propter malignitatem putreſcentis Pulmonis, cum ſumma virium imbecillitate, febrilique calore, cutis exanthemata rubra, more illorum, quæ Petechialibus febribus propria ſunt, erumpebant. Tandem tamen, cum diu ſatis apertum eſſet vulnus, ipſumque pectus atque Pulmones optimè expurgarentur, convaleſcere cœpit æger, adhuc hodie perfectè reſtitutus vivens, quod Naturæ ipſius vegetæ & ſanguineæ potiùs adſcribendum eſſe puto.

Atque adeo ex tam infeſto caſu eumque comitantibus effectibus apparet Naturæ in omnibus incredibilem eſſe potentiam, & fingi nihil tam peregrinum poſſe, quod non aliquando ipſa procurante fuerit ſanatum. Hiſtoria Marci Baxæ per medium oculum lancea caput transfixi *Ephemeridibus Germanorum* teſtantibus prodigioſa eſt. Vulnera quoque Cordis non protinus lethalia eſſe, ſed aliquandiu trahi, ex plurimis aliorum ſcriptis in Anatomia Practica ſub ſuo titulo *Theophilus Bonetus*, & ſuis ipſius obſervationibus *Guilhelmus Riva*, Chirurgus Romanus, demonſtrarunt. Et certè, ſi Naturam Cordis ut eſt carneo muſculoſa, expendimus, nihil quidem facilius citiusque ad conſolidationem pertendit, pertenderetque profectò ſemper, niſi alia accidentia, vulneris profunditas, illa in continua palpitatione à Parallelismo declinatio, ſyſtole diaſtoleque, ſanabilis carnis diſpoſitionem everterent. Equidem pulmonis parenchymatis, utpote membranci, natura longè eſt ſanatu difficilior, & cum motus quoque ille accedat in copia fluidi ſpirituoſi irrequietus, Naturæ beneficium ſit oportet, ſi quid vulneris ad ſanitatem perveniat; namque & hîc multa Medici dexteritatem & conatum eludunt. NATURÆ ergo, illi optimæ, maximæ, illi functionum & catenatæ corporis Harmoniæ Præſidi, illi anomalias divortiique, unde unde illati, conciliatrici, noſtrique & rerum ſuarum cuſtodi amicæ, Dei quidem miniſtræ, at morborum Dominæ, gratias agere, & æſtimatæ vulgo Fortunæ benignitatem imputare unicè debemus, non niſi ſollicitudinis curioſæque ſpeculationis auxiliique ferendi opportunitatem nobis vindicantes. Hactenus *Pechlinus*.

Cordis

§. 2.

Cordis verò læsiones adeò periculosæ sunt, ut &

VULNERA PERICARDII

à nonnullis pro simpliciter & absolute lethalibus habeantur, cujus rationem dat *Bidlovius* in *Colleg. Msc.* quod pericardium nihil aliud sit, quàm concursus tendinum musculorum cor formantium, sicque spasmi oriantur incurabiles. *Dominicus* autem *de Marchettis* Anatomicus quondam & Chirurgus Patavinus Celeberrimus, in *Anat. suæ cap. X. p. 12.* vulnera pericardii lethalia pronunciat ex eô, quòd plures ex vulneratâ solum capsulâ absque cordis læsione fato concessisse viderit. In contrarium hîc militat *Thomas Bartholinus*, qui in *Anatomiâ Reformata lib. 2. cap. V.* exemplum refert Jobi Savioli pugione in pericardio perfossi, cum aquâ singulis pulsibus è corde prosiliente, quem tamen *Veslingius* feliciter curavit. Alia exempla prostant in *Schenckio, Observ. Medicin. Obs. 171. & 174.* Quapropter *Bohnius* in *Examine vuln. lethalium cap. 3. p. 309.* cum *Hieronymo Cardano* in *Comment. ad Hipp. aph. 18. sect. VI.* lethalitatem ex vulnere pericardii accidentem continuitati ejus cum corde & diaphragmatis parte tendinosa tribuit, sine quarum partium violatione aut inflammatione raro vulnerari potest.

Curatio interne per Decocta vulneraria, externe verò per injectiones fieri debet, quorum formulas in casu præcedente vidimus.

§. 3.


Ipsius CORDIS VULNERA inter maximè, h. e. absolutè lethalia recenset *Hippocrates lib. 1. de morbis Ed. Foes. sect. 5.* quod apud omnes in confesso esse *Galenus* in *Commentario* habet. Exigua enim temporis differentia, quâ ea, quæ in ventriculos penetrant, subitò & intra paucas horas, superficialia autem post triduum aut quatriduum interficiunt, hîc neutiquam attendenda est, cum & casus dentur, in quibus aut ob vulneris tenuitatem

&


& angustiam, aut fortuitam ejus obstructionem à primo sanguinis, vel & aliis à *Bohnio* in *Exam. vuln. lethal. p. 297. & seqq.* fuse recensitis causis etiam profundius & in ipsos cordis thalamos vulnerati adhuc per triduum & quod excurrit superstites manserunt. Elegantem hujus rei historiam in *Miscell. Nat. Curios. Dec. 2. Ann. 3. Obs. 113. pag. 226.* refert. *D. Zaccharias Fürstius*, Archiater quondam Elect. Trevirensis, verbis ibi: Ferali, sed innocenti à furentis vel insanientis militis, editiore in loco stantis oblongo gladio transfossus Supremi Vigiliarum Magistri servus, retrò suum, non minus periclitantem, Dominum face ardente noctem illuminans, ultimo prioris anni 84. decembre hîc Confluentiæ: commissus eadem statim nocte & Campi Chirurgorum & Judæi medicastri curæ. At quarto post velitationem die ultimum obiit diem, sibi tamen semper sub curâ præsens, juscula etiam comedens, sine singulari hæmorrhagiâ, omnibus quoque Romano Catholicô more Sacramentis ritè munitus. Concessa mihi ab Eminentissimo Clementissimoque Domino meo vulneris istius post mortem investigatio. Remoto itaque osse sterno cum costis appendicibus per medium sectis, totam statim concavitatem pectoris coagulato sanguine repletam vidimus, immixtâ tamen liquidiore sanguinis parte, sive sero, ut commodè spongiâ exsugi potuerit. Remotis sanguinis hisce obstaculis in venam illam vel arteriam, quæ læsæ, istiusmodi sanguinis copiam evomuissent, studio inquisivimus: at cum transfossum inveniremus pulmonem, ubi cordi superjacet, curiosiores inde facti pulmones removimus & ubi ipsum pericardium transverberatum seposuissemus, ecce stupor! Cor ipsum, omnibus nunc suis integumentis denudatum, crudelissimi gladii ictum excepisse vidimus. Unde stupore attoniti Cor à corpore revulsum & manibus omnium exceptum oculis nostris perspeximus fatalem ensis cuspidem cordis ventriculum totum penetrasse, ita tamen, ut introitus vulneris transverso penè digito fuerit altior, quam exitus, ut in adjuncto schemate *Fig. 1. & 2.* TAB. IX. ruditer tantum delineato, videre licet in Lit. E.

&

Cordis anterior facies



Cordis posterior facies



A. *Conus seu Mucro cordis.*
B. *Basis cordis.*
C. *Auricula dextra cordis.*
D. *Auricula sinistra cordis.*
E. *Introitus Vulneris per dextr: cordis Ventric:*
F. *Exitus vulneris*
G. *Venæ cavæ truncus ascendens.*
I. *Arteria pulmonalis*
K. *Arteriæ aortæ truncus descendens.*
L. *Arteriæ aortæ trunc, descendens.*
M. *Vena pulmonalis*
N. *Vasa coronaria.*

Fig. 3.

& F. Cultro ejus aperui utrumque ventriculum, in iisque satis magnam adhuc sanguinis coagulati copiam (majorem tamen in sinistro, quam dextro) invenimus, hactenus *D. Fúrstius*. Consimilem casum Gissæ observatum refert *D. Francus à Franckenau in Præliminaribus Quæst. Medico-Legalium Zacchiæ* à se editarum.

§. 4.

Curiosum verò & nonnisi à modernis observatum est φαινόμενον, quod integra & illæsa cordis textura manente homo, imo & bruta, extemplo & subitô exspirare possint, si aut sanguis ebulliens cordis thalamos & auriculas confertim subiens, aut flatus immissus fibras ejus ita extendant, ut rursus se contrahere nequeant sicque haud aliter ac vesica, ob verecundiam, ab ▢ nimium extensa & de tono suo dejecta præsentaneam mortem inferat. Elegantem hujus rei observationem primum in equo, mox & in hominibus *Miscellaneis S. R. I. Academiæ Naturæ Curiosorum Dec.* 3. *Ann.* 2. & *A.* 4. inseruit illustris Medico Chirurgus *D. Johannes Conradus Brunnerus*: Experimentis verò Anatomicis idem antea ob oculos posuerat Socer ejus, *D. Wepferus* Senior, Taurum quondam saginatum eô, quod dicitur, lucratus: cujus suasu & consiliis similia in canibus instituit *D. Elias Rudolphus Camerarius*, Archiater Würtenbergicus & Profess. Med. Tubingensis, qui non secus ac Celeb. *Schelhammerus* in *Disp. de Anxietatibus præcordialibus*, syncopen & lipothymiam inde deduxit & in *Disp.* sua Graduali *de Tensione cordis lipothymiæ causa* publice ventilavit, quam cum Autor Eruditus (cujus tanquam comitis itinerum nunquam non dulcissima memoria est) Lugduni Batavorum mihi amicissimè obtulerit, Exterorum gratia *Nosocomii Acad. Contin. Num.* 6. inserere volui.

Curatio autem periculosissimæ hujus

TENSIONIS CORDIS

in Venæsectionem, extemplo adhibendam, recidit, quâ non tantum vaccæ à Bubulcis ab affectu hoc (quem das schiessende Blut ap-

pellant) tum præservativè, tum curativè liberantur, sed & Equi in Venationibus illis violentis, par force-Jagt dictis, concidentes & qs. exanimes statim in vitam revocari possunt, *vid. Autores allegati.*

§. 5.

Thoracem ab abdomine distinguit Diaphragma, cujus INFLAMMATIONEM cum in *priori parte* sub Tit. de Phrenitide expediverim, hinc de præsenti tantum

VULNERA DIAPHRAGMATIS

adhuc paucis consideranda erant, quæ comuniter in ea, quæ substantiæ carnosæ, & in ea, quæ substantiæ tendinosæ infliguntur, distingui solent. Priora sanabilia, posteriora vero absolutè lethalia esse dicunt. Ast sicut vulnera minora parti nervosæ inflicta non semper absolutè lethalia sunt, ut in *Miscell. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. Ann. VIII. Obs.* 198. videre licet, ita vulnera parti carnosæ inflicta quandoque lethalia esse testatur Responsum Facultatis Medicæ Gissenæ, eô ipso, quo hæc scribo, anno ad requisitionem Ampliss. Facultatis Juridicæ Gissenæ exaratum, quod cum aliis eò pertinentibus cum benevolo Lectore heic communicare volui:

INSPECTIO CADAVERIS.

Postquam requisitione Nobilissimi Senatûs Imperialis hujus civitatis Goslariensis prævia injunctum mihi fuit, ut die 13. hujus hora V. vespertina vulnerati, die 16. ejusdem autem hora 1. nocturna demortui, Francisci Caspari Schwerdfegeri cadaver aperirem & de vulneribus illi inflictis attestatum fide dignum impertirem, id ipsum sine mora hora 7. matutina; præsentibus (Tit.) Dn. Johanne Philippo Volckmario, Præfecto civitatis reliquisque adjunctis Dnn. Assessoribus, adjuvante Cognato meo Dn. *Philippo Wernero Stockhusio*, Medicinæ Candidato, ut & infra nominato Chirurgo expedivi & inveni: sub manu sinistra & ejus capitulo s. appendice ossis ulnæ vulnus cæsim inflictum, particula ab appendice abscissa. 2. Ad trium digitorum transversorum distantiam supra

illud

illud vulnus punctim illatum, dimidium digitum longum. 3. Aliud adhuc vulnus cæsim inflictum supra spinam scapulæ. 4. Porrò aliud vulnus punctim acinace inflictum, idque inter 6. & 7. costam, ad quartam ulnæ partem à spina dorsi, juxta longitudinem costarum in sinistro latere distans, quod latitudine 2. digitos transversos ad introitum & 4. digitos transversos ad exitum sub mamilla sinistra adæquabat. 5. Separatis integumentis externis cum musculis & sterno, aperto insimul abdomine, totus ventriculus cibo & potu adhuc repletus observabatur, cum annexo pancreate, omento, & parte intestini coli, supra diaphragma in sinistra pectoris cavitate, quibus hæc penitus replebatur. 6. In eadem cavitate sinister pulmonum lobus omninò flaccidus dorso plenarie concretus adhærebat, ut nonnisi magno cum labore inde separari potuerit; quemadmodum & 7. extremum dextri pulmonis lobi, seu apex ejusdem cum pericardio quodammodo, costis autem circa dorsum tenacius accretus observabatur. 8. Sub ulteriori inquisitione læsionis diaphragmatis, per quod ventriculus cum annexis ad pectus adscenderat, interne circa regionem binorum vulnerum, in carnosa diaphragmatis parte foramen 4. digitos transversos longum occurrebat, quod fibras ejus carnosas transversim penetrabat & ventriculi orificia omninò constringebat. 9. Sanguinis coagulati extravasati parum illic inveniebatur; quemadmodum & in abdomine nequicquam de eo conspiciebatur: vena cava autem & reliqua vasa sanguifera sanguine turgescebant.

Quoad symptomata præcedentia notatu dignum est, vulneratum extemplo de cardialgia conquestum fuisse & quoties aliquid cibi & potus, vel & medicamentorum assumpserat, statim per vomitus exiguos rejecisse; unde & omnia à binis Medicis præscripta stomachica, cordialia, vulneraria, sanguinem resolventia &c. tum binorum Chirurgorum deligationes solicitæ, V.S. clysmata &c. frustranea fuerunt omnia, siquidem vulneratus tandem in summis angustiis inter 16. & 17. Jun. & ita tribus diebus cum 8. horis post inflictum vulnus animam efflavit.

Atteſtationis ergò hæc propria manu conſignavi, nomine ſigilloque meo conſueto confirmavi & ſimul Chirurgi ſubſcriptione inſignivi. Goslariæ die 22. Maji A. 1712.

Petrus Chriſtophorus Stockhauſen.
(L. S.)

Chriſtian Müller, Chirurgus.
(L. S.)

RELATIO MEDICI.

Poſtquam ampliſſimus & nobiliſs. Senatus hujus Civitatis Imperialis Goslarienſis à me infra ſubſcripto pleniorem relationem de vulnere beate denati Franciſci Schwerdfegeri, Papyri Fabricatoris Caſſellani, 28. circiter ætatis annum habentis, deſideravit, non potui non eandem his impertire.

Quamprimum die 13. menſis currentis Maji hora V. veſpertina ſtatim poſt vulnerationem ejus certior factus & requiſitus fui, ad eundem ſtatim me contuli & opeChirurgi totum corpus perluſtravi, ubi ſeqq. ſe truſerunt vulnera: 1. Vulnus in junctura oſſium & ulnæ ſiniſtri lateris, ad pollicis transverſi profunditatem, cæſim inflictum. 2. Vulnus exiguum punctim illatum ad 4. circiter digitorum latitudinem ſupra prius in brachio. 3. In medio ſcapulæ ſiniſtræ aliud vulnus cæſim inflictum, profunditate pollicem transverſum & longitudine digitum exæquans. 4. In dorſo verſus latus ſiniſtrum, inter 6. & 7. coſtam ad manus transverſæ latitudinem à vertebris, inter & per haſce coſtas vulnus punctim inflictum mediocris digiti longitudine, in cavitatem thoracis abiens & ſicut hæc punctura acinace pectus illic intravit, ita verſus anteriora inter 6. & 7. coſtam ad 4. dig. latitudinem ſub mamma ſiniſtra exitum quæſivit & ita S. vulnus externè paravit.

Quem-

Quemadmodum igitur è gravissimis hisce vulnerationibus, eumprimis autem è quarta, in dorso inter 6. & 7. costam, insignis & impetuosa hæmorrhagia orta & vulneratus à cerevisia quodammodo inebriatus fuit: ita missionem sanguinis in parca quantitate per V. S. administrari & simul potionem sic dictam cordialem, ut & singultu vomituque observatis antispasmodica, tam internè quam externè, una cum enemate, adhibui, quibus symptomata supradicta sic satis refrnata sunt, nullus autem enematis effectus observatus fuit. Quamobrem alterius diei, sc. 14 dicti mensis, horis matutinis per immissionem duorum suppositoriorum illud demum rejectum fuit. Accedente igitur circa meridiem Dn. *Petro Stockhusio* Seniore, Med. Lic. & consilium suum conferente, singultus & vomitus maximopere urgebant, contra quæ mala remediis supradictis per diem 15. & 16. hujus mensis non tantum ulterius pugnavimus, sed & re probe deliberata, cum die 16. hinc evocarer, iisdem continuatum fuit, utut Vomitu succrescente de iis æque ac de cibis nequicquam in corpore retineri potuerit.

Sub his ergò circumstantiis, me absente, noctu exspiravit & abhinc die 17. curr. mensis horis matutinis cadaver inspectioni & sectioni subjectum fuit, prout è Relatione adjecta pluribus elucescit, quæ omnia hisce decenter attestari volui. Goslariæ die 25. Maji 1712.

Henning Johann Siemens,
M. D.

(L.S.)

EXAMINATIO CHIRURGORUM.

Actum

Goslariæ in Judicio, *die* 30. *Maji*, præsentibus Dn. Prætore, Joh. Philippo Volckmar & Actuario infrascripto.

 Chri-

CHristian Müller ex officio citabatur, & loco juramenti ad seqq. Q.Q. ita respondebat:

I.

An Servum Fabricatoris Papyri, Franciscum Schwerdfegerum, ante festum Pentecostes nuperrime effluxum, vulneratum & die 3. Pentecost. denatum sub cura habuerit?

Respondebat: Omninò.

II.

An ipsemet primam deligationem injecerit & quo tempore id factum?

Rec. Non tam seipsum, quam Franciscum Georgium Rennevvaldum primam deligationem administrasse, cum duabus abhinc horis ipse demum accesserit.

III.

Quo in statu eundem invenerit, cum eundem deligare vellet, & quomodo se gesserit?

Rec. Se priorem deligationem solvisse & ipsum vulnus explorasse, idem convenientibus unguentis & emplastris curasse, non intermissa impositione sacculorum ex herbis balsamicis & vino calido, quæ singulis bihoriis, noctu æque ac interdiu repetita fuerint; & quoniam æger se in tantum moverit, se hoc illi serio exprobrasse, & injunxisse, ut quietè iaceret, quo deligatio æque ac medicamenta operationem suam perficere valeant, eoque magis, quod duorum hominum vita hic periclitetur: Vulneratum verò respondisse cardialgiam & angustias suas hoc minus concedere.

IV.

An continuo se quietum gesserit, ut adhibita emplastra & medicamenta internè adhibita operationem suam perficere potuerint?

Resp. Negando cum caput mox pedum locum in lecto occupaverit, mox quatuor quasi pedibus & manibus insistere visus fuerit.

V

V.

An Dnn. Medici Ipseque vulnus ab initio statim pro lethali habuerint?

Resp. Affirmando, id præsumi potuisse, cum perpetuò evomuerit & singultu continuo laboraverit.

VI.

An ipse æquè ac alii in eam opinionem ceciderint, diaphragma per ictum lateralem perfossum & ventriculum statim in principio per illud penetrasse, ut in sectione visum & repertum fuit?

Rec. Affirmando, hoc & Medicos & se ipsum veritos fuisse. Quod autem ventriculus per diaphragma adscenderit, utrisque ne per somnium q. in mentem venisse. Actum ut supra

in fidem

CC. Wustefeld.

Nota, Franciscus Georgius Rennevvald concordabat cum priore.



RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ HELMSTADIENSIS.

OBlatam nobis facti speciem, occisum Papyrarii servum Goslariensem concernentem Nos Decani, Senior & reliqui Professores Facultatis Medicæ hujus loci debitâ cum diligentia perlegimus & collegialiter perpendimus: sc. juxta copias attestatorum Medicorum sub dato Goslariæ die 22. Maji 1712. antedictus Pa„pyrarii servus inter alios ictus minores cæsim inflictos ancipiti „insimul gladio inter 6. & 7. costas ad distantiam quadrantis ulnæ a spi-

„a ſpinâ dorſi, juxta longitudinem coſtarum, in ſiniſtro latere,
„vulnere ſimul punctim illato, quod latitudine 2. dig. transver-
„ſos adæquans ad 4. dig. diſtantiam ſub mammillâ ſiniſtra inter
„coſtas illas rurſus exitum quæſivit, læſus inventus fuit. Aperto
„autem cadavere in carnoſa diaphragmatis parte foramen 4. dig.
„latitudinem emetiens obſervatum fuit, per quod ventriculus
„cibo & potu adhuc repletus, cum annexo omento, pancreate &
„inteſtini coli parte adſcenderant & ſiniſtram cavitatem pectoris
„impleverant.

De his ut jam Medicum noſtrum judicium impertiamus & ad quæſtionem;


An hæc per diaphragma illata vulneratio pro ſimpliciter & abſolutè lethali habenda ſit?

Reſpondeamus, ſancimus & dicimus vulnerationem ſupradictam, juxta additamenta ſub Litera A. & D. ut & copiam examinis Chirurgorum atteſtatique Medici, non tam pro abſolutè lethali, quàm pro graviſſimo quodam & difficulter ſanabili vulnere habendam eſſe; quam noſtram ſententiam, ut principiis Artis conſentanea eſt, ita eandem conſueto Sigillo Facultatis confirmare voluimus. Helmſtadii die XV. Jun. 1712.

(L. S.)

Decanus, Senior & reliqui
Profeſſ. Facult. Med. Acad.
Juliæ.

RESPON-



RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ.

UT prævia requisitione decente Amplisf. Facultatis Juridicæ hujus loci judicium nostrum impartiale & principiis artis conforme, an sc. vulnus diaphragmatis (cùm reliqua omnia minoris sint momenti) prout in communicatis nobis Actis criminalibus inibique contento attestato inspectionis Dn. Medici & judiciali deposito Chirurgorum descriptum & à Friderico Christiano Nollbeckio interemto Papyrario, Francisco Henrico Schvverdfegero, inflictum fuit, simpliciter lethale fuerit? comunicemus Nos Decani, Senior & Professores Ordinarii Facultatis Medicæ hujus loci, præviâ Collegiali perlectione Actorũ modò dictorum & matura ponderatione omniũ illic concurrentiũ circumstantiarum, constanter judicamus vulnus diaphragmatis huic subjecto inflictum omninò pro simpliciter & absolutè lethali habendum esse: idque juxta sancitum *Hippocratis* nostri 6. *Aphor*. 18. cui persecta fuerit vesica, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum (i.e. Diaphragma) aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale est; Et licet *Galenus in Commentario* ad hunc locum & *l.* 8. *methodi medendi cap.* 9. verba hæc *Hippocratis* tantum ad vulnera tendinosæ diaphragmatis substantiæ inflicta restringat, imo & hæc ipsa, nî justo majora sint, pro absolutè lethalibus non habeat, teste *Sennerto lib.* 2. *Med. Pract. P.* 2. *c.* 18. *pag.* 224. & *l.* 5. *P.* 4. *c.* 3. *pag.* 366. cui quoad carnosæ partis vulnera, minora præcipuè, *Alex. Benedictus Hollerius in Hipp.* 6. *aph.* 18. *Jacotius*, *Paræus*, *Glandorpius specul. Chirurg. Obs.* 27. *ac Diemerbrœck Anat. l.* 2. *c.* 3. & ex parte quoque *Fallopius & Vidus Vidius* subscribunt,

teste *Schenckio l. 2. Obs. 277. & seqq. & DD. Bohnio Renunciat. Vuln. p. 324. & seq.*

Attamen è contrario *Zacchias in Quæst. Medico-Legalibus lib. 8. Tit. 2. Q. pag. 416. Col. 6.* cum *Foresto l. 6. Obs. 3. Vido Vidio l. 8. c. 15.* existimat vulnera diaphragmatis, etiam non magna, interimere: quia & jugem habent motum, propter quem & sanguinis suppressio & agglutinatio impeditur & nullo negotio inflammationem concipit & sensum habet exquisitum, ob quem dolores mirum in modum exacerbantur. Dum ergo 1. hoc ipsum reverâ de minoribus diaphragmatis vulneribus dici potest, multò magis id de vulnere quæstionis admodum enormi, sc. 4. digitorum transversorum latitudinem æquante, valebit.

Quemadmodum & vulnera similia diaphragmatis, etiam carnosæ illius parti inflicta à Celeb. Lipsiensium Professore *D. Bohnio* omnino pro absolutè lethalibus judicantur, dum *l. c. pag.* 325. ita de iis scribit: Majora nihilominus (sc. diaphragmatis vulnera) nonnisi morte expiari præter experientiam communem ratio suadet: dum per hæc quoque actio respiratoria vitalis turbatur & inflammatio superveniens cerebrum ac nervosum genus æquè facilè, ac si pars ejus tendinea ictum sustineat, in consensus spasmodicos ciet: Et similiter famigeratissimus Professor Hallensis *D. Stahl in Diss. de vuln. lethalitate §. 53.* perhibet seq: Si diaphragmatis vulnera talia fuerint, quæ nobilis hujus visceris functiones enormius turbent, periculum sanè magis magisque notabiliter intenditur, non eapropter solùm, quod pars vulnerata, in perpetuo motu existens, ob quietem denegatam consolidescere nequeat; sed ob inflammationem, dolorem & spasmum compressivum, per quem respiratione ad tempus cohibita vulneratus è vivis tollitur. Adhæc 2. in Relatione inspectionis supra allegatâ §. 5. perhibetur totum ventriculum, cibo & potu adhuc repletum, cum annexo omento, pancreate & parte intestini coli supra diaphragma in sinistram pectoris cavitatem penetrasse, sicque motum cordis & pulmonum, ipsamque adeò respirationem, ad synco-

ſyncopen & ſuffocationem uſque turbaſſe, imo tandem planè intercepiſſe: de quibus prælaudatus *D.D. Bohnius l. c. pag.* 327. & 328. *ex Paræo, Sennerto, Henrico ab Heer, Glandorpio & Blancardo* exempla allegat & ſtatim addit: ſive brevi, ſive poſt menſium demum fluxum moriatur ab ejuſmodi viſcerum mutato ſitu perfoſſus, lethalis tamen dici meretur hic diaphragmatis ictus, quod arti nullus ſuppetat modus, per quem raptus ille impediatur ac translocata interanea retrahantur; etiamſi de his (phænomeno ſatis abſtruſo) conſtaret. Prout & 3. ſymptomata concurrentia periculoſa, ſc. vomitus alimentorum ac medicamentorum & ſingultus ferè continuus, anxietas & inquietudo ſ. jectigatio, decubitus inordinatus (de quibus *Hippocr. Progn. ſ. Prorrhet. III.* 9. & *IV. I.* edit. Lindenii legi poterit) exiguam ad reconvaleſcentiam ſpem dederunt, ſed potius vulnerati mortem tertio die 4. accelerarunt & promoverunt. E quibus omnibus & ſingulis circumſtantiis haud aliter concludere poſſumus, quàm vulnus enorme diaphragmati in hoc caſu inflictum pro abſolutè lethali habendum eſſe. Quod unanimiter his atteſtari & ſigillo Facultatis noſtræ conſueto roborare voluimus. Signatum Giſſæ, die 23. Jan. 1713.

Decanus, Senior & Profeſſores Ordin. Fac. Med. hujus loci.

§. 6.

Occaſione caſûs antecedentis non poſſum non hic inſerere rariſſimam obſervationem de ventriculo & aliis viſceribus confinibus in thorace, citra vulnus diaphragmatis, invento, quem D. *Gabriel Clauderus in Epiſtola ad D. Marcum Rnych*, Medicum Ambſtelodamenſem, Patavio A. 1661. ſeqq. deſcripſit:

PP.

Annus ferè præteriit, Vir Clariſſime, cum Amſtelodami amicitiam aliquot abhinc annis in Germania fundatam denuò firmavimus, & Tua Claritas me non modò modis amicitiæ, &

humanitatis omnibus excepit, sed & suavissimis discursuum Medico Chymicorum bellariis saturavit; hinc non vulgari eruditione Tua in Tui raptus cultum, quam petii, à Tua humanitate obtinui linentiam, literarium Tecum sæpiùs instituendi colloquium. Ignosce igitur, sis, quod concessa hacce licentia hactenus abutens tam serò, uti Tibi promissæ, ita debitæ persolvam amicitiæ tributum; aliquot enim fateor, effluxêre menses, cùm nullis Te visitaverim literis: Moræ autem hujus causa est continua itineris mei ex Batavia vestra in Italiam continuatio, qua nunc feliciter bono cum Deo peracta, non possum non redire ad neglectam hactenus favoris Tui & eruditionis lucernam olentis communicandæ redintegrationem.

Ne autem sterile in Tuum prodeat conspectum hoc quicquid est Epistolæ, atque ut ex Te aliquid eruditi eliciam, transmitto casum aliquem rarum, cujus quidem similes, non tamen adeò vehementes, notavere Cl. *Schenckius*, *Marcellus Donatus Helmontius*, alii, tum ut mecum mireris rarissima illa varia, quæ in dissecto corpore reperire fuerit, de quibus Anatomicorum nemo, quantum mihi quidem constat, Posteritati reliquerit mentionem. Dum Lipsiæ Praxin Medicam exercere aliquot abhinc annis sub Amici Tui veteris, & Patroni mei supremi *Dn. D. Joh. Michaelis* auspicio eram auspicatus, Juvenis quidam ab antiquo & honorato in Bataviæ confinibus natus stemmate, 23. annorum, temperamenti calidi & humidi, habitu corporis valido & pingui præditus, intemperatam hactenus vivens vitam, in prædio quodam Amicis valedicturus, diæteticos commisit errores; hinc insuetam sibi incurrit Anorexiam, cum aliquali cardialgia & non frequente singultu, propterea ob vires aliquantùm debiles rhedâ Lipsiam redux factus, superveniente largo materiæ adustæ, piceæ, fœtentis, cum pauca pituita viscidâ permixtæ, vomitu, me accersiri curabat. Adcuratè ego in causam inquirens, aliam non invenio, quàm ut in diætæ peccando regulas adfectum sibi huncce fuerit fabricatus; adhibui igitur, cùm vitalis indicatio universalium præmissionem dissuaderet, qua interna, qua externa confortantia

tantia stomachica, effervescentem humorum subitò corruptorum ebullitionem præcipitantia, stomachique fermentum, ut naturaliter sese habeat, commonefacientia, quantum quidem per brevissimum & paucis saltem diebus durans ferocientis morbi tempus licebat, neque omittebantur ob vires quodammodo debiles cordialia: sed remediis incassum tentatis, & redeunte quot horis vel semihoris potiùs fortiori vomitu contra hostem tam rebellem pugnare solus nolui; unde ipsum ægrum visebat quoque suprà laudatus *Dn. D. Michaelis*, qui cum adstantibus omnibus stupescens tam subitò ortos, tam atroces, tam celeres, tam tetros vomituum reditus (inter tot morborum myriades, quas viderat & feliciter debellarat,) antea non viderat, non audiverat. Continuabatur medicamentis notatis, clysteresque revulsionis gratia adplicabantur; sed expectata remediorum efficacia non succedebat, nisi quòd clysteres paucissimum materiæ piceæ secum educebant, singultusque & quodammodo cardialgia die secundo desinebant, vomitus autem nihil planè juvantibus multum aliàs juvantibus medicamentis semper antiquum obtinebat, donec tandem sub tertii diei finem (præcedente aliquot ante obitum horis majori eaque subita virium prostratione, ac postquam hocce triduo quadraginta libras, & quod excurrit, materiæ istius nigræ adustæ ac viscidæ rejecerat,) Archeus sarcinæ materiæ peccantis diutius ferendæ impatiens copiosè & impetuosè per os & nares eam protruserit, ut sic æger, viribus suum officium non facientibus, sed Archeum operantem deserentibus, subitò suffocatus sub nigra hacce & spurca materia purpuream simul evomuerit animam. Quæ subita & insperata exspiratio ad adfectus causam sagaciter indagandam excitabat *Dn. D. Michaelis*, ut demortui corporis apertionem institui mandaret; quo facto, invenimus (reliqua notatu digna inventa infra exponentur), in ventriculo inciso tres adhuc libras materiæ istius nigro viscidæ, quæ tamen uti omnis ante ejecta non fœtorem, sed acidulum præ se ferebat odorem: Pylori sphincter adeò erat relaxatus, ut ex intesti-

nis materia pleno in ventriculum impetu remeare haud difficulter potuerit: Intestina nihil fermè amplius in se continebant, & inflammata quodamodò videbantur, quamvis nullum heic loci æger dolorẽ aut aliud symptoma persenserit. Inquirebamus etiam, an forte an per vas breve ater iste succus ex liene in Ventriculi interius, uti nonnullorum vult opinio, regurgitaverit, sed illud, quod quærebamus, neutiquam inveniebamus. Quantum sartum tectum conservandæ conducat humani corporis œconomiæ, ut naturalem obtineat vigorem fermentum stomachi acidum, testatum eunt operationum, bonarum sc. in sano & prauarum in morboso corpore, eventus. Quemadmodum enim Pistor ad futuram panis cocturam semper fermenti paucum sibi retinet; eodem modô providus Noster Archeus ex nuper absoluta in Ventriculi aheno adsumtorum coctione pro proxima ciborum ingestione fermentanda & concoquenda semper fermenti aliquid curiosè reservat & conservat, quod postmodum finita coctione, & materia qua chylosa laudabili, qua excrementitia ad intestina ablegatis, acidula sua substantia tunicas stomachi vellicando de rursus adsumendis alimentis homini aurem vellicat. Hac operatione naturaliter ita in gyrum redeunte benus fit chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine porrò alia. Econtrà verò, si hocce stomachi fermentum in operationibus suis circulo ordinario edendis sufflaminatur & turbetur, tantum abest, ut utilis possit confici chylus, ut potiùs ab impedita chylificatione prava non solummodò patiatur sanguificatio; (si enim non firmum satis in ædificio exstruendo reponat fundamentum Architectus, durabilem certè & expectatam sibi non promittere potuerit structuram) sed & alia aliquando, eaque gravissima symptomata (quæ non modio aut trimodio; sed toto horreo hic admetiri possem, nisi brevitati studeam) ac inde mors succedant.

Ad præsentem quod spectat adfectum, cum ille Juvenis in diætæ præcepta hactenus aliquoties peccaverit, licet ne minimum mali inde senserit, sed superflua intrusa à valido viscerum robore innoxiè fuerint edomita & exturbata, ac ille sibi ipsi ac pluribus

fuerit

fuerit visus maximè sanus; tandem tamen Archeus exorbitantiis diutiùs superandis insufficiens permittere cogitur, ut copiosè adsumta à fermento naturali debilitato digeri non benè & mutari in chylum laudabilem potuerint, (non aliter quàm ellychnii flamma, si oleo copiosiùs superfuso obruatur, extinguitur,) hinc enata præternaturalis ista succorum crudorum & malè digestorum effervescentia & ebullitio, hinc enata succorum adustio & corruptio, hinc illorum copia gravantium & acrimonia stimulantium violenta per vomitum exturbatio, hinc succorum ex intestinis, mesenterio, aliisque primis viis in stomachum revocatio & similis corruptio & similis exturbatio; hinc tandem ultimò ab Archeo priorum virium memore & noxii impatiente tentata quidem, sed non optatè finita residui peccantis plenaria expulsio, hinc subita illa dolor! suffocatio. Hæc mea de adfectus hujus causa censuram Tuam, Vir Clarissime, expetens & expectans est opinio, quam mihi spero, non invidebis. Hariolatur insuper laudatus *Dn. D. Michaelis*, causam aliquam nimis & præternaturaliter fermentantem in Ventriculo debilitato vomitus hosce, uti subitos ita mirabiles, forsitan excitasse, cùm defunctus in nupera exsatiatione inciderit in cujusdam sibi non adeò ingenuè faventis societatem. Talem autem fermentationem à nebulone alteri clanculum & subdolè procuratam anteà observavit idem Vir celeberrimus; & ista facilè excitari poterit propinatione duarum rerum, quas, ne iis forsan abuti posset scelestus aliquis, hic exprimere non necessarium duxi.

Nunc ad observata rara in dissecto corpore Anatomica: Adfectionis hujus, vomitus nimirum mirabilis, causam inquisituri, alibi eam nisi in Ventriculo primùm quærere non poteramus, adeò recta ad hunc via tendebamus; proinde secta abdominis cute, pinguedine, & peritonæo, audi & mirare! non comparebat Ventriculus, neque etiam aderat Lien, neque conspiciebatur Omentum. Re inaudita attoniti facti, ubi vomitus nostri causam quærere debebamus, tantùm non nesciebamus; Cum

autem

autem vaſtum pinguedinis corpus digitos tres transverſos craſſum (quod inteſtina fovendo abſentis omenti ſufficienter vicem gerebat) cultelli remorabatur aciem, ideo ut majus haberemus ſpatium ad facilius indaganda illorum latibula, apertionem thoracis conſultam putabamus. Reſerato itaque ſterno albicans quoddam & glanduloſum corpus in ſiniſtro thoracis latere a vidis noſtris obviam ibat oculis; hoc principio eminus pulmonis ulceroſi & corrupti figuram æmulabatur; ſed manus Anatomicè admota hocce eſſe omentum, ac ſub eodem latitare ventriculum, ſtupeſcentibus nobis omnibus oſtentabat. In mentem mihi tunc ſtatim veniebat Clariſſimi *Sennerti* obſervatio, dum juveni per ingens diaphragmatis vulnus in thoracem ſtomachus aſcenderat; inſpiciebamus igitur & præſens diaphragma, num forſan illud ſua laceratione Ventriculo ad altiora viam quoque conceſſerit, ſed ſanum hoc erat & omnino integrum, niſi quod, uti mox dicetur, foramen quoddam in eo, naturale tamen plane nec violenter factum, inteſtinorum particulæ itum & reditum vix permitteret; adhæc ſtomachus, quod ſcrupulum nobis demebat omnem, cætera liber, inferiore ſui parte ligamentis aliquot membranoſis iisque fortiſſimis diaphragmati & pleuræ circa coſtas ſpurias alligabatur. Pleniorem ſitum horum mirabilium connexionem & cognitionem ut adipiſceremur, ſejungebantur à meſenterio inteſtina, quæ ita ſeſe habebant: Ventriculo in thorace ſito adnexum erat more communi duodenum, hoc cum portione ſubſtrati pancreatis è ſiniſtro thoracis latere prope dorſum peculiare & nerveo annulo circumſcriptum diaphragmatis foramen perreptabat in abdomen, ibique cum reliquis inteſtinis ad colon usque naturaliter continuabatur; hoc colon ex abdomine per dictum foramen thoracem ingrediens ibidem cum omento, cui firmiter erat adnexum, Ventriculi fundum in duas quaſi partes dividebat, iterumque miro anfractu deorſum tendens via eadem & eodem diaphragmatis foramine in abdomen rediens rectum inteſtinum, longum ſatis & gracile, conſtituebat.

Ven-

Ventriculus, qui erat nimium quantum magnus, ſuperiore ſui parte claviculas ferè attingebat, ſiniſtrumque latus plane occupabat, ut vix minimæ ſiniſtri pulmonis particulæ locus ſupereſſet: Ventriculus adhæc ſitum habebat quaſi inverſum; œſophagus enim deſcendens propè diaphragma eidem inſerebatur; (ut ſic rectè dolorem ſub mucronata cartilagine, id eſt in ordinaria orificii ſtomachi ſuperioris regione, perſenſerit aliqualem,) pylorus autem cum connexo duodeno altius ferè usque ad claviculas erat ſituatus, ſuperiacebatque priori, ſuperiori dicto, ventriculi orificio.

Ventriculus quoque cor, quod mediante pericardio diaphragmati erat copulatum, de ſua in dextrum latus depellebat ſede, ita ut dexter pulmo cordi cedens, ſub eodem dorſi adhæreret ſpinæ. Nunquam tamen juvenis ille pinguis de aſthmate aut aliis querebatur ſymptomatibus, niſi ſtatim poſt cibum & potum nimia aſſumpta, quod ob ventriculi procul dubio extenſionem eveniebat, ſtatimque iterum ſine relicto damno ceſſabat; cujus aſthmatis ſubito incipientis & innoxiè deſinentis genuina cauſa nos antea ſæpius angebat, & nemo illam, quam nunc autopſia docuit, divinaſſet. Ut grande ſtomachi corpus ſpacium haberet ſufficiens, in ſiniſtro thoracis latere minimam pulmonis particulam creavit Natura. Diaphragma totum erat carnoſum. Hepar magnitudinis inſolitæ & tantæ, ut locum ſtomachi infra deficientis ordinarium plane impleret, diaphragmati etiam erat adnatum, ac præ ſe ferebat faciem viſceris maximè ſani. Inquirebamus quoque ſedulo in lienem primo nullibi adparentem, eundemque demum ſanum quidem, ſed exilem & per vas breve ventriculo conjunctum, in peculiari capſula, quam ipſi diaphragmatis duplicatura in ſiniſtro latere compoſuerat, invenimus latentem. Hi ſunt naturæ luſus, quos in præſenti corpore notare licuit; ulteriorem inveſtigationem & veniens Heſperus & nonnulli ex defuncti Amicis invidebant. Miraberis forſitan miranda; de horum tamen veritate te non dubitare confido; ſi enim opus eſſet, teſtes nominare poſſem plures

Medicinæ Doctores & Candidatos, nec non alios fide non indignos, qui partim manum secando simul admovebant, partim spectatores aderant. Ne autem in Epistolarum jus, quod brevitas est, nimis peccem, hæc dicta jam sufficiant; de aliis alio tempore. Vale paneraticè, Vir Clarissime, & favore Tuo, uti facis, beare continua æternum eruditionis Tuæ admiratorem. Dabam raptim Patavii, è Museo, Calendis Martii Anni Messiani M.DC.LXI.



CAP. VI.

DE AFFECTIBUS CHIRURGICIS IN POSTICA COLLI ET THORACIS PARTE OBSERVANDIS,

§. I.

Curatis anterioribus & interioribus Thoracis partibus earum quoque ratio habenda erat, quæ in postica colli & thoracis parte occurrunt; ubi præter

VULNERA DORSI

partibus carnosis inflicta & aliorum instar per traumatica, tam interna, quàm externa facile curanda, notam cumprimis merentur

LUXATIONES VERTEBRARUM COLLI ET THORACIS,

quarum priores omnium periculosissimæ sunt, cum easdem non possit non spinalis medullæ circa suum principium compressio sequi, qua spiritibus animalibus influxus ad inferiora denegatur

Oriun-

Oriuntur utplurimum à casu ab alto aut ictu violento in collum, quibus processus obliquè adscendentes & descendentes ex sinulis suis extruduntur, quod das Halsbrechen vocant.

Restitutio celerrimè fieri debet, si vita salva sartaque manere debet. Æger igitur collocetur in sellam humiliorem, ut corpus ejus à Ministro Chirurgi humeris & scapulis illius incumbente deprimi possit. Interim Chirurgus caput ad aures comprehensum attollere debet & in omnem partem convertere, absque tamen violentiâ aut nimiâ concussione, usque dum vertebra luxata in pristinum locum restituta sit, quod inde licet cognoscere, si dolor statim remittat caputque rursus hinc inde moveri possit. Quandoquidem verò præter fotus & emplastra nihil adhibere, imo sufficiente fasciatione vix succurrere possimus: hinc per aliquot dies caput rarò l. nunquam moveatur, donec ligamenta satis roborata & firmata fuerint.

§. 2.

Frequentiores autem

LUXATIONES VERTEBRARUM DORSI

contingere solent, sive extrorsum, sive introrsum, unde gibbus oritur. Illic, sc. in luxatione extrorsũ facta, in teneris adhuc subjectis indies ab axillis ad os sacrum usque spina manibus leniter comprimatur, vel & laminis ferreis spleniisque thoraci insutis vertebra introrsũ versus comprimatur, applicando desuper emplastra & unguenta roborantia & adstringentia, sicuti ante restitutionem nervinis & emollientibus quoque utitur *Hildanus Centur. V. Obs.* 67. *pag.* 458. Alii integras thoraces ferreas applicant, quæ ut eò leviores sint multis & crebris foraminulis perforatæ sunt, ut easdem in fig. æneâ ob oculos ponit *Ambros. Paræus lib.* 12. *de supplem. deficientium.*

In adultis autem hæc parum aut nihil juvant, cumprimis si luxatio jamdum inveterata fuerit. Sin autem statim in principio illas observemus, Æger pronus decumbat fasciisque duabus,

altera alis, altera lumbis ad ossa ilii injecta corpus æqualiter extendatur, donec ope manuum ipsam vertebram impellere & reponere valeamus. Hoc expedito post emplastri ad rupturam, aut catagmaticum & splenia applicata ferula imponatur, quæ ita formari debet, ut ipsum vertebræ corpus potius, quam epiphysis spinosa prematur: qua de causa nonnulli binas ferulas lateribus vertebrarum applicandas laudant, ne processum spinosum attingant. His omnibus fascia quadam munitus æger supinus & ita collocetur, ut sine ulla corporis jactatione aut inflexione per aliquot dierum spatium quietus maneat. Quodsi vero hac ratione repositio fieri nequeat, scamnum Hippocratis & aliæ machinæ (quarum *Avicenna* horrendas figuras tradit) in usum sunt vocandæ.

§. 3.
LUXATIO VERSUS INTERIORA

in adultis (nam in puerilis empl. attrahente quandoque restituitur) pro incurabili habetur ab *Hippocr. lib. de Artic.* & ab *Avicenna lib. 4. Fen. S. tr. 1. cap. 21.* Ne tamen ægri prorsus deserantur, modos quosdam curandi tradit *Hildanus Cent. V. Obs. 69.* sed quia nullum addit exemplum, operæ fortè pretium merebor, si observationem de luxatione vertebrarum dorsi introrsum facta à Chirurgo Francofurtensi quondam dexterrimo, Dn. *Allmachero*, feliciter curata & ab ejus Filio, *D. Joh. Friderico Allmachero Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Ann. IV. Obs. 77. p. 60.* insertâ hic adjiciam. Vocabatur sc. anno 1661. calendis Martii ad Joh. Spenglerum, è pago Ramstatt, prope Darmstadium, qui cum speltam lucri faciendi ergo coëmisset, fuissetque in viâ redeundi domum, ac in curru supra saccos speltâ refertos ad requiem se composuisset, infortunato lapsu decidit. Versata autem super ipsum rota vertebras dorsi tres intra corpus intrusit, renes aliasque istius circumferentiæ partes misere conquassavit læsitque. Accedens itaque vidit nec urinam nec alvum secedere, hinc medicamentis adjutus æger, eandem effluere non sensit. Impotens enim e-

rat

rat insuper vel leviter saltem movere pedes, ob nervorum læsionem, uti etiam abdomen cum pedibus videbatur emortuum. Quo itaque luxationi aliisque incommodis succurreretur, varia in auxilium adhibuit medicamenta & inter ea fomentum & linimentum seqq.

Rec. Flor. chamom.
rosar.
sambuc.
Herb. verbasci
alth.
malv. aa. Mii.
Sem. lin. ℥iii.

Concis. & contus: coq. in lact. vaccin. q. s. sacculisque duobus insut. alternatim imponantur.

Linimentum verò ter in die inungendum seq. erat:

Rec. ℴ℘. chamom.
lumbr. ana ℥i.
salv. ℥ß.
Axung. cunic. ℥iß.
hom. ℥ii. M.

F. Linimentum.

Sic & clyster seq. diversis vicibus adhibitus fuit:

Rec. Herb. malv.
bismalv.
viol.
beton.
chamom.
melilot. flav.
cent. min. aa. Mi.
Sem. anisi
carui ana ʒii.

Incid. g. m. contund. coq. in ▽. s. q. in Col. solv.

Elect. hier. pier. ℥ß.
diaphœn.
bened. lax. aa. ℥ß.
♂. cham: ℥i.
vit. ovor. N. j:
⊖. com. ʒii. M.

Exhibebatur insimul ~. vol. ex ♀. & ✱. c. ▽. fragar. & petrosel. usque dum æger ⊡ (inscius tamen) reddidisset.

Neglecta interim vertebrarum repositione nulla expectanda erat salus & curatio. Quamobrem eundem septimo die revisit & præstantius adhibere consilium in animo habuit. Jamdum autem profitebantur adstantes se haud credidisse ægrum præterita nocte supervicturum, quod & ob innumera symptomata quis vix aliter hariolari poterat. Mox itaque modum proposuit inauditum ægrum restituendi, cui suffragati sunt illicò amici. Stragulum sc. & integumentum arctè convolvit & ægrum magno cum labore imposuit, ita, ut vertebræ introrsum flexæ convoluto stragulo incumberent. Hinc mantilia duo, quorum alterum sub axillis, supra femora alterum alligabatur, viris duobus fortibus tradidit inque terram procumbere (pedibus parieti affixis, quo fortius tenere queant) jussi. Postmodum machinâ tractoria ex *Vitruvii lib.* 10. *c.* 4. parietem terebravit; famulum sensim volutare, Viros autem fortiter tenere fecit, manibus suis prius dorso ritè impositis applicitisque, usquedum vertebræ extensæ fragorem ederent: quo percepto & audito funiculi mantiliaque sensim fuere remissa impositumque emplastrum contra fracturas, omni laude majus:

Rec. Resin. ℥vi.
Ceræ ℥ii.
Terebinth. ℥x.
Gummi Tragacanth.
Arab. ana ℥ß.

Pulv.

Pulv. consolid. maj. aa. ℥iß.
barb. capr. ℥iii.
Putam. cancror. ʒii.
Aristol. ℥ß.
Laterum
Boli Armen. aa. ℥i.
Terr. sigill.
Hæmat. aa ℥ß.
Mum. ʒii.
Oss. hum. ust. ℥ß.

Pulv. omnia. F. s. a. Emplastr. Repositione peractâ confortantia adhibuit & per duarum horarum spatium cum ipso commorabatur, dum uno quadrante vix elapso pedes levissime movere inciperet.

Ab hoc autem tempore urina insecuta & emissa est cruenta materiaque purulenta, propter quod indicans sequentem exhibuit potionem vulnerariam:

Rec. Fol. consolid. maj.
artemis.
agrimon. aa. Mii.
geran. Robert. Miii.
veron. Mvi.
mum. ℥ß.
liquirit. ℥ß.

Coq. in vin. & ▽. ana lib. iß. Col. Dos. ℥iii.

His ita una cum confortantibus aliis continuatis æger est restitutus, perceptis interim aliquibus renum incommoditatibus, quæ & remediis pertinentibus propulsæ sunt, ita, ut hodienum adhuc & hic Francofurti & aliis in locis negotia sua sedulus tractet & incolumis.

CHI-



CHIRURGIÆ MEDICÆ

SECT. III.

DE AFFECTIBUS ABDOMINIS.

CAPUT I.

DE MORBIS PARTIUM EXTERIORUM IN ABDOMINE.

§. 1.

Priusquam ad abdita in abdomine viſcera eorumque læſiones accedamus, ea primum abſolvenda erant, quæ in ſuperficie externa & in partibus continentibus occurrunt; ubi præter INFLAMMATIONES, alibi expeditas,

TUMORES ABDOMINIS,

ſe trudunt, qui vel ſubito, vel pedetentim oriuntur & ſuccreſcunt. Illic

INTUMESCENTIAM ABDOMINIS SUBITANEAM,

in pueris, ſive à vermibus, ſive à flatibus oriundam, ſolâ theriacæ camphoratæ n. d. doſi ſubito etiam abegimus, & ſic quod citò fit, citò perit. Interim in febribus malignis aliquid monſtri præ ſe fert, ſiquidem

quidem intumeſcentiam talem mortem mox inſequi aliquoties cum *Baglivio in Praxi* obſervavi. Humores enim circulantes tunc ad necroſin diſpoſiti fermenteſcere incipiunt, unde ventris elevatio: quæ poſt obitum, eadem de cauſa, adhuc manifeſtior & talis eſt, ut ſarcophagi clauſuram ſæpe impediat & reſpuat. *Hippocrates aphor.* 17. *Sect.* 8. hoc per ventrem ſublimem & inflatum exprimit eumque pro certo mortis prodromo quoque habet.

Quamvis autem reliquæ abdominis intumeſcentiæ, ſeu

TUMORES SCIRRHOSI

plus minus duri tam periculoſi non ſint, difficulter tamen cedunt, imo per plures annos ad mortem ſæpe comitantur ægros, ut in Mulieribus binis Giſſenſibus obſervavi. Tractantur autem internè per laxantia & ♂alia, externè per diſcutientia, emollientia & ſimilia, cumprimis nuguentum ♂tum.

TUMOREM ABDOM. STEATOMATICUM

ad genua usque pendulum, in puerulo formoſiſſimo, nondum trienni, in quo poſt mortem VIII. libræ cum XXIV. lodonibus materiæ ſebaceæ repertæ fuerunt, in *fig.* 2 Tab. X. ob oculos ponit, uberius vero in *Miſcellan. German. Cur. Dec.* 2. *Anno* 7. *Obſ.* 252. p. 470. deſcribit Dn. D. *Wurfbain*, νῦν ἐν ἁγίοις.

Alium ejusmodi tumorem à ſacculo variis liquoribus p. n. LI. libras pendentibus, repleto recenſet *D. Hünervvolf* in laudatis *Miſc. Dec.* 2. *A.* 10. *obſ.* 49. qui ſeq. *obſ.* 50. inæqualem & pariter lethalem ejusmodi abdominis tumorem, ab hepate & liene nimis ſuccreſcentibus, in puella adhuc lactente, obſervavit.

§. 2.

VULNERA ABDOMINIS

ſuperficialia, imo & illa quæ in muſculis abdominis ſubſiſtunt, nec periculoſa, nec curatu difficilia ſunt, licet etiam ſint magna ſatis & ampla. Inſigne hujus rei exemplum ante XXX. annos vidi cis Rhenum, in Comitatu Leiningo-Hartenburgico, ubi Paſtoris Eccleſiaſtici Conjux Neo-Leiningam carnis emendæ gratia abiens

indeque de monte descendendo redux taurum habet obvium qui odore carnis, vacca (cujus sanguinem sub mactatione elapsum modò quoque odoratus erat,) proficiscente in furorem actus mulierem adoritur, cornuque sub vestimentis immisso integumenta corp. externa non tantum à sinistro hypochondrio ad dextrum prorsus dilacerat, sed & eorum apicem in musculos abdominis profunde adigit. Pinguedo ab ipsa muliere læsa manipulatim eximebatur. Chirurgus Castrensis Grünstadio evocatus, ob magnitudinem hiatûs ferè tremens, curam tamen aggrediebatur, eamque decoctis vulnerariis internè, externe vero solo ovorum ℞ expresso & emplastro stictico (adhibitis insimul suturis) feliciter absolvebat, ita ut non obstante cicatrice immani & insolita puerperio adhuc aliquoties commode defungi potuerit.

§. 3.

Quid vero si simul

PERITONÆUM VULNERATUM

fuerit? sanè & hîc nullum subesse periculum vel exinde constat, quod 1. sæpissimè sive à causa interna, sive à causa externa rumpatur in herniis, de quibus alibi. 2. Quod arte sæpe pertundatur in PARACENTESI ABDOMINIS, cujus enchireses in *Medicina Nov-antiqua Part. ult. cap.* 5. *§.* 9. ostendimus. 3. Quod celeberrimus *Hildanus Cent. VI. Obs.* 71. *p.* 590. in votis habeat, ut apertio peritonæi à Dn. Rösselio & Paræo, imo & Antiquis tradita, in herniis contumacioribus (adde & ileo inde promanante) in usum vocaretur.

Qua ratione vero peritonæum, sive sponte, sive casu externo, sive arte disruptum, aut dissectum, consolidandum & in integrum restituendum sit, illud præ aliis solidissimè, ut solet, inculcat Venerandus Senex, *D. Bohnius* in *Colleg. Chirurg. Msc. Part.* 2. *Cap.* 1. *Art.* 6. Sc. sæpe fieri solet, ut post violationem peritonæi omentum & intestina per vulnus prolabantur, quæ cum utrobique ab aere externo

terno facilime alterentur & putrescant, hinc ocyus per vulnus (quod, si nimis angustum sit, ampliandum) reponenda sunt. Quod si vero intestina jamdum intumuerint, ut commode intrudi nequeant, fomententur, oportet, emollientibus & carminativis, sc. Decocto ex Flor. verbasci, rosarum, chamom. melilot. Sem. anisi, fœnic. fœnugr. bacc. lauri, cum vino aut jusc. carnis vel & animalibus, catellis, gallinis & columbis vivis dissectis & applicatis: quibus si flatus cedere nolint, diversis in locis, ad imitat. Indorum, acu tenerrima & tereti perforentur intestina, ut illis exitus concedatur & abhinc detumescant.

Sin omentum elapsum jamdum corruptum sit quibusdam in locis, ligetur in parte sana firmiter, ut sub filo portio corrupta resecari possit. Relinquatur autem filum longius & extra vulnus propendens, quo id cum particula omenti abscedente, suppuratione facta, aut sponte decidere, aut extrahi possit.

Hisce ita præparatis, æger super latus vulneri contrarium collocetur, ut, si vulnus sit in parte inferiore, clunes magis eleventur, si superior trunci pars decliviorem situm occupaverit: adeoque vulnus in superiore semper loco constitutum esse debet. Abhinc digitis omentum ac intestina sic inserantur, ut in repositione illorum initium semper fiat ab illa parte, quæ ultimo prodiit, quo unumquodvis membrum naturalem suum situm recuperet. Interim cave prior & cum intestino vulneri immissus digitus extrahatur, priusquam alter supervenerit. Imo ex adstantibus quis manu sua vulneris labia tamdiu debet comprimere, donec omnia reposita fuerint.

Facta repositione applicetur Gastroraphia, quæ tamen non communi illo & Barbitonsoribus consueto modo instituenda est, ut peritonæum cum peritonæo, musculus cum musculo & cutis cum cute connectatur, sive continua sive interscissa sutura adhibeatur, cum peritonæum, tanquam pars mere membranosa, si dissecetur, in & per se coalescere nequeat, prout ex *Hieron. Fabritio ab Aquapendente Pentateuch. Chir. lib. II. cap. 25.* monuit *D. Ernestus*

stus Henricus Wedelius in *Disp. de Peritonæo cap. 3.* quin ita potius sutura fieri debet, ut peritonæum v. g. sinistri lateris cum musculis dextri & sinistra peritonæi pars cum musculo dextro labioj ungantur, hacque ratione coalescant.

Operandi modi in sutura hac adhibenda bini occurrunt apud Antiquos, unus *Galeni*, alter autem *Celsi*. Prior Galenicus ita se habet: Minister tantam labiorum vulneris partem, quanta ad consuendum necessaria videbitur, Chirurgo porrigat, qui circa alterutram vulneris extremitatem acum, filum satis robustum trahentem, per cutim & musculos, usque ad subjacens peritonæum infigat, quo labio hujus intacto relicto oppositi lateris peritonæum musculos & cutim, *i. e.* ab internis ad externa perforet. Hinc sufficienter sibi adductis labiis fili extremitates connectat nodoque firmet. Mox interjecto spatio pollicis transversi per vulneris prius perforatam partem ita trajiciat acum cum filo, simul peritonæum, quod antea reliquerat, perforet; hancque per contrariam haud perforato peritonæo reducat, ac extremitates fili denuo nodo constringat: hocque tot punctis repetat, modo perforans, modo transiens peritonæum, quot ad perfectam labiorum adductionem necessaria videntur.

Poterit hæc consuendi ratio in vulneribus abdominis quoque per suturam continuam fieri, vel & per intersciſſam pennatam, in fine hujus operis descriptam, ubique tamen enchiresin antedictam observando.

Alter Gastroraphiæ modus Chirurgis quibusdam versatissimis & facilior & tutior videtur, cùm mucro s. cuspis ipsius acus semper ab interaneis avertatur, sicque hæc ipsa minus lædantur. Unius sc. fili utraque extremitas duabus instruuntur acubus, quarum altera à dextrâ, altera à sinistra Chirurgi manu teneri debet. Inchoatur autem sutura acu manus dextræ & quidem in parte vulneris superiori, per labium sinistrum, ita quidem acum trajiciendo, ut primo peritonæum, abhinc musculos & tandem cutim perforet; ita protrahitur filum usque ad medietatem ejus: hinc

sinistræ

sinistræ manus acu è regione prioris puncturæ super peritonæum punctura fiat, quâ musculi & cutis saltem comprehendantur. Hoc facto acus sunt permutandæ, ut dextra sinistra & sinistra dextra evadat, atque pari ratione à parte internâ ad externam acus cum filo ducatur, ita tamen, ut in latere illo, quô antea prehendebat peritonæum, id nunc haud tangatur, sed potius in parte opposita, idque toties repetatur, donec labia fuerint satis unita, *vid. Hier. Fab. ab Aquapend. Tr. de Oper. Chir. p. 258. Edit. Venet.* Ne verò ob contrarium intestinorum motum suturæ justo citius laxentur, hinc emplastro glutinatorio omnia munienda, aut simul sutura sicca per lintea triangularia superaddatur.

§. 4.

Frequentissimè autem

PROCESSUUM PERITONÆI RUPTIO aut LAXATIO contingere dicitur, quos tamen sexui virili in hominibus denegavit *Nuckius*, dicitur qui eosdem tantum quadrupedibus vindicavit. Unde ipsi rectius corrugata peritonæi pars, in regione abdominis inguinali conspicua & lateraliter vasa spermatica tangens, hîc affici dicitur, quatenus ab incumbentis intestini vel omenti mole in sacciformem tumorem plus minus extensa, vel BUBONO-ENTEROCELEN, vel BUBONO EPIPLOCELEN constituit: vel & ulterius ad scrotum usque demissâ prolapsi intestini vel omenti portione OSCHEO-ENTEROCELEN, vel OSCHEO-EPIPLOCELEN inducit, ut omnia eleganter explicat *D. Joh. Maur. Hoffmannus* in *Disq. Anatomico-Pathologicis Spec. 2. §. 12.*

Interim in sexu fœminino hominum diverticula peritonæi nova, à *Nuckio* primùm descripta, in Hernia Inguinali disrumpuntur aut laxantur, quæ eodem *Hoffmanno* teste mortem repentinam inferre valet, si intestini violenter intrusi pars per ostium ibidem admodum angustum immissa reverti nequeat, sed inflammatione accedente gangrænâ Ægræ pereundum sit. Vid. *Miscellan. Germ. Cur. Dec. 3. Ann. 2. Obs. CCX.*

De Curâ autem herniatum tum in ult. *Medicinæ Nov-Antiq. parte c. 4.* §. 5. tum in speciali *Disput. de nova Herniarum cura, Acad.* occurrente jamdum actum fuit, quò benevolum Dn. Lectorem jam remitto. Conf. tamen hic *Nuckius Exp. Chirurg. XXXIV. p. 121.*

§. 5.

Circa RENUNCIATIONEM VULNERUM ABDOMINIS vulgus Chirurgorum existimat nullum fere illorum esse lethale dicendum, nisi quando viscera abdominis (wann sie Weid-Wund sind / ut loquitur) simul læsa sint. Aliter verò Eruditi, quorum observatione constat vulnera abdomen, sine læsione ventriculi, intestinorum aut aliorum viscerum, penetrantia quandoque simpliciter & absolutè lethalia esse, quando sc. aut vasa sanguifera, aut vasa chylifera majora aut complura sauciata sunt, vid. *Bohnus* circa finem *Exam. vuln. leth. fol. penult.* Equidem fieri potest, ut ventriculus & intestina ob lubricitatem declinent ensium cuspides, ut eleganti observatione testatur *D. Joh. Jac. Wepferus* Sen. *Misc. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. X. obs. 173.* hoc tamen non obstante idem Autor vulnus illud, ob dissectionem vasorum & inseq. hæmorrhagiam nulla arte medicabilem, pro absolute lethali habuit: prout simile exemplum superiori anno *Facultatis Med. Gissenæ* Decisioni pariter oblatum fuit, cujus seq. est

RESPONSUM.

POstquam ab Amplissima Facultate Juridica hujus loci requisiti fuimus, ut judicium nostrum de seq. Quæstione: An vulnus in Actis Criminalibus, nobis communicatis & internecionem Dn. Friderico Caroli de RUSWORM, Juvenis Equestris concernentibus, descriptum absolute lethale sit? aperiremus: in votis haberemus, ut vasa sanguifera, in Attestato Sectionis fol. 4. allegata & fere inferius circa finem omenti, sinistro in latere, ad latitudinem articuli vulnerata, accuratius descripta & denominata fuissent. Attamen cum

cum 1. ex Anatomicis constet plurima vasa, tam venosa, quam arteriosa, præ aliis partibus membranosis, ad omentum tendere & illa quidem è magnâ venâ portæ, hæc verò è ramo arteriæ cœliacæ & mesentericæ ortum suum capere, teste

Veslingio Syntagm. Anatom. Cap. 5. p. 31.
Bartholin. Anat. Ref. lib. 1. cap. 8. p. 62.
& *Philip. Verheyen Anat. corp. hum. Tr. 11. c. 8. p. 67. &c.*

& 2. in suprà memorato Attestato Sectionis nullius amplius læsionis vel venæ, vel arteriæ alicujus grandioris, vel visceris alicujus nobilioris, aut ad vitam simpliciter necessarii mentio injicitur: hinc dubio procul descripta in Relatione Medicorum hæmorrhagia enormis (modò in sectione nihil insuper habitum aut neglectum fuerit) supra nominatis vasis omenti eorumque originibus imputanda erit.

Quum igitur occisus sub primâ statim deligatione à Physico tum advocato statim summe debilis & pallidus, in toto corpore externo frigidus & sudore quodammodò frigido perfusus, attamen cum pulsu celeri vel, potius undoso, auditu difficili sinistri auris & maximô sibilô ejusdem, respiratione anxiosâ & difficili, cum summa siti: tempore meridiano diei insequentis cum ructibus & vomendi conatibus, brevique insequentibus vomitibus biliosis & assumptorum cum phlegmate mixtis: tempore vespertino autem prostratione virium adaucta, insensilitate vulneris, motibus spasmodicis in manibus & brachiis, agitationibus corporis, ob angorem internum (quæ symptomata ad unum omnia hæmorrhagiæ enormi & defectui spirituum animalium imputanda) inventus fuit, sequenti etiam die circa horam decimam beatè obiit: tertio quoque die, sub inspectione cadaveris, ultra duas, ad 3. mensuras extravasati sanguinis in cavitate abdominis, & tam ipsum cor, quam omnia vasa sanguifera, cumprimis in omento omni sanguine depleta: infra versus vesicam dependentia & in sanguine extra-

extravasato natantia intestina obscure-rubescente colore deturpata & inflammata: Hepar etiam in parte convexa omnino pallida fuere: omnia juxta tenorem sæpius allegati attestati sectionis Dnn. Medicorum Coburgensium: adhæc hæmorrhagiæ huic indeque subortis gravissimis symptomatibus convenientibus remediis obviam iri non potuit; hinc aliter judicare non possumus, quam ut vulnus in Actis descriptum cum Celeberrimo Medico Lipsiensi

D. Bohnio in *Exam. Vulnerum Lethal. p. 362. & seq.*

juxta

Forestum l. 6. Obs. Chir. 7.

pro simpliciter & absolutè lethali declaremus, hancque sententiam nostram Sigillo Facultatis consueto confirmemus. Sign. Gissæ die 13. Oct. 1713.

(L.S.) *Decanus, Doct. & Prof. Ord Fac. Med. Giss.*

§. 6.

Hactenus de universâ abdominis circumferentia: jam ad speciales ejus regiones descendendo primo varii UMBILICI MORBI se trudunt, quos inter agmen ducit

ABRUPTIO & ABSCISSIO UMBILICI,

quæ ut in recens natis absque ligaturâ facta, ob hæmorrhagiam succedentem, nî statim huic occurratur, est lethalis, ut per varia desup. Infanticidiis lata responsa ostenditur in *Pandectis n. Medico-Legalibus*, ita idem in Adultis quoque, licet alia de causa, necem adfert, ut exemplo adolescentis, cui per ictum gladii vena umbilicalis, seu (ut in adultis rectius vocatur) ligamentum abscissum fuerat, ostendit *Hildanus Obs. Chirurg. Cent. 1. Obs. LIII.* Hoc enim abscisso hepar, quod sursum retrahitur, diaphragma adeo comprimit, ut juxta ejus sententiam homo neque inspirare, neque exspirare possit, sed illico suffocetur, cum nulla hîc curatio locum

habeat,

habeat; an tamen hoc universale & perpetuum sit, anceps hæret *D. Bohnius in Tr. de renunc. vuln. leth. p. 177.*

§. 7.

Cæterum ut casus antecedens jure merito inter rara contingentia refertur, ita in Praxi nihil est frequentius, quam

UMBILICI PROMINENTIA,

sive jam à vasis umbilicalibus minus bene ligatis in infantibus, sive ab hernia umbilicali, hydrope, flatu, aut abscessu, vel & fungis in adultis oriatur. Si primum fuerit in causa, compressulis & vinculo umbilicali illi tempestivè obviam eatur.

In HERNIA UMBILICALI

peritonæum, ut in enterocele, sive à flatibus, sive ab omento aut intestino ileo, eô in loco, ubi in abdomine concursus vasorum umbilicalium conspicitur, extenditur vel dilatatur, adeo, ut umbilicus sæpe membrum virile referat, ut *Nuckius in Exp. Chir.* 33. loquitur. Horrendam ejusmodi herniam, quam ob magnitudinem fascia sacculata de collo suspendere tenebatur ægra, depingit *Hildanus Obs. Chir. Cent. 3. Obs. 64 p. 247.* Conf. *Misc. N. C. Dec. 2. Ann. VI. p. 263.* ubi simile malum embryoni connatum recensetur.

In curatione 1. repositio fiat eo, quem in parte ult. *Med. Nov-antiq.* docuimus, modo. 2. ad retentionem globulum ex constricto linteo & desuper seq. emplastrum adhibet *Hieron. Fabric. ab Aquap. Tr. de Op. Chir. p. 231.*

Rec. Boli Armen.
Sang. Dracon.
Mastich.
Sarcocoll. aa. ℥i.
Bislinguæ
Tegul. pulverif. ana ℥iii.
Resin. pin. ℥jß.
Alb. ovi & ceræ ana q. f. F. Cerat.

Nuckius receptum in offic. Empl. ad rupturas adhibet, una cum lamina plumbea, & linteo ter quaterque duplicato ope fasciæ jejuno ventriculo applicandum.

Hisce autem nihil juvantibus umbilicus comprimendus & vicina abdominis cutis portio levioribus scarificationibus vulneranda labiisque vulnusculorum empl. glutinosis adductis ad cicatrices perducenda erit, ut ita fibræ, laxiores ante, jam contractæ umbilici prominentiæ obstent.

Marcus Aurelius Severinus in Pyrotechn. Chir. cap. 72. exomphalon urere jubet, donec emoriatur, cujus operationis & *Razes Tr. de morb. puer.* meminit.

Tandem & his irritis supralaudatus *Nuckius c. l.* umbilicum prorsus resecat & hæmorrhagiam ☉ & ⊕ Cyprio sistit.

Sin ab hydrope oriatur & in vesicam quasi attollatur, pertundi potest, quum foramen ob corrugatam cutim facile claudatur & nimium aquarum eruptionem refrænare valeat, ipsa natura monstrante viam, quæ humores peccantes aut per abscessus, aut hæmorrhagiam, per umbilicum excitata, eliminare quandoque solet, cujus rei notabile exemplum apud *Hildan. Obs. Chir. 37. Cent. 3.* occurrit, qui alibi, sc. *Centur. V. Obs. 62.*

FUNGOS UMBILICI

feliciſſime, ope speculi umbilicalis à se inventi & filis corrosivo impraegnatis, removit & curavit.

§. 8.

Antequam hinc abeamus, quædam etiam

de

VERME UMBILICALI

dicenda, quem licet multi pro inani mulierecularum figmento habeant, eaque de causa pauca de eo prostent, nihilominus præter *Sennertum lib. 3. Prax. p. 10. de morb. abdom. cap. 4. p. 484.* compertum etiam habuit *D. Joh. Michaelis*, referente *Ettmüllero in Prax.*

pag.

pag. 1199. edit. Westphal. Conf. *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Dec. 2. A. V. App. pag. 58.* Signa & Curationem eadem *Miscellan. Dec. 2. A. 1. p. 250.* in seq. Casu offerunt: Virgo xx. annorum, menstruorum expers, diris vexata symptomatibus & doloribus, potissimum circa umbilicum (ubi & motum & volutationem tactu sentiebat) *D. Joh. Muralti* curæ quondam submissa fuit. Imposita mustela fluviatili umbilico per noctem, hæc mane penitus exesa, puella autem melius habere visa fuit. Noctu aliam mustelam vivam alligavit, quæ itidem ad spinas usque consumpta fuit, quod tertia vice repetitum. Tandem carni mustelæ pulverem vitri miscebat, cujus mixturæ pars tantum absumpta fuit. Tumore umbilici postmodum in abscessum abeunte, per hunc prius ruptum 3. crassi, longi & teretes lumbrici excreti sunt, ulcere postmodum decoct. vuln. & empl. camphorato sanato. Alias frequentior hic vermis in infantibus occurrit, & q. ob sanguinem in vasis umbilic. relictum & putrescentem.

§. 9.

In extrema & infima abdominis regione varia circa partes obscoenas φαινόμενα p. n. quoque se offerunt, è quibus ea, quæ utrique sexui communia sunt, jam paucis attingemus, reliquis in finem hujus Sectionis rejectis. Hic autem interstitium illud, quod inter anum & pudenda intercedit, variis affectibus obnoxium est, tumoribus sc. ulceribus & vulneribus, variis ex causis proficiscentibus.

è TUMORIBUS PERINÆI

præter pustulas in siphylide & lue ♀ illic sæpe occurrentes, in iis, qui calculo aut ☐ vitiis sunt obnoxii, sæpe INFLAMMATIO seu PHLEGMONE se trudit, qualem magnitudine ovum anserinum adæquantem in Epist. ad D. *Theod. Mayerne*, Archiat. Reg. Angliæ, descripsit *Hildanus Cent. V. Observ. Chir. Obs. LXIV. pag. 454.* Hæc si non solicite aut discutientibus, aut suppurantibus, ibidem descriptis, tollatur, facile in

GANGRÆNAM PERINÆI

abit, quam idem *Hildanus c. l. Obs. LXXVII.* & observavit & feliciter curavit. Singularis verò & omnino curiosus est

TUMOR SACCIFORMIS,

instar scroti canis venatici, in perinæo alicujus puellæ observatus, qui ligaturâ filo incerato constrictus valdè primùm inflammatus, paulo verò post, nutrimento penitus absumpto, sponte sua decidisse legitur in *Miscellan. S. R. I. Acad. N. C. Dec. 1. Ann. IX. & X. Obs. VIII. p. 45.*

§. 10.

Quandoque tumores illi, sive sponte, sive arte suppurati & aperti in

ULCUS PERINÆI

abeunt, è quo complures lapillos pisiformes aliquando exclusos exhibet D. *Joh. Nicol. Pechlinus Observ. XXXIII. p. 91.* Sæpissime vero ulcus tale remanet post Lithotomiam, cum labia vulneris, à Lithotomis hoc in loco inflicti, callosa redduntur.

Curationem hoc in casu adhibendam docet *Nuckius Experim. Chirurg. XL. p. 139.* Præmissis sc. internis, intemperiem salinam sanguinis corrigentibus, patiens clunibus elevatis, supinus est locandus: mox cultello, aut lanceola oblongiori cuspide donata foraminis, urinam stillantis, latera in perinæo leviter incidenda & scarificanda, unde sanguis hac occasione promanans & novæ incarnationis causa existens, adhibito conveniente digestivo sæpe ductum ita consolidat, ut & ulcus sanet & ◻ omnis præcludatur exitus.

Quodsi verâ URINÆ INCONTINENTIA (curationem impediens) sisti nequeat, peculiarem compressulam, ope bracherii seu subligaculi adhibendam, excogitavit idem Autor, cujus delineationem exhibes in *Tab.* suis *Fig. 11.* nos autem ex eo *Fig. 3. Tab. XII.* cujus loco in sexu sequiori (in quo Nuckianum hoc locum non habet) aliud instrumentum, vesicæ formam habens & subligaculo muliebribus applicandum, exhibet *Scultetus in Auct. XI.*

§. 11.

§. 11.

Restant VULNERA PERINÆI, quæ ultra collum vesicæ non pergentia levioris sunt momenti, cum toto die â Lithotomis data opera infligantur. Sic Perinæum in partu difficili laceratum solâ aquâ ligni fraxini, cum linteo crebro applicata, optime curatum asserit D. *Samuel Ledelius Misc. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. VI. Obs. LXVI. p. 155.*

§. 12.

In vicinis postprædicamentis novum spectaculum exhibet anus in anô,

PROLAPSUM ANI

perpessus, cujus effigiem, à *Jobo* van *Meeckren Observ. Medico-Chirurg. p.* 388. traditam, ob oculos ponit *Fig. 1. Tab. X.* Quandoquidem verò de eo partim in *Medicina Nov-antiq, Part. VIII. cap. IV. §. 6.* partim in *Praxeos hujus Tom. 1. pag.* 56. sufficienter actum fuerit; hinc tantùm

CASUM

hâc de re notabilem è *Diario* meo *Practico* hic inserere liceat, qui ita se habet:

Matrona quædam Illustrissima ex Holsatia, è stemmate Regio oriunda, pluribus jam annis prolapsu ani laboraverat, inque ejus curationem aliquot millia Imperialium jamdum frustra impenderat. Tandem suasu Medicorum ad Thermas Embsenses, tanquam ad metalla, damnatur. Licet autem Medicus illic Ordinarius, Dn. D. *Fürstius*, Archiater Elect. Trevirensis, cum Dn. *D. Hertio*, Archiatro Darmstatino, de curatione perfecta morbi hujus chronici, in subjecto quidem tenerrimo, desperaret, thermas tamen ingredi permittitur. Quid fieret? Vix ingressæ anus ad longitudinem spithamæ violenter admodum non tam excidit, quàm extrahitur. Dubiis hinc & ambigentibus Medicis, an thermis abstinere, an easdem frequentando continuare consultius foret? posterius eligitur, idque felici cum eventu. Indies enim minori quan-

titate prodiens tunica interior tandem vi adstringente thermarum ita firmatur, ut perfectè jam sibi restituta visa domum redire ibique diu integrâ sanitate ipsi frui licuerit. Tandem tamen post temporis aliquod intervallum eandem recidivam passam esse ex Holsatia huc præscriptum fuit. Quo in casu ultimum refugium est instrumentum ad prolapsum ani, depictum *in Zodiaco Medico du Blegni, Tit. de Herniis.*

§. 13.

Inter TUMORES ET TUBERCULA ANI

CONDYLOMATA, MARISCÆ, MORI, FICUS, THYMI,

Celso generali FUNGORUM nomine venientes, referuntur, quæ omnia nihil aliud quàm carunculæ obduratæ, & nî medicamentis cedant, ligaturis, sectione aut cauteriis abigendæ & absumendæ sunt. Inter medicamenta *Mayerne Syntagm. 2. Prax. Tr. 2. cap. 4. p. 71.* suffitus suadet, non tamen in sella perforata excipiendos, sed per aviculas cyprias ☿riales, admixtâ odoratis siccantibus cinnabari, dupliciter proficuâ, sc. ratione 🜍 & ☿.

Ligatura juxta radicem fiat, si capitulum habeant exiguum basinque tenuem, ita mortuæ excidunt. Sunt qui filum causticis imprægnant.

Ustionem docet *Severinus in Pyrotech. Chir. cap. 96.* ubi tamen resectionem præmittere jubet & tunc cauterium oblongum magis quam latum adhibere.

Sectionem denique habet *Aquapendens lib. de Oper. Chir. pag. 285.* ubi vollellâ tuberculum apprehensum juxta radicem exscindit.

§. 14.

Sæpe post tumores hosce, aut & dysenteriam, oriuntur fissuræ seu

RHAGADES ANI,

quæ, si recentes sint, demulcentibus & balsamicis, ol. ceræ, sap. tereb. & similibus curantur. Sin inveteratæ & callosæ fiant, labia rimæ callosa deradantur, aut scarificentur, quò recens ulceratio fiat ad meliorem curationem, vid. *Marcus Aurelius Sev. in Med. efficact p. m.* 118.

Nec aliter

FISTULA ANI

curari poterit, quæ si injectionibus balsamicis & myrrhatis non cedat, syringotomo secanda; id quod facilius in exterioribus, musculos ani affligentibus: difficilius autem in interioribus, de quarum sectione fusius egit *Hieron. Fabritius ab Aquapendente Tr. de Oper. Chir. p.* 286. ubi & reliqua

ANI ULCERA,

clysteribus ex thermis, aut puris, aut cum pulv. ex aloe, CC. usto, tutia, chalcitide, ♎. & similibus curanda proponuntur.

§. 15.

Agmen tandem claudat CLAUSURA hujus claustri, seu

ANUS IMPERFORATUS,

cujus tres potissimum species apud Practicos occurrunt, sc. 1. Angustia seu conniventia intestini recti. 2. Clausura ejus per membranam & 3. Coalitus intestini recti, prout eædem *in Schol. Obs. XV. Anni I. Dec. 1. Misc. Cur. Germ. p.* 30. recensentur.

Primam *Scultetus in Armam. Chirurg. Obs.* 77. curavit per immissos penicillos ex rad. gentianæ, ad intestinum dilatandum.

Secunda rursus tres admittit differentias, dum aut per membranam tenuem, aut per densiorem, aut per membranam prædurarn occluditur. Posteriores duæ sectionem requirunt, cujus enchiresin in fig. ænea tradidimus *in Part. I. hujus Prax. Sect. 1. cap. 1. Tab. I, Fig. 3.* Prima, autem facillime digitis lacerari potest.

Ter-

Tertiam speciem, sc. coalitum, vix admittere videtur *H.F. ab Aquapendente Tr. de Oper. Chir. pag.* 284. cum perpetuus humorum & excrementorum affluxus ejusdem agglutinationem impediat. Aliis vero modis profundiorem ejus obstructionem fieri posse Observationes Practicorum hinc inde testantur.

Sic *Benivenius C. XXX. de abditis* oppletionem sphincteris à carnosa substantia, *Miscellanea* verò *Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obs. II.* contorsionem intestini recti instar funis, indeque ani clausuram immedicabilem observarunt. Conf. *Henr. van Roonhuysen Obs. Chir. P. 1. fol.* 132. *Job van Meeckeren Obs. Chir. c.* 22. *& Nuckius Exper. Chir. XLI.* Quàm mirabiles verò vias in tali casu sibi formet natura, *ex Obs. LXXX. Cent. I. Hildani* videre licet, ubi historia pueri clausô anô nati & excrementa alvi cum ⊡. per urethram excernere visi refertur, in cujus dissectô cadavere intestinum rectum fundo vesicæ implantatum inventum fuit.

De HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS, & p.n. APERTIS vid. *Prax. hujus & Nosoc. Acad. Part. I.*



CAPUT II.

DE AFFECTIBUS VISCERUM DIGESTIONI PRIMÆ INSERVIENTIUM.

§. 1.

Ad interiores abdominis partes jam delati in primis statim viis adorimur illos morbos, qui viscera digestioni primæ, h. e. chyli

chyli generationi & depurationi inserviunt, qualia sunt Oesophagus, Ventriculus & Intestina.

OESOPHAGUS

est via illa regia, quâ ventriculo alimenta pro chyli elaboratione advehuntur, quâ vel obstructa, vel aliis modis violata omnis sæpe commeatus culinæ microcosmi intercluditur.

OBSTRUITUR autem & ANGUSTIOR redditur tum tum in illa specie Anginæ, quæ Parasynanche dicitur, tum ab inflammatione, quæ res acriores, arsenicum v. g. propinatum aliaque venena sequitur, tum catarrho, glandulas glomeratas in illo hærentes obstruente: qui omnes affectus internis magis, cumprimis diaphoreticis, demulcentibus & similibus, quàm encheiresibus Chirurgicis tolluntur. Hic locorum potissimum

OBSTRVCTIO OESOPHAGI AB ILLAPSIS ET DEGLUTITIS,

consideranda & curanda venit, utpote quæ in quotidiana Praxi frequentissime occurrit & rarissimè absque manuali operatione qua varia in oesophago hærentia aut extrahuntur, aut in fundum ventriculi detruduntur, curari potest. Sic *Platerus Obs. lib. 2. pag. 395.* infantem habet, qui nutricis brachio insidens aureum florenũ ore prehensum, ad fauces depellendo, oesophago tam arctè intrusit, ut nullâ vi evelli potuerit. Similiter annulum gemma coruscum, ab infante XX. circiter menses nato faucibus ingestam viam alimentis, cum internecione infantis, præclusisse *Corn. Stalpart van der Wiel Observat. rar. Cent. 1. Obs. 22.* memoravit. Plura ejusmodi exempla, quibus spinæ piscium, frusta cutis pernæ & corii, globuli plumbei, aciculæ & alia oesophago impacta fuerant, recenset *Hildanus Cent. I. Obs. 36. & Cent. VI. Obs. XXXIV.*

In curatione hæc omnia, si fieri potest, extrahenda sunt, aut ad ventriculum detrudenda. Pro extractione spinarum piscium cannulam perforatam c. spongiâ in apice invenit *Hildanus l. c.*

quam ex illo depingit *Scultet. in Arm. Chir. Tab. X. Fig.* 2. in cujus defectu spongia extremitati catheteris alligetur. Aliud instrumentum pro acicula pharyngi impacta depingit idem *Hildanus Obs.* 34. *Cent.* 6. *Hier. Fab. ab Aquapendente Tr. de Oper. Chir. pag.* 221. candela cereâ utitur, qui videatur.

§. 2.

Præter has angustias Dn. *Joh. Mauritius Hoffmannus in Disq. C. H. anatomico-pathologica p.* 40. etiam

COALITVS OESOPHAGI,

mediante variolarum suppuratarum exstillante liquamine glutinoso tenaci illati, qualem in filiolo, ob denegatum prorsus cibi potusque transitum fame & siti miserrime demortuo, observavit *Lanzonus in Miscell. Acad. N. C. Dec.* 3. *Ann.* 7. & 8. *Obs.* 47. & in puella *Thom. Bartholinus Act. Hafniens. A.* 1671. & 1672. *Obs.* 109. quod fatum etiam mansisset ex eadem causâ textoris filium 7. annorum apud *Petr. Rummelium Misc. Acad. N. C. Dec.* 3. & 7. & 8. *Obs.* 47. nisi forte fortuna lucanica, flagrantissimo desiderio assumta vixque tentata masticatione, non sine dolore, abliguriendo qs. detrusa viam clausam perrupisset, sicque assumtis ad ventriculum iter liberum reddidisset. Quo in casu noviter jam inventæ, vel, si mavis restauratæ, excutiæ ventriculi (des Neuen Magenkrätzers oder Magenbürst) aliquis forte usus esse posset, de quâ Excellentiss. *Wedelius* in pec. *Dissert. de Excutia Ventriculi.*

§. 3.

In VULNERIBUS OESOPHAGI dijudicandis æquè ac curandis, differentia quædam rationę loci est habenda. Quæ enim illi circa colli regionem infliguntur, curationem admittunt, adeoque pro simpliciter lethalibus haberi non possunt, cum & medicamentis & suturis illis obviam ire possimus. Exempla illorum prostant *in Schenckio Obs. Lib. III.* 19. *Pigræo in Exercit. Medico-Chir. Lib.* 4. *c.* 12. & *Purmanno im Chirurgischen Lorbeerkranz Part.* 1. *cap.* 7. Quæ verò ductui ejus intra thoracem con-

tento

tento & per diaphragma ad ventriculum tendenti inferuntur vulnera, meritò pro simpliciter & absolute lethalibus habentur à *Bohnio Tr. de Renunciat. Vuln. Sect. II. c. 2. p. 284.*

Nec obstant Casus *in Miscell. S. R. I. Academiæ Nat. Cur. Dec. II. Ann. 2. VIII. p. 246. & ejusd. Dec. Ann. IX. pag.* 138. recensiti, in quorum priori vulnus medio oesophago inflictum per sesquiannum patuit; in posteriori autem alter pulmonum lobus cum ipso oesophago à globo sclopetario perforatus à natura sanatus fuit: hæc enim partim ἀλλότρια, partim inter rara contingentia numeranda sunt, nec regulam faciunt.

Quemadmodum enim in priori casu oesophagus in parte superiori, alibi exceptâ, contigit: ita in posteriori vulnere frustulum pulmonis vulnus per aliquod temporis spatium obturando & accretionem per accidens causando mortem aliquantisper distulit, quæ tamen vix 5. vel 6. mensibus elapsis insecuta fuit.

§. 4.

Quid verò de VULNERIBUS VENTRICULI (cujus inflammatio, ulcera & alii affectus Chirurgici nonnisi post mortem innotescunt) dicendum? vulgò hanc distinctionem faciunt, quod vulnera orificiis & fundo ventriculi inflicta mortifera & lethalia sint (de quibus & *Pandectæ* nostræ, vulnera ventriculi lethalia asserendo, loquuntur): reliqua autem in spatio intermedio consolidari possint; unde & *Barbette Part.* 2. *Chirurg. C. XI.* methodum medendi in illis curandis adhibendam præscribit, in quâ ob hæmorrhagiam V. S. commendat: In vulnere cavitatem ipsam penetrantem tunicis omnibus divisis abdominis vulnus per suturam uniri jubet, relicto foramine exiguo, per quod turunda inseratur: Vulneri verò minus penetranti, sed superficiem ejus feriente, hoc inungit:

Rec. ℞. Mastich.
abietin. ana. ℥i.
Mann. thuris. ʒii.
Pulv. rad. tormentill.
Consol. maj. ana. ʒi.
Croci. ℈i.
Vini Albi ℥iii.
Lumbr. terr. ʒß.
Coq. ad vini consumpt. F. linimentum

Quò tamen injectiones balsamicæ ex myrrh. aloe & sim paratæ forte longe præstantiores essent. Interim durus & rigorosus hâc in parte est celeberrimus *Dn. Joh. Bohnius, in Tr. de renunciatione vuln. leth. cap. IV. pag.* 331. in hanc inclinans sententiam, quod omnia omninò ventriculi vulnera, tum ratione vasorum sanguiferorum, tum ratione compagis sibi propriæ, lethalia sint dicenda, dum per illa contingens hæmorrhagia totius corporis viribus enormiter derogat, sanguinis verò ad interiora facta profusio mole atque putredine visceribus vim infert: per hæc autem digestio & distributio alimentorum turbatur.

Ast in contrarium hîc militant exempla, ab Antiquis æque ac Modernis, *Galeno, Fallopio, Christ. à Veiga, Glandorpio, Menzelio* & aliis de vulneribus ejusmodi minus lethalibus allata quibus novissimè accesserunt Cultrivori in Bohemiâ, Borussia & Saxonia à vulneribus illis servati, adeo, ut in perpetuam illorum memoriam culter à rustico Bohemo deglutitus asservetur in Museo Cæsareo Viennensi, test. *Miscell. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs.* 115. *& Brovvnio in itiner. allegat. in nost. Museo Museorum Tom. II. App. I. pag.* 5. historiam verò Cultrivori Prussiaci (cujus effigies & culter *in Fig. 2. Tab. XI. è Misc. Cur.* D. 2. *A. V. Obs. I.* ob oculos ponuntur) peculiari *Tr. de Cultrivoro* Prussiaco prosecutus fuerit *D. Daniel Beckerus.*

Excipit quidem & instat *Dn. Bohnius*, antea laudatus, hæc omnia aut per singularem naturæ benignitatem, aut circumstantiam satis for-


Fig. 1.



Fig. 2



Fig. 3



fortuitam contigisse, sicque à particularibus conclusionem universalem fieri non posse, dum vulnera plura ventriculi lethalia, quam salutaria obviam sint. Verùm licet hoc in iis, quæ rarissimè observantur, procedant, si quando, v. g. vulnus in fundo ventriculi punctim inflictum usu pulverum terreo-stypticorum & traumaticorum, cum albumine ovorum subinde exhibitorum, à Dn. Parente suo curatum scribit *D. Joh. Maurit. Hoffmannus Disq. C. h. Anatomico-Pathol. Specim.* 3. §. 8. in prioribus tamen casibus & locis pluralitas exemplorum absolutam lethalitatem ad minimum dubiam reddere valet. Jam autem in dubiis casibus semper mitiorem sententiam eligendam esse unanimis Criminalistarum est sententia. Hinc nemo vitio poterit vertere *Facult. Med. Gissenæ*, quando haud ita pridem vulnus ventriculo in locis supra exceptis inflictum pro simpliciter & absolutè lethali non habuit, ut ex ipso

RESPONSO

patebit, cujus FACTI SPECIES ita se habet:

REQVISITIO.

Ex adjectis sub *Num.* 1. videre est, quâ ratione Vir quidam 54. annorum, ad 3. digit. distantiam ab orificio superiori, in ventriculo perfossus fuerit & abhinc die 11. animum exspiraverit: qua ratione quoque ab iisdem Medicis & Chirurgis, qui eundem sub cura habuerunt, sectioni subjectus & inspectus fuerit. Quandoquidem verò è judicio Medici cujusdam impartialis sub *Num.* 2. elucescit; 1. quod non omnia ventriculi vulnera simpliciter & absolutè lethalia sint: mihi quoque 2. haud ignotum est aliquot ante annos Officialem quendam ictu sclopetario per ventriculum vulneratum & mulieri alicui cultrum, quem deglutiverat, per ventriculum vulneratum & extimam cutim extractum, ambosque 3. à læsionibus illis curatos fuisse: interea 4. supradictum & in adjecto *Num.* 1. descriptum vulnus, quod neque fundum, neque orificia ventriculi læsit, sed 5. ad 3. dig. distantiam ab orificio superiori per ventriculi latera penetravit, (*vid. adj. sub num.* 1. *sign. a.*) 6. quoque nulla

vasa sanguifera majora tetigit: idem verò 7. tam ex eô, quod contenta abdominis post diem decimum quodammodò tantùm sanguinolenta (*vid. adj. N.* 1. *sign. b.*) quàm 8. ex eô, quod neque per vomitum neque per inferiora aliquid sanguinis effluxerit, (*attest. sign. a. b. c. adj. n.* 1.) nec 10. vulnus amplum nimis fuerit, aut 11. plures nervos disciderit: si quidem 12. in documento sub num. 1. magnitudo vulneris non describitur, ex *adj. num.* 3. verò 13. contrarium apparet, quia nulla symptomata periculosa ordinaria se truserunt & excrementa, quæ die 5. post vulnus (quo corpus ab omnibus excrementis per clysteres aliquoties iteratos liberatum erat (*vid. adj. num.* 3. *sign. CCC.*) consequenter 14. hinc facile concludi potest, quod neque pars nervosa, neque insignia ventriculi vasa læsa fuerint: sicque 15. vulnus hoc, dummodo Patienti non justo major ciborum copia pro una vice (*vid. adj. num.* 3. *sign. d.*) propinata & vulnus externum in tantum dilatatum fuisset, ut ea, quæ in abdomine fluctuabant, per idem expellerentur, optime forte curari potuisset: adhæc 16. Medicus & Chirurgus opinati sunt vulnus in ipsum ventrem non penetrare (*vid. adj. sub num* 3. *sign. e. e,*) multo minus 17. crediderunt ventriculum fuisse læsum (*vid. adj. num.* 3. *sign. f.*) eaque propter 18. expressè dixerunt, quod vulnus neutiquam lethale (*vid. adj. num.* 3. *sign.* 9.) imò quod frivolum & ineptum eum pronunciatunt, qui tale curare nequeat: sicque 19. probabile est, quòd, cum ignoti nulla sit curatio morbi, in methodo medendi, omni adhibitâ cautelâ & sollicitudine, ad ventriculi læsionem non respexerint: sed 20. tantum formulas *Num.* 4. & unguenta emplastraque *Num.* 5. observanda adhibuerint, adeoque 21. primis diebus ventriculi vulnus insuper habendo medicamenta necessaria & convenientia non opposuerint: siquidem 22. contra methodum medendi rationalem tantam ciborum copiam (*vid. adj. num.* 3. *sign. h. & alibi*) imò & vinum propinata fuerunt: quibus 23. necessariò vulnus stomachi apertum conservatum fuit, ut exinde plura in cavitatem abdominis effluxerint, quæ, cum per vulneris externi, minus dilatati,

exitum

exitum extrahi & expelli non potuerint, sed pro flatibus distendentibus habita sint: sub diuturniore in loco tepido morâ 24. necessariò acescere, acrimoniam contrahere & ne labia vulneris coalescerent, impedire potuerunt: dum è contrario, si 25. secundum rationalem medendi methodum ex triplici auxiliorum fonte, Pharmaceutico sc. Chirurgico & Diætetico, juxta historiam in adjecto judicio sub num. 2. ex *Ettmüllero* allegatam & requisita in *adj. Num.* 2. expressa ac in Responso Wittenbergensi, illic simul allegato, proposita omni adhibita sollicitudine observata fuissent, credibile est, vulneratum, intuitu optimorum illorum *in adj. Num.* 3. allegatorum signorum, in vitâ conservari potuisse, cum 26. ipsemet observarim, è vulnere intestini tenuis (quod pari passu cum vulnere ventriculi ambulare dicitur,) pastulas minores oryzam & grana hordei, quibus in cibus usus fuerat æger, effluxisse & idem tamen per diætam balsamicam parcissimam, remedia glutinantia interna, exterius verò per vulnus dilatantia & apertum servantia curatum fuisse: adeoque uberior hæc desuper informatio desideretur;

Hinc Amplissima Facultas Medica eâ, quâ decet, observantiâ rogatur, ut de seqq. quæstionibus Responsum in arte fundatum, cum rationibus dubitandi & decidendi, nobis impertiat:

1. An omnia ventriculi vulnere pro simpliciter lethalibus habenda sint?
2. An vulnus in Adj. Sub. num. descriptum curari nequiverit, sed simpliciter lethale fuerit?
3. Annon in methodo medendi unum aut alterum neglectum sit, vulnusque aliter tractari potuerit?
4. Cum vulnerati caput minus fuerit sectum, an inspectio legalis fuerit?

Adj. Num. 1.

Actum.

NN. die 19. Decembr. 1712.

Prævia requisitione Ordinarii Magistratus Cadaver Nicolai Kroppii

Kroppii, Civis N. è Principatu N. ætatis 54. annorum & religioni Reformatorum addicti, die 9. hujus, in sylvula civica vulnerati & abhinc die 19. Nov. examinati, in præsentia Consiliarii & Præfecti Caji, Dn. Archiatri Mevii, Actuarii & binorum Scabinorum, Dn. Titii & Sempronii, à NN. inspiciebatur: ubi invenimus ictum in latere sinistro, inter tertiam & quartam costam spuriam, inflictum abhinc quodammodo deorsum in abdomen penetrasse. Ablatis ergo (per Chirurgos Castrenses, Johannem & Petrum N. & Javolenum N. ad actum hunc stipulata manu loco juramenti ordinatos) integumentis exterioribus, confinia ictus ad palmæ latitudinem sanguine suffusa erant & postquam musculi abdominis separati erant, hinc inde, cumprimis circa regionem Stomachi, cibi atque potus (b) in abdomine, cum aliquâ sanguinis portiuncula fluctuabant, ventriculus autem omnino vacuus & ad 3. dig. latitudinem ab orificio superiori ( ) ante & retro perfossus erat. Septum transversum quodammodo sugillatum conspiciebatur. Similiter pulmones sanguine nigricante referti erant. In latere sinistro sub peritonæo, à latere vesicæ, sub osse pubis, in folliculo proprio, intestinis adnato, portio pinguedinis, digitum transversum crassa, observabatur, reliquis visceribus salvis & absque ullo affectu morboso repertis. Quoniam igitur supra dicta nobis omnibus præsentibus ita visa sunt, ipsumque vulnus secundum omnes suas circumstantias consideravimus; hinc eadem, si à Nobis desideratum fuerit, corporali juramento nos confirmare posse, hisce attestamur. Sign. NN, ut supra.

Cajus.	*Mevius* N. Med. D. & Archiat.
Johann. Chirurg. Aul.	*Nicolaus* N. Syndicus N.
Petr. N. Chir.	*Titius*, ut Testis.
Javolenus N. Chir.	*Sempronius*, ut Test.

RESPON-

RESPONSUM seu JUDICIUM ANONYMI

Quum à Me responsum desideretur, an descriptum in adjecto attestato sectionis Ventriculi vulnus, è quo vulneratus die 10. periit, pro simpliciter & absolutè lethali habendum sit? hinc prævia sufficienti ponderatione omnium circumstantiarum, in allegato attestato inspectionis occurrentium, existimo certò determinari non posse, an vulneratus necessario è vulnere illo diem suum obierit, quum satis cognitum sit, non omnia ventriculi vulnera indiscriminatim pro simpliciter lethalibus haberi posse, dum plura exempla fide digna prostant, quod non tantum vulnera ventriculi superficialia, sed & majora, sub ipsis orificiis & in fundo ventriculi, curata fuerint: qualia reperire licet apud *Galenum Comment. in Aph. Hipp.* 18. *L.* 6. *Matthiam Cornacem* in *Epist. Respons. ad D. Ægid. Hertog.* (ubi vulnus sub orificio ventriculi sinistro lato venabulo inflictum non lethale fuisse memoratur) *Julium Alexandrinum*, *Christophorum à Vega, in Comment. ad Hipp. aphor. Fallop. de vuln. capit. cap.* 12. (qui scribit: de ventriculo habeo quod dicam: nam sanavi mulierem & hominem, à quibus egrediebatur cibus & chylus: sanavi mulierem glande percussam plumbea ab anteriori & posteriori parte &c.) *Schenck. Obs. Med. lib.* 2. *part.* 2. *pag.* 224. & alios plures: quibus jungenda historia de Cultrivoro Bohemico ex *Oswaldo Crollio* in *Præf. Basilicæ Chymic.* de Cultrivoro Prussico, apud *Dan. Beckerum in peculiari libello* & nostræ memoriæ exemplum de Cultrivoro Hallens. *ex Act. Erudit.* & *Bohnii Tr. de vuln. lethalitate.* Quapropter Medici, quando de lethalitate vulnerum ventriculi agitur, merito distinguunt inter vulnera ventriculi majora, quæ orificia ventriculi, aut fundum & vasa majora lædunt: & inter vulnera ventriculi, quæ nec orificia, nec fundi infimam, sed partes tantum laterales lædunt: prior

ſpecies pro abſolutè lethali, poſterior autem pro ſumme quidem periculoſa, attamen non pro ſimpliciter & abſolutè lethali habetur, prout id videre licet ex reſponſo Facult. Med. Wittenbergenſis Anni 1668. apud *Ammannum* in *Praxi vuln. lethal. it.* ib. ex Reſponſ. Fac. Med. Helmſtadienſis & quoad quæſtionem de vulneribus ventriculi in genere etiam ex reſponſo Facult. Med. Lipſienſis (licet hæc, quod ſpecialem ibidem propoſitum caſum de vulnere ventriculi graviſſimô, ex quo æger decima quinta poſt acceptam plagam horâ, cum graviſſimis ſymptomatibus exſpiravit, à prioribus diſſentiat;) quibus ſi libet jungatur *Fabritius Hildanus Cent.* 4. *Obſ.* 2. *p. m.* 375. verb. ventriculi vulnera non neceſſario mortem inferre &c. *Sennertus Med. Pract. lib.* 5. *part. IV. c.* 3. *p. m.* 367. verbis: Ventriculi vulnera quod attinet, inter lethalia ſimpliciter & quæ hominem ſubito jugulant plerumque recenſenda non ſunt, cum paſſim curatorum exempla &c. *It. Paulus Sorbait* in *Op. Med. Pr. Tr.* 17. *c.* 12. *de vuln. malign.* Ex Recentioribus verò *Ammannus* in *Praxi vuln. lethalium p. m.* 118. verbis: Lethalia vulnera in Ventriculo æſtimanda ex diverſitate partium, quibus infliguntur: *Stahl. Diſſert. de vuln. lethalitate pag.* 56. verbis: Orificio ſiquidem ſuperiori inflictum, ob plexuum nervorum inſigniorum inevitabilem transfoſſionem, ac ſymptomatum vulnus mox excipientium, Cardialgiæ intolerabilis, inflammationum, ſpasmodicarum affectionum, enormium convulſionum, vomitus ſingultusque atrocitatem, ſemper ac neceſſario lethale cum Galeno habetur, quod tamen de fundo ejus, præſertim quoad partes laterales ſemper dici non poteſt, cum pauciora mitioraque ſauciatus percipit ſymptomata, vulnusque quamvis difficulter ſatis, curari interdum poteſt: *Ettmüllerus* in *Chirurg. Med. Oper. Tom.* 2. *Part.* 2. *fol.* 36. *verb.* Ventriculi vulnera, quæ lædunt vaſa majora, ſunt lethalia &c. minus, quæ reliquas lædunt partes, imprimis ſuperiores: *Zittmannus in Reſponſ. Fac. Med. Lipſ. Cent.* 1. *cap.* 48. *p.* 302. *&c.*

Quæ-

Quapropter & *Galenus* jam ſuo tempore annotavit, quod *Hippocrates* (qui *Aphor. 18. S. 6.* Vulnera ventriculi lethalia pronunciat) verbum lethale dixerit ſæpius de iis, qui magna ex parte ſint morituri, ut ex *Comment. Gal.* in *aphor. Hipp. aph. 18. ſect. 6.* eluceſcit.

Dum ergo ex plurimorum Medicorum conſenſu certum eſt non omnia vulnera ventriculi pro abſolutè lethalibus habenda eſſe: juxta Atteſtatum Sectionis autem vulnus quæſtionis nec imam fundi partem, nec orificia ventriculi, ſed ad 3. dig. diſtantiam ab illis, in ſpecie à ſuperiori obſervatum fuit: adhæc neque vaſa majora læſa, ut ex defectu hæmorrhagiæ enormis colligitur, neque ſymptomatum periculoſiorum, vulnus inſequentium, in atteſtato mentio injicitur: de cætero Helmſtadienſes in ſupra allegato Reſponſo ſcribunt, quod probabiliter vulnera ejusmodi (quæ per ſe non lethalia) ferè communiter eam ob cauſam lethalia fiant, quia utplurimum & ubique ab una vel altera parte non omnia ex debito obſervari ſolent: inſuper *Welſchius in Tr. de rationali vulnerum judicio c. 10. p. 75.* ex *Sebizio* in vulneribus talismodi periculoſis fidelitatem & peritiam Chirurgi, obedientiam ægri & rerum neceſſariarum copiam requirit; hinc adhuc quæſtio moveri poſſet, an, cum vulnus ſecundum notatas circumſtantias inter abſolutè lethalia recenſeri non poſſit, ipſe tamen vulneratus die 10. inſequenti perierit, is in omnibus, ut decet, legitimè ſe geſſerit & à Chirurgo ſecundum artis principia rationabilia, cumprimis quoad diætam parcam & adhibitionem balſamicorum convenientium ac ſymptomata periculoſa avertentium, conſulto Medico, tractatus fuerit: dum certum eſt, quod vulnera ventriculi non nimis lata, ſi ritè tractentur & ſucceſſivè ſaltem pauxillum potus, cum juſculi confortantis modico, admixtis glutinantibus & balſamicis, propter ventriculi corrugationem coire & ſe qſ. claudere poſſint, prout idem ex allegata *Ettmülleri* hiſtoria & Reſponſo Wittenbergenſium clare eluceſcit: cum è contrario, ſi leviter, vel, ut videri poſſet, planè non ad vulnus ventriculi reflectatur, ipſisque ægris

 plus.

plus, quam expedit, pro una vice, offertur, vulnus per accidens lethale fieri potuerit; quæ raptim annotare volui.

Num. 3.

RELATIO MEDICI

P. P.

Quâ ratione ante menſes aliquod Nicolaus Kropp, poſt acceptum ventriculi vulnus, vitam cum morte permutarit, in recenti adhuc memoria verſatur. Quum vero perceperim, quod Dnn. Conſulentes Dn. NN. inter alia etiam hoc ipſo ſalvare ſatagant, quod vulnus antedictum in principio â Medico & Chirurgo pro abſolute lethali habitum non ſit & conſequenter Nic. Kropp in curatione neglectus fuerit; hinc totum Caſum & morbi ſtatum, quamdiu poſt illatum vulnus adhuc vixit, VV. Nob. Nob. hiſce aperire volui, ut Ampliſſ. cuidam Facultati Medicæ transmitti & de eô judicium aliquod rationabile, annon methodice tractatus, aut interfectus neglectus fuerit? ferri poſſit.

Quod igitur ipſum vulnus indeque ſuborta accidentia concernit, mecum Dn. Johannes, Chirurgus Aulicus hujus loci, cum præſentibus Dn. Syndico Nicolai & binis Scabinis die 10. Decembris præterlapſi anni vulneratum viſitaret, inveniebat ictum inter 3. & 4. coſtam ſpuriam inflictum fuiſſe. Qualitatem E. vulneris ſpecillo exploraturi, omni etiam labore adhibito mutatoque ſitu ægri, in cavitatem abdominis pertingere non potuimus, quamvis etiam vulnus ſatis à Chirurgo Petro, cum eundem nocte præcedente primum deligaret, dilatatum fuerit. Quæ cum ita ſe habuerint, in ſymptomata porro inquirebatur, quibus tentabatur, ut ſc. ex illis, an forte profundius, & prout è vomitu, quo in hoſpitium delatus æger laborabat, ſuſpicabamur, de læſione ventriculi certiores redderemus. Unde è vulnerato quærebam, an adhuc

evomat

evomat & quando vomitus remiserit? ad quod respondebat: Non amplius evomo & vomitus remisit quamprimum rursus incalescebam & animum recuperabam, cum indicibili terrore perfusus fuerim. Percontanti ulterius, an sub vomitu aliquid sanguinis rejecerit? Resp. minime, (a) se nihil de eô observasse. Similia Chirurgus referebat, quemadmodum & vulneratus inter actum explorandi, ut alioquin fieri consvevit, nòn evomuit. Adhæc è vulnerato sciscitabar, an ergò nullos patiatur dolores? Resp. nullos, ipsemet conquererer & loquerer de illis, si aliquid de illis scirem & postquam hanc quæstionem sæpius repetii, nunquam non idem responsum tuli. Accedit (b) indusium vulnerati ad aliquot palmarum latitudinem cruore tinctum fuisse, id quod non facile in vulnere cavum penetrante observatur, cùm sanguis statim in cavitatem recidat.

His omnibus ita se habentibus scire desiderabam, an, dum Chirurgus mihi referebat vulneratum cordiale ipsi præscriptum non evomuisse, cibum etiam & potum retineat? adeoque illi jusculum dari jubebam, quod bono cum appetitu, nobis omnibus præsentibus, assumebat, nec vomitione reddebat, aut singultus accidebat, vel denique de ullo circa regionem ventriculi dolore conquerebatur. Perpendens E. symptomata eorum, quorum ventriculus vulneratus, Medici seqq. ponunt: Si ventriculus profundiori vulnere confossus, simul adsunt vomitus, tormina, singultus, cibus & potus assumpti vomitu rejiciuntur, vel ex vulnere effluunt, postea ventriculus vulneratus nec cibum appetere, nec continere potest. Adhæc adest vomitus sanguinis & dolor in ventriculo percipitur, cum frequenti inflammatione, febri, delirio, crebra animi defectione, syncope & sudore frigido. Multo minus septi transversi vulneratio ex symptomatibus concludenda erat, ut è signis vulnerati septi transversi concludendum. De hoc enim Medici perhibent: ubi septum transversum vulnus accepit, sanguis spumans fertur, spiritus fit difficilis & rarus, præcordia sursum trahuntur, spina dolet, sputum ejicitur cruentum, accedit

delirium & interdum tussis &c. prout omnes libri Chirurgici docent; & quoniam eorum ne unicum quidem observari potuit, necessario concludere debebam, quòd, cum symptomata morbum sequantur ut umbra corpus & sub penetratione ensis ventriculus aut diaphragma necessario lædi debuissent, nulla vero (f) horum læsio, ut ex antecedentibus constat, præsumi posset, vulnus, ut è prioribus fundamentis & juxta exemplum omnium Medicorum omninò & palam dixi, pro lethali non habendum sit. (f)

Quod autem hac in parte fundamenta Medicorum & Chirurgorum secutus sim, è seqq. clarè elucescet: Jurisperitis notum est, quod ex facto jus oriatur: Ita quoque Medicis ex morborum signis recta curationum argumenta manifestantur. Nam ubi illa sublata, divinæ illius Artis fundamenta identidem collabascant ac protinus evertantur, necessum est. Illa enim nos in morbi cognitionem multis argumentis manuducunt, & quicquid vel in præsens ad illius dijudicationem, vel fausti infaustiq; eventûs prædictionem in futurum spectat, graphicè nobis præfigurant & ob oculos ponunt. Sine queîs etiam Therapeutice non claudicat tantum, sed nullius penè frugis est aut usus. Subterhabita quippe signorum doctrina, quid in morborum curatione Medicus cum laude præstare possit, nondum video. Ille solus sibi bene conscius est Medicus, neque ulla pallescit culpa, qui rectè illam callucrit ac ex pathognomonicis illis indiciis universaque symptomatum syndrome affectus, qui humanum corpus pessundant, interstinguit, ac tandem omnibus salutarem curam cum convenientibus ex arte dispensatis remediis decernit. Quisquis igitur signis neglectis & ignorata ipsorum constitutione solo remedii paradigmate instructus est, nunquam securus, ast dubius semper & in utramque partem fluctuans medicinam factitat, vel potius, quod subvereor, temerario prorsus ausu hominum animas negotiatur & experimenta per mortes agit, incolumi minimè conscientia. De signorum ad Therapeutices rectè & methodicè instituendæ necessitate

videri

videri possunt illi, quibus cordi fuit illam cum *Hippocrate* pro dignitate extollere. Quid autem per signum intelligant Medici, eleganti circumscriptione docet *Hippocrates lib. Prædict.* dum signum dicit id, quo cognito in alterius incogniti cognitionem pervenimus. Fontes autem enumerantur *ab Hipp. lib. de humor. text. 24.* Prout ergo bonum ex integra causa est, malum autem ex quolibet defectu, sic non sine fundamento dixit Hippocrates: mala designant mala, bona bonum; quale enim signum, tale signatum.

E quo fundamento VV. Nob. Nob. satis perspicient, quo nixus sim, cùm in Relatione meâ vulnus N. Kroppii ab initio pro lethali non haberem. Qui enim contra Medicorum ad unum omnium placita hic pronunciaverim? dum VV. Nob. Nob. ob oculos ponebam, quibus symptomatibus conflictantem ægrum adortus fuerim. Ecquid honesti illi viri, qui ægrum mecum ceu testes visitabant, non cogitassent aut obstupuissent, si is, qui egregiam modò portionem jusculi (d) assumserat, in ventriculo & quidem lethaliter vulneratus dictus, & tam à Medico, quam Chirurgis habitus fuisset? sanè contra fidem & credulitatem meam mentiri & aliud quam sentiam pronunciare debuissem; & qui aliter vulneratum, prævia sollicita inquisitione, movere & persuadere potuissem ad infortunium suum manifestandum.

Quoniam verò nequicquam ex illo obtineri aut audiri poterat, in ejus confessione mihi acquiescendum erat, domumque repetendo cum Dnn. Syndico & Scabinis, Chirurgo injungebam, ut sedulam ægri curam ageret & si mutatio quædam cum eodem se truderet, me ejus certiorem redderet. Die proxime sequente Chirurgus mihi referebat vulneratum optimè se habere, cœnam præcedentem cum appetitu absolvisse, ut & diem seq. qui tertius ab inflicto vulnere erat. Hoc ipso ergo die nihil novi agebatur & postquam Cognati Dn. N. vulneratum mihi summoperè commendabant, eundemque mihi curæ cordique esse sinebam, die quarto ab inflicto vulnere me rursus N. conferebam, eundemque in prioribus

bus terminis offendebam, Chirurgus aliud mihi referre nequibat, nisi quod Clyster operationem suam non peregerit: unde novas ad clysterem species præscribo, qui tamen horis vespertinis demum alvum laxavit. Die 13. ejusdem mensis ægrum rursus invisebam & eundem absque novis querelis inveniebam, nisi quod S. V. flatus in abdomine, ut die quoque præcedente, cum doloribus & borborygmis urgerent, quos tamen post alvum apertam facile cessare referebat. Quapropter ipsi mixturam sub die 13. signatam, cum iterato clysmate illi præscribebam, quibus dolores sopiebantur, ita ut æger, referente Chirurgo, prævia cœna, per integram fere noctem dormiverit. Sequente die 14. Decembris ipsum denuo visitabam & observabam, quod non obstantibus medicamentis adhibitis & alvi commotionibus abdomen quodammodò intumesceret & f.h. de flatibus conquereretur: quapropter mixturam sub die 14. hîc adjectam, cum linimento ad inungendum abdomen, ordinabam, per totum diem ipsi assistebam & simul enema è jusculo gallinæ infundere jubebam, & postquam alvus denuo recludebatur, dolores equidem quodammodò cessabant, sed abdomen intumescens remittere & concidere recusabat; unde vesperi domum rediens Amicos quosdam & Agnatos Dn. NN. certiores reddebam vulnerati res in terminis periculosis versari, & cum dolores abdominis jam tertia vice recrudescerent, jam (e) demum vulnus profundius penetrasse, quam omni etiam labore adhibito hactenus indagari potuerit. Interim vulneratus indies adhuc non sine appetitu comedit & de nullo alio incommodo, quam de flatibus conquerebatur. Chirurgus etiam asseruit, Eundem cibos nunquam evomuisse, sed semper retinuisse, excrementis etiam probe coctis & nihil insoliti præ se ferentibus. Die 15. eundem denuo invisens abdomen magis tumidum prioresque dolores vehementiores observabam, qui tamen post clysmatis præscripti usum mox remittebant ægerque tam cordatus & robustus erat, ut cum eidem manum porrigerem, fac me missum, diceret, ipse tantum valeo. Interim symptomatibus hisce permotus ventriculi solius rationem habui,

qui

qui ab ense penetrante mihi semper vulneratus videbatur, vulnere externô non neglecto. Quare potum & consolidantia medicamenta crebrò exhibui & injectis quotidie clysteribus duobus, ex jusculo nempe carnium pingui & vitello ovi paratis, alvum apertam servavi. Potus fuit decoctum vulnerarium. Externam ventriculi regionem inunxi oleis consolidantibus, venter autem totus fotu, quem Chirurgus suasit munitus. Iteratis vicibus visitando de iisdem, quibus pridie afficiebatur, conquerentem audivi, quæ & 17. die continuabant: Chirurgus autem asserebat eundem die mortem antecedente bene adhuc comedisse cognatosque suos, ut rebus suis in meliorem jam statum redactis domum abirent, jussisse: tandem verò obdormivisse nec ante mediam noctem evigilasse, circa quam de summis abdominis doloribus & subitaneo virium lapsu vehementer conquestus esset, non obstante usu cordialis & clysteris à Chirurgo adhibiti. Nihil ergo juvantibus hisce tempore statim matutino per expressum advocatus ex ægro jam agonizante quærebam, quid cum eô ageretur? ad quod, ah modò vires mihi suppeterent! respondebat. Ministrabam quidem adhuc aliquot medicamenti cardiaci cochlearia, sed cum observarem omnia ad vitæ clausulam jam vergere suspiranti aperiebam nullum amplius subsidium humanum suppetere, sed sursum & ad Deum cor esse flectendum operamque ipsi dandam ut vitæ cursum beatè concluderet: ad quæ se paratissimum esse respondebat, addendo se ex hac miseriarum valle ad Christum Salvatorem suum desiderare, beatam pro laboriosa vitam obtenturum. Hæc dum proferebat verba, simul accedebat Dn. Ecclesiastes Paulus & tandem quoque Dn. Ecclesiastes Andreas, quorum prior continuis precibus ipsum refocillavit, donec omnes sensus fatiscerent & ipse tandem beate, utut absque omnibus convulsionibus & terribilibus symptomatibus, animam exhalaverit.

Dum verò hinc inde murmuratur ventriculum sutura interveniente consolidari sicque occiso infallibiliter succurri potuisse, penes alios ratione præditos (rebus sic stantibus) sponte suâ ruit

Equidem Dnn.Consulentes hâc ratione rem suam felicius agere possent, si vulnerati abdomen aperiri & absente prorsus indicatione ventriculus consui potuisset. Quis verò ventriculo, absentibus omnibus indiciis & symptomatibus læsionis ejus, impunè suturam applicasset? & quem sanguis innocenter profusus gravasset, si æger sub operatione mortuus fuisset? Neminem sanè (quoad forum soli) quàm Chirurgum. Quod verò interrogatoriis immisceatur caput sub inspectione cadaveris non fuisse apertum; ad hoc respondetur, satis hic fuisse partem primariò læsam consideratam fuisse.

Equidem Dnn. Consulentes, ut videtur, eô ipso inspectionem illegalem hincque vulneris lethalitatem dubiam reddere conantur. Verum utut minimè diffitear, in ejusmodi nos aliquando incidere casus, ubi plures simul sectione partes indagare consultum atque necessarium est. Quòd autem hoc in præsenti casu factum sit, jamdum cognitum erit.

Et quia nullum membrorum sive ab extra, sive ab intra læsorum comparuit signum, & ventriculus ferè lethaliter percussus esset, prolixiore viscerum cæterorum evolutione facta, sectione capitis minimè opus fuit. Legaliter ergò & secundum artem hoc in passu actum est; adstipulante Responso Facultatis duplici, cumprimis, quia nihil morbi antecedanei innotuit.

Quâ inconvenientia igitur Dnn. Consulentes, contra propriam scientiam & conscientiam in hoc casu egerint, dum lethalitatem curationi insufficienti imputare satagunt, ex hisce satis constare poterit. Adeoque certò confido Dnn. Sententiæ Latores Judicesque, juxta dexteritatem suam probatissimam, absque admonitione mea eo reflexuros esse.

Ubi tamen optandum esset, ut ejusmodi Consulentes, in rebus sanguinem humanum concernentibus, contra principia Medica agentes, aliquando per autoritatem Magistratûs ita coercerentur, ut à similibus in Medicorum Chirurgorumque exitium tendentibus injuriis & attentatis abstinerent, & in defectu judiciorum legi-

legitimorum ad alia legitima subsidia, quibus se extricare valeant, confugerent, non vero per viam curvam vires suas experiri tentarent. Sign. N. N. die 20 Jun. 1713.

VV. Nob. Nob.
Officiosissimus
Mevius Med. D. & Archiater.

SPECIFICATIO MEDICAMENTORUM N. Kroppio propinatorum.

Prima deligatio unguento digestivo & empl. stictico Crollii instituebatur idemque aliquoties continuabatur: adhibendo abhinc unguentum digestivum cum melle rosarum, & aliquid balsami Peruviani: quæ cum epithematibus ex vino calido ad obitum usque continuata sunt. Formula cum aliis in Receptis Dnn. Mevii continetur.

Johannes Chir. Aulicus
Petrus Chirurgus.

Rec. Aq. cerefol.
verben.
taraxaci ana ℥ii.
Lap. ♋. præp.
Sang. hirci præp. ana ℈ii.
⊕. perlat. ʒß.
Sacch. perlat. Q. S.
M.D. ad Vitr. S. ▽. confortans.
die 9. Decembr. 1712.

*

Rec. Balſami Peruv.
℅. Maſtich. ana. ʒiiß.
M. S. Balſamum. die 10. dito.

Rec. Elect. diacathol. ℥ß.
D. ad ollam S. Electuarium.
die 13. dito.

*

Rec. Herb. malv.
alth.
violariæ.
Fl. ſambuc. ana. M. ß.
Sem. lini. ℥ß.
Inciſ. D. ad chart. S. ſpecies pro Clyſt.

*

Rec. Electuar. lenitiv.
diacathol. aa, ʒiii.
Θ. gemmæ ℈i.
M. S. Elect. pro clyſt. d. 12. dit.

*

Rec. Aq. Flor. chamomill.
Fœnicul.
Carminativ. ana ℥ii.
Lap. ♋. præpar. ʒii.
Syrup. de cich. c. Rhab. ℥ii.
Lap. prunell. ʒß.
Conf. Alkerm. compl. ʒiß.
M. S. Aqua Anodyn.
die. 13. dito.

*

Rec. Unguent. Flor. chamom. ℥i.
 ol. anethi
 lil. alb. ana. ʒii.
 destill. carui
 fœnic.
 cumini
 chamom. aa. ℈ß.
M. S. Unguentum ad abdomen die 14. dit.

*

Rec. Balsami Peruviani ℥i.
 D. ad ollam S. Balsamum

*

Rec. Herb. sanicul
 consolid. Saracen.
 plantag.
 menthæ
 pyrolæ ana. Mß.
 Flor. hypericon. Mii.
 Fol. alth.
 malv.
 violar. ana. Mß.
Incis. D. ad chartam
 S. Species pro sacculô.

*

Rec. Herb. plantag.
 consolid:
 heder. terrestr.
 scabios.
 Flor. hyperici. ana Mi.
 Rad. symphit. ℥ß.
 liquirit. ʒvi.
Incis. D. ad Chart. S. Species
 pro decocto vulnerario

*

Rec. Lap. ♋. præpar.
Osteocoll. præp. ana ℈i ß.
M. Div. in 5. part. æq. S.
Pulvis consolidans.

*

Rec. Syrup. symphit.
scabios.
Flor. bellid. ana ℥ß.
M. S. Syrupus traumaticus.
die 17. dito.

*

Rec. ▽. cordial. Herc. Sax. ℥iii.
cinamom. ℥i.
Conf. alkerm. c. ʒii.
Sacch. perl. q. s. M.

*

Rec. ▽. perlar. ℥iv.
Conf. alkerm. C. ʒii.
Ⓓ. perl. ʒß. M.
die 18. dito.




RESPONSUM FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ


desuper illethalitate hujus vulneris ventriculi.


REquisito à Nobis Responso fundato, cum rationibus dubitandi & decidendi, desuper seqq. IV. Quæstionibus:


I. An omnia ventriculi vulnera pro simpliciter lethalibus habenda sint?


II. An



Fig. 1.
Oberste theil.


Fig. 2.
Unterst theil.


Fig. 4.
B
A


Fig. 3.
A
A
B
C
E
D


Fig. 5.
C
C
B
A
B


Fig. 6.
A
B
A

II. An vulnus in Num. 1. descriptum curare nequiverit, sed simpliciter lethale fuerit?

III. Annon in methodo medendi unum aut alterum neglectum fuerit vulnusque aliter tractari potuerit?

IV. Cum vulnerati caput apertum non sit, an sectio legaliter instituta fuerit?

Hinc nos Decanus, Doctores & Professores Ordinarii Facultatis Medicæ Gissenæ, prævia accuratâ & collegialiter facta perlectione Actorum, nobis communicatorum, & maturâ ponderatione omnium illîc occurrentium circumstantiarum,

Ad. 1. Quæst. Resp. Negando. Licet enim *Hippocrates Aphor.* 18. *Sect* 6. & cum eo *Celsus l.* 5. *c.* 26. Vulnera ventriculi (perfecti vel discissi sc.) pro lethalibus agnoscat, attamen *Galenus in Comment. desuper cit. aphor. & de loc. affect. c.* 5. testatur quibusdam hoc esse ambiguum. Nam quosdam in eo (ventriculo sc.) vulneratos dicunt aliquando, sed rarò fuisse sanatos; ac denique saucium ventriculum in summa ejus parte sæpe agglutinari ait: Et *Christophorus à Vega ad aphor. Hipp. dict.* 18. *§*. 6. quendam sanatum fuisse testatur, cui è ventriculo vulnerato chylus exierat. Sic & *Fallopius de vulneribus cap.* 12. narrat se sanasse mulierem & Virum, qui in ventriculo fuerunt ita vulnerati, ut exierit chylus. *Marcellus* quoque *Donatus in Histor. Med. mirabilib.* 5. *c.* 4. nonnullos memorat sauciato ventriculo optimè convaluisse. Addantur Auctores in Responsô Num. 2. à Cl. Medico N.N. conscripto adducti, ut *Fabric. Hildanus*, *Paulus Sorbait*, *Ettmullerus* &c. Quapropter *Fortunatus Fidelis* (quem Excellentiss. *Zacchias* ipse *in Quæstionibus* suis *Medico-Legalibus* sæpissimè summo cum elogio allegavit) *de Relationibus Medicorum l.* 4. *c.* 3. *p.* 535. *Cornelii Celsi* sententiam moderandam atque ad *Galeni* placitum, quòd verius esse observatur, accommodandam: *Hippocratis* autem locum supra allegatum restringendum esse ad orificia læsa & ad profunda ventriculi vulnera asserit *Ammannus in Medicina critica, Discurs.* 58. §. 6. *pag.* 364. idque ratio-

rationibus fundatissimis à *Sennerto lib.* 3. *Med. Pract. p.* 1. *S.* 1. *cap.* 16. *pag.* 61. *&* 62. *& lib.* 5. *P.* 4. *c.* 3. *pag.* 367. *& Suevo de inspect. vuln. lethal. & sanabil. Part.* 11. *c.* 18. *p.* 113. passim probatum esse pronunciat Facultas Medica Lipsiensis in Responso super casum 58. *loc. cit. pag.* 365. Imo &(addimus Nos) *à Sebizio Seniore Exam. vuln. partium dissimilar. Part. III. de ventriculi, vuln.* §. 55. *& seqq.* Sic *Schenckius* quoque *lib.* 3. *de part. Nat. f. prior. Obs.* 121. *&* 122. *& Sennertus ll. cc.* diversas quoque observationes recensent *ex Matth. Cornace, Jul. Alexandrino, Vega & Fallopio,* quibus ventriculi vulnera curata fuisse testatum faciunt. Quibus addi possunt *Glandorpius in specul. Chirurg. Obs.* 30. & exempla cultrivororum, Pragensis *à Crollio in Præf. Basil. Chym. Joh. Jessenio à Jessen in Histor. Relat. de Rustico Bohemo Cultrivorace, Sennerto loc. alleg.* aliisque: Prussiaci à *D. Georg Lotho* anno 1635. & *Dan. Beckero* anno 1643. peculiari *Tractatu German. de Cultrivoro Prussiaco* descripta, & *in Ephem. Medico-Physicis German. Nat. Cur. Dec.* II. *Ann. V. & Ann. VIII. p.* 399. *& A. X p* 2. repetita, nec non Halensis in Saxon. ibid. *Ann. X. p.* 1. recensita. Imo illi, qui in lethalitate vulnerum determinandâ alias rigidè admodum procedunt, vulnera ejusmodi ventriculi pro simpliciter & per se lethalibus non habent, sed pro utplurimum lethalibus, ut *Bohnius Tr. de Renunciat. vuln. pag.* 56. *& Collegii Med. Wittenberg. Senior* quidam & PP. apud *Ammann. in Praxi vuln. lethal. p.* 27. *&* 34. quoniam experientia testatur, vulneratos ejusmodi sæpe per plures annos post acceptum ventriculi vulnus superstites in vita mansisse; hinc Celeb. olim Archiater Elect. Brandenburgicus *D.* M*enzelias,* existimat quod (NB.) liberè pronunciandum sit vulnera ventriculi non omnia lethalia esse, præsertim si non accidant loco nervoso, sc. circa superius s. sinistrum os ventriculi, sed paulò inferiùs &c. M*iscell.* Medic*o Phys. Acad. Nat- Cur. Dec. II. An. V. Obs.* 1, *pag.* 3.

Quoniam igitur præsens vulnus quæstionis ita comparatum fuit, ut ad 3. digitorum latitudinem ab orificio superiori, juxta attesta-

attestatum sectionis inflictum sit, vulneratus adhæc per x. dies, absque periculosis symptomatibus cum appetitu edere, bibere & omnia concoquere potuit; hinc quoad II. Quæstionem existimamus, quod, si dictum ventriculi vulnus non plenariè curari potuisset, æger tamen diu adhuc in vivis conservari potuisset, modò vuln⁹ statim ab initio probè agnitum & consequenter vulneratus quoad curam & diætam bene tractatus fuisset. Quapropter & vulnus hoc in hypothesi æquè minus pro simpliciter lethali habendum, ac in thesi de vulneribus illis in genere fuit dictum, idque maximè, quod in parte ventriculi superiori & quæ diaphragma respicit, inflictum est, quod curari, quamvis difficulter satis, & supervivere vulneratum posse ex *Galeni* sententia largitur *Welschius in Rationali vulnerum lethalium judicio cap. 10. p. 92.*

Quoad III. Quæst. curam à Dn. Archiatro, D. Mevio, hîc adhibitam suo in loco relinquimus. De nihilo quoque non est præscripta in principio medicamenta interna in genere alias ad confortationem & conservationem virium & doloris mitigationem sollicitè directa fuisse: neque videmus in methodo medendi quoad externum vulnus insigniter erratum fuisse, dum Dn. Archiater qualitatem vulneris è nullo signo aut symptomate externo dignoscere eaque de causa intentionem suam, præsumtivè bonam, ad præcavendam inflammationem per V. S. & propinanda decocta traumatica & consolidantia &c. dirigere præcise non potuit. Interim existimamus, quod, si statim ab initio plus ad partes internas & læsionem ventriculi, quàm ad vulnus externum respectum, potiones vulnerariæ & linctus pulveresque consimiles patienti exhibiti, vulnus tempestivè dilatatum & per turundas apertum servatum, injectiones simul balsamicæ glutinantes caute per syringam immissæ, imò & in diæta ratione cibi & potus, motus & quietis &c. læsus melius tractatus fuisset, is ope divina bene adhuc curari, vel ad minimum per aliquod temporis spatium inter vivos conservari potuisset.

Quod tandem IV. & ultimam Quæstionem attinet, nón tantùm *Constitutio Criminalis Caroli V.* sed Praxis hactenus recepta exigit, ut in consimilibus læsionibus mortiferis omnes Ventres & Cavitates C. H. aperiantur. Quodsi E. caput in hoc subjecto pariter dissectum fuisset, forte quid inveniri potuisset, ut in intestinis, in quibus ad tumorem illum Steatomaticum etiam quodammodò reflecti posset. Quoniam verò id non factum est, hinc sectio illa & inspectio pro omnino legali vix haberi poterit, cumprimis, quod ipsius vulneris magnitudo quoque determinata non fuit. Quæ juxta tenorem IV. nobis propositorum quæstionum his impertire & Sigillo Facultatis nostræ confirmare voluimus. Sign. *Gissæ die XVI.* Aug. 1713.

Decanus, Doctores & Professores Facult. Med. hujus loci.

RESPONSUM
FACULTATIS MEDICÆ FRANCOFURTENSIS ad Viadrum

Quum Facultati nostræ Medicæ ab Amplissima Facultate Juridica hujus loci, ad requisitionem Dnn. Consiliariorum Principalium Dillenburgensium, Acta in puncto homicidii, Dn. Locumtenenti Supremo NN. imputati, communicata nostrumque judicium impartiale, cum rationibus dubitandi & decidendi, hac de causa, in quantum Nos concernit, desideratum sit; hinc Acta illa sanguinem humanum, de quo coram supremo Dei judicio ratio reddenda, spectantia deligenter perlegimus & Collegialiter matureque perpendimus invenimusque omnia ad 4. illas quæstiones, quæ

quæ Laudatissimæ Facultati Medicæ Gissenæ, in additamento Lit. B. ad num. 13. actorum pertinente, propositæ sunt, recidere; utpote quæ inter Medicos potissimum ventilatæ sunt, an nempe

1. Omnia ventriculi vulnera pro simpliciter lethalibus habenda?
2. Annon vulnus n. 1. descriptum curari potuerit, sed simpliciter lethale fuerit?
3. Annon in methodo medendi unum aut alterum neglectum & ipsum vulnus aliter tractari potuerit?
4. An, quum vulnerati caput apertum non fuerit, sectio legaliter instituta sit?

Quapropter

ad primum

firmiter & præmeditatò respondemus, quod licet hæc vel illa exempla curatorum ventriculi vulnerum penes Autores & cumprimis in exasciato Responso Facultatis Medicæ Gissenæ allegata occurrant: attamen incertum sit, an reapse omnia ventriculi vulnera fuerint, nec aliquid vanæ gloriolæ aut ostentationis illic latuerit? quo ipso tamen nullius autoritatem aut famam in specie lacessere intendimus. Posito autem hæc ita se habuisse, attamen exempla fuissent rarissima, quæ, re probe supputata, ex accidenti magis naturæ extraordinarie operanti, quam Medici & Chirurgi facultati imaginariæ adscribenda sunt. Optime etiam scimus vulnera circa orificium & fundum periculosiora, quam in medio esse, quod tamen in eo tantum consistit, quod illa plura & pejora symptomata conjuncta habeant tempusque mortis citius quam hæc anticipent. Cultrivori Prussiaci aliorumque exempla hic prorsus dissimilia & ad rhombum nihil facientia exempla sunt, siquidem illa, intuitu internè tantum & pedetentim ad extra operantis auxilii Naturæ à vulnere uno impetu per violentiam externam inflicto plurimum distant; & quoniam pauca hæc & circumstantiarum

intuitu prorſus incerta exempla regulæ per Modernorum æque ac Antiquorum Medicorum plurimorum diuturniorem & crebriorem experientiam approbatæ nil quicquam derogant; hinc in theſi ſtatuimus, quod vulnera ventriculi, in eô, quod manum Medicam effugiant, pro per ſe lethalibus habenda ſint.

Quamvis igitur

ad ſecundum

è reſponſione in theſi data concluſio in hypotheſi facile fieri poſſit, attamen ex Actis tales circumſtantiæ elucēſcunt, quæ lethalitatem vulneris per ſe adhuc magis confirmant. Poſito enim vulnus aliquod ventriculi unquam curatum & manu Medica aut Chirurgica ad conſolidationem perductum fuiſſe, attamen illud tantum de vulnere ſimplici intelligendum eſſet. Jam verò ex relatione aut atteſtato obductionis clariſſimè videre licet *Ventriculum ad trium digitorum diſtantiam à ſuperiori orificio à parte antica ad poſticam perfoſſum fuiſſe*: quod vulnus non tam ſimplex, quam duplex neceſſario & abſque omni contradictione fuit, & ſimul oſtendit, quod licet unum, ſecundum ſitum corporis quodammodo occluſum, fuerit, attamen per alterum, è regione obſervandum, aſſumta in abdomen effluxerint: ſicut juxta tenorem allegatæ relationis *cibi potusque aſſumti hinc inde in abdomine, cumprimis circa regionem ventriculi, cum intermixto ſanguine fluctuarunt, ipſe verò ventriculus omnino vacuus obſervatus fuit.* Unde pariter & rationabiliter concludere licet, cibos digeſtos & excretos nón tam ab aſſumtis vulnerationem inſequentibus, quam potius ante eandem aſſumtis ortum traxiſſe. Reliqua putatitia ſigna favorabilia penes Nos in reflexionem tantam non veniunt, quo minus, absque ulla hæſitatione, conſtanter judicemus vulnus Num. 1. deſcriptum curari non potuiſſe, ſed ſimpliciter lethale fuiſſe.

Ad tertium

videre non poſſumus, quod Chirurgus in prima viſitatione vulneris plura efficere & præſtare potuerit, eoque minus, quod poſt in-

flictum ictum situs corporis & partium internarum aliter se habuerit, quam sub dicta visitatione: quapropter vulnus Num. 3. distortum & apertura ejus occlusa fuit; id quod primam conjecturam de vulnere minus pervio confirmare potuit, nec sub incertitudine hac violenter investigari & dilatari potuit. Et quamvis hæc omnia in actum deducta fuissent, quî sub mutata, ex subsidentia ventriculi, figura adeo evidenter scire & rationem vulneris, ut postmodum apparuit, determinate potuissent? In cura Medici præsentis nil inconvenientis observavimus, sed quod idem, quæ rebus sic stantibus fieri poterant, præstiterit. Quod autem in facti specie æque ac Responsis Medicorum de medicamentis & injectionibus balsamicis & glutinantibus, quæ adhiberi debuissent, perhibetur, methodo medendi theoreticæ quidem consentaneum, in Praxi verò non semper applicabile videtur, ubi vulneris circumstantiæ speratum quidem & bene intentum effectum frustrari solent; quapropter dicere non possumus in methodo medendi unum aut alterum neglectum fuisse, vulnusque aliter tractari potuisse.

Ad quartum.

Sub omnibus inspectionibus usus obtinuit, ut principaliter in locum læsum inquiratur: & quando causa mortis evidenter in oculos incurrit, planè non opus est alias quoque corporis humani partes perlustrare, nisi conjecturalia quædam signa id requirant. Quoniam verò in præsenti casu talia non occurrebant, vix opus erat, ut vulnerati caput aperiretur: eaque de causa factam obductionem & cadaveris sectionem pro legali agnoscere tenemur. Quam probè ponderatam & conscientiosam, imò & Artis principiis conformem, sententiam subscriptione nostra & appresso sigillo Facultatis roborare voluimus. Sign. Francofurti ad Oderam, die 19. Jan. 1714.

(L.S.) Decanus, Senior, Doctores & Professores Ordin. Facultatis Med. h. l.

RESPONSUM II. FACULTATIS MEDICÆ GISSENÆ.

Quandoquidem nobis Decano, Seniori reliquisque Professoribus Facultatîs Medicæ hujus loci Acta, Dillenburgi in puncto homicidii imputati hactenus in foro ventilata, denuo transmissa iteratoque judicium nostrum de Responso Facultatis Medicæ Viadrinæ illic occurrente desideratum sit: non possumus non valde admirari, Laudatissimam & Ampliss. Facultatem Medicam ad QUÆST. I. à fide dignis celeberrimisque Viris observata exempla vulnerum ventriculi curatorum in dubium vocare vanæque gloriolæ illic forte subterversantis, incusare. Unumquemvis equidem suo abundare sensu permittimus: similia tamen exempla adeo crudè rejicere & pro thrasonicis jactationibus habere non auderemus, aut in Nos redundare pateremur, cum fides historica non facile sit in dubium vocanda, ac unicuivis in sua Arte, quod dicitur, sit credendum: alioquin de tota Arte Medica, in qua Celebriores quivis Medici hodie nihil æquè magis quàm Observationes desiderant, prorsus actum esset. Enimverò plures ejusmodi incredulos Dominos simili in casu vidimus, qui tamen victas tandem manus dederunt; quos inter Excellentissimus suoque ævo famigeratissimus *D. D. Dieterichius*, Archiater quondam Electoralis Brandeburgicus erat, qui Electori suo Clementissimo pariter fidem adhibere recusabat, cum ipsi referret personæ alicui ventriculi vulnus ultra annum gestanti cibum sæpiuscule per aperturam ejus effluere, donec medicamentum tinctura quadam infectum illi propriis manibus misceret, hocque intus exhibitum paulo post è vulnere effluere, ex ipso colore observaret, ut B. *Dn. D. Menzelius* illud fusè in

Miscel-

Miscellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. A. V. Obs. 1. pag. 3.

recenset; & licet ejusmodi vulnera ventriculi innocua valde rarò occurrant, non tamen nulla sunt, sicque theseos universalitatem ad minimum infringunt, ut tutò veréque asserere liceat, non omnia ventriculi vulnera esse lethalia, sive jam perfectè curentur, sive non. Sanè Dnn. Francofurtenses ipsi Cultrivororum exempla concedere tenentur. Quod autem curatio illorum à curatione aliorum ventriculi vulnerum discordet, negari quidem nequit, sed nihil hic ad rhombum facit, cùm medicamentis internis expediri possint, quæ externè administrari nequeunt. Sanatur enim„ ventriculus quoniam exhibentur glutinantia per os, uti„

Fallopius Tr. de Vuln. Capit. cap. XII.

perhibet. Ut taceam per vulneris dilatationem (quæ hic prorsus intermissa & neglecta fuit) externe quoque infusionibus traumaticis & balsamicis ægro subveniri potuisse. Quam egregiè enim infusiones hæ se gerant in talibus viscerum internorum vulneribus, experimento *Pechlini in Diss. de curato vulnere pulmonum* constat. Quoniam igitur in Responso nostro plures celeberrimos Autores (quibus jam porrò addimus

Stalpart van der Wiel Cent. 1. Obs. 39. & ad hanc Scholia ejusdem p. 157. & seqq.

Ephem. German. N. C. D. I. A. I. p. 268. D. I. A. IX. & X. pag. 306. D. II. A. I. p. 64. & 65. & Dec. II. A. VIII. p. 403.)

allegavimus, qui similia vulnera observarunt: Dnn. Francofurtenses econtra ad plurimorum tam Modernorum, quàm Antiquorum Medicorum Experientiam quidem provocant, sed neque nomen, neque loca sive scripta illorum addiderunt; hinc nobis prorsus ignota est illorum regula, quod omnia ventriculi vulnera absolute & per se lethalia sint, sed subsistimus in thesi hactenus stabilita: Non omnia ventriculi vulnera absolutè & per se lethalia esse.

Quod jam vulnus QUÆST. II. in hypothesi concernit, exinde ferè unice pro simpliciter & absolute lethali habere sustinent, quod non tam simplex quam duplex fuerit, quum ventriculus à parte antica ad posticam omnino persossus fuerit. Ast qui & unde probabitur sola vulnera simplicia, non verò etiam duplicia curari posse? Rectius supra laudatus *Fallopius c. l.* de tali ventriculi „vulnere: Sanavi, inquit, mulierem glande percussam plumbea „ab anteriori (NB) & posteriori parte. Nonne & hoc ventriculi vulnus duplex & tamen sanatum fuit?

Vid. Schenckius Obs. Med. lib. 3. obs. 2. pag. 343.

Gratis etiam dicitur, quod unum è vulneribus his, altero occluso, necessario debeat aperiri: cum ex Anatomicis constet ventriculum quasi in æquilibrio locatum esse in corpore humano, ita ut bina è diametro sibi opposita vulnuscula sub motu ejus peristaltico simul claudantur, sicque cibus & potus (cæteris paribus) retineri adhuc & ibidem digeri possint. Multò minus ex Actis elucescit cibos digestos & egestos non tam post, quam ante vulnerationem ventriculi ingestos fuisse, cum Dn. Medicus in Relatione sua aperte fateatur, vulneratum in sextum usque diem integro appetitu gavisum assumta alimenta retinuisse, à quibus recrementa exclusa necessario profecta fuerunt, cum priora & ante eadem præsentia per clysteres iteratos eliminata essent; ut adeoque à parte nostra neutiquam ex imaginariis quibusdam & frustra arridentibus signis, sed fundamentis immotis concluserimus, vulnus Num. 1. descriptum adhuc curabile, non autem simpliciter lethale fuisse.

Quodsi in QUÆST. III. sub primâ statim deligatione (ubi situs corporis & partium non necessario aliter ac sub vulneratione se habere debuit aut potuit) curatius per institutam visitationem in vulneris qualitatem, antequam apertura ejus se aut occlusisset aut occultasset, inquisitum: aut postmodum idem per sectionem Chirurgicam dilatatum fuisset, ut ad minimum observari potuisset vulnus in cavitatem abdominis penetrasse, dubio procul aliæ

sive

ſive cogitationes,ſive indicationes formari,de læſione internorum ſcrupulus oriri viaque melior, tam in præſcriptione medicamentorum, quam ordinandâ diætâ inveniri potuiſſent; quum vero utrumque neglectum fuerit, ſed vulnus non tam ſub prima delitatione,quàm die inſequenti (ubi omnia jam tumefacta & ſuppurata) viſitatum,

vid. *Teſt. 6. & 7. ad interrog. prælim.* 30.

idemque non tam vivente adhuc vulnerato, ſed poſt mortem demum dilatatum ſit,

Teſt. 6. & 7. ad interrog. prælim. 46.

adhæc, juxta propriam Dn. Medici confeſſionem, vulnus tantum pro externo & ſuperficiali habuerunt : vulneratum (cui nil æquè magis quàm ipſa quies & decubitus imperari debebat) in lecto minus detinuerint, imo aliquoties in camerâ circumduxerint,

Vid. *Teſt. num. 7. ad interrogat. prælim.* 55.

porro illi multos variosque cibos indulſerint, adeò quidem, ut die adhuc mortem immediatè antecedente tantum panis triticei, quantum crucigero redimitur, una cum juſculo,propinarint,

Teſt. num. 5. ad interrogat. prælim. 23.

panis autem triticeus in ventriculo maceratus neceſſario intumeſcendo vulnera jam ſemiconglutinata diſtendere potuerit: tandemque ad ſtomachi læſionem planè non reſpexerint, cum tamen vulneratus ſtatim in principio vomitu correptus eſſe dicatur à

Teſtibus num. 6. & 7. ad interrog. prælim. 29. & 88.

abhinc verò ſemper de torminibus abdominis conqueſtus ſit,

Teſt. num. 4. ad interr. prælim. 38. *num. 6. & 7. ad eund. art.*

adeo quidem, ut alteri Chirurgorum de vulnere ventriculi quoque ſuſpicio orta fuerit,

Teſt. num 6. ad interrog. prælim. 30.

hinc abſque diſpendio veritatis negari non poteſt, quod in methodo medendi unum aut alterum neglectum vulnusque melius & felicius tractari potuerit.

Quoad ultimam & IV. QUÆSTIONEM hîc locorum in

priore Responso jamdum è *Constitutione Criminali Art.*149. ostendimus universum cadaver, non vero solam partem vulneratam, sub ejusmodi homicidiis aperiendum esse, id quod in Praxi hactenus obtinuit. Hoc si aliis non placuerit, nec illis displicebit, si Dnn. Defensores abhinc difficultates moveant & illegalitatem inspectionis vellicent: quibus à parte nostrâ minimum deesse non possumus, cum scapha scapha sit dicenda: attestante Sigillo Facult. Ord. Signatum Gissæ die. 25. Maji. 1714.

Decanus, Senior, Doctores & Profess. Facult. Medicæ Gissenæ.

§ 5.

Intestina à nonnullis pro ventriculo continuato habita eosdem cum hoc Manes experiuntur, siquidem & inflammatione & obstructione, remediis internis pariter curandis, tentari solent. Inter eas autem læsiones quæ manum Chirurgicam requirunt, HERNIÆ, in Fig. 2. TAB. XI. delineatæ primas tenent, de quarum curatione cum non tantum *in Cursu Medico generali Part. Chir. ult. c.* 4. §. 5. & in 1. *Parte Prax: Infallib. Sect.* 1. *c.* XII. verùm & in speciali *Disput. de nova herniarum cura in Polyc. Exoticis* jamdum actum sit, enchireses etiam *à Nuckio in Experim. Chir.* 34. 35. 36. curatissimè sint traditæ; hinc nil amplius hic addo, quàm Cautelam unicam, ne sub ejus cura per quemcunque errorem intestina violentur, indeque vulnus & ulcus immedicabile oriatur, quale non tantum descriptum, sed & depictum cernitur *in Miscellan. Acad. German. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 8. *Obs.* 55. *pag.* 138. Ipsum Casum *D. Reiselius* seqq. describit: A. Joh. Ottone, Lithotomo, herniosus Vir, Joh. Georg. Groll, Lanio, 1688. consilium petiit, non tam sectione, quàm ligaturâ juvandi. Ille verò, quod sine sectione curari non possit, sine præparatione ullâ, aut

fæcum

fecum detractione, potius ovis duriter coctis pridie datis facto vulnere in inguine & separato testiculo tam per cultrum, quam per digitos (in quâ separatione vel dimidiam horam insumsit) punctione voluit aquam evacuare, herniam hanc (quæ genuina enterocele erat) pro hydrocele habens: ubi loco aquæ albidi quid & solidi protuberaverat, quod insolitum & nunquam sibi visum pro pinguedine agnovit, adstantes pro glandulis, cum sine dubio fuerit testiculus. Consternatus autem temerarius Sector, contra preces ægri ne pergeret in sectione, si sibi non fideret soli, noviter cultrum adegit & sectione longa desuper à pube usque ad punctionis primæ locum, non sine magnis ægri doloribus & clamoribus, acsi cor perfossum sit, aperuit processum peritonæi, unde cum tantô impetu intestina ipsa, capitis magnitudine, exciderunt (quod tamen perfractè primò negavit malesanus) ut quicquid tentaverit, reponere non potuerit. Cumque frustraneos videret labores, turbatus & desperatus vinculum à servo petiit applicuitque perlapsis intestinis voluitque constringere, nisi impeditus esset ab adstantibus & spectatoribus. Itaque ægro in lectum reposito sanguinem manantem restringere conatus, illud aqua aliqua atra & corrosiva vix intra triduum, non sine metu grangrænæ, efficere potuit. Alius ergo Chirurgus vocatus est, qui, Ottone aufugiente, multa diligentia & studio eò rem deduxit, ut præter spem post 3. fere septimanas intestinorum partes plurimæ reponerentur, pars verò exserta maneret, per quam non tam fæces & mucus hic, quàm infusi clysteres illic prodirent. Testiculus verò dexter demum octavâ septimanâ cum membranis vicinis resectus est.

Re ad Collegium Medicum Stutgardiense delatâ *D. Reiselius* cum *D. Gmelino* & Chirurgis istius loci juratis ulcus, per quod fæces exibant, sub hac figurâ inveniunt, quâ depingitur *in Fig. 3. Tab. IX.* In hâc Lit. A. est pars intestini coli, seu sacculus prolapsus, in rotunditatem à subditis intestinis protuberans, cui cutis pubis arctè adnata est; in cujus medio vestigium quoddam inceptæ pu-

tredinis est glandula seu excrescentia maculosa, quique in plenilunio & humidiore tempestate augetur. Hujus membrana rubra & qs. cruenta, non excoriata tamen, an interior sit & heic extrorsum versa, quæritur? quod duo foramina videntur innuere, quorum sinistrum C. ascendit, dextrum B. descendit, neque sub membrana intermedia aliqua transeunt, aut sibi communicant. A duobus enim foraminibus usque per putredinem serpentem rupta membrana resupinata & extrorsum versa hic videtur, in latam extensa convexitatem, quæ in naturali statu concava & pervia, sed conclusa fuerat.

B. Foramen dextrum descendens ejusdem intestini notat, per quod clysteres effluunt applicati & aliquando mucus hic notatus.

C. Foramen sinistrum ascendens, per quod fæces exeunt, in vesicâ suillâ colligendæ, atque mucus clarus, qui maximè jejuno effluit. Hic mucus ☉. retentâ tantum educitur, ☉ verò fluente remanet. Fluit autem ☉. per viam ordinariam, sed per alvum fæces nullæ.

D. Sacculus alius, in quo motus peristalticus apparet, imprimis si digito vel stilo pungatur & fovea non altum penetrans animadvertitur.

E. Testiculus exsectus dexter, seu testiculi resecti locus vacuus.

F. Superstes in scroto testiculus sinister.

G. Manus pudibunda tegens cum strophiolo virgam.

Vulnus haud absimile, quod milite in hypochondrio sinistro olim inflictum fuerat, aliquot ante annos vidi hic Gissæ, per cujus orificium, labiis callosis & rubicundis circumdatum, omnes fæces alvi indies secernebantur.

§. 6.

Ex his quodammodò etiam

VULNERA INTESTINORVM

dijudicari poterunt, de quibus laudatus supra *Bohnius l. c. p.* 351.


cum

cum *Hippocrate* ita concludit : Ictus, intestina quæcunque penetrantes, imprimis majores & graviora symptomata pedissequa habentes, per se mortales existere : quod 1. à contentis suis ac flatibus distendantur & motu peristaltico perpetuo exerceantur, hinc difficulter coalescant. 2. facilè inflammentur ac gangrænosa evadant 3. chylum atque fæces ad aqualiculum profundant, nec 4. remedia sibi rite applicari patiantur. Quæ omnia in vulneribus intestinorum tenuium extra omne dubium sunt locata. In vulneribus vero intestinis crassis inflictis distinctio quædam inter majora & minora facienda est, quorum posteriora, ob substantiam coli quodammodo carnosam, convalescere possunt, adeoque à Fac. Medica Gissena pro simpliciter lethalibus non habentur in Responso XIII. *Pandect. Medico-Legalium Part. II. Sect. V. pag.* 444. Quid quod & majora ad plures sæpe annos, si cum hiatu & aperturâ ad exteriora hiscente, per quam & fæces excerni & medicamenta applicari possunt, salva permanente vita tolerentur, ut non tantum casus in præced. §. allegatus, sed & alia exempla *in Cabrolio Obs.* 13. *Hildan. Cent.* 1. *Obs.* 74. *Platero Obs. lib.* 3. *p.* 880. *Bauhino in Append. ad Rousset. parerg.* 1. *Miscell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. Ann.* 3. *Obs.* 8. *& Ann.* 9. *Obs.* 121. *& Suevo de Insp. Vuln. lethal. part.* 2. *c.* 19. attestantur.

In curatione *Barbette* (qui & intestini tenuis vulnus aliquando curatum refert *pag.* 208. *Chirurg.*) præmissa suturâ vulnus aquâ calidâ & seq. pulvere conspergit:

Rec. Aloes.
Mastich.
Thuris.
Mumiæ
Sang. Dracon. ana. ℥i.
M. F. Pulvis.

sicque restituto intestino in pristinum locum, vulneris etiam externi (quod tamen non statim ante intestini curationem consolidandum) rationem habet.



CAPUT III.

DE AFFECTIBUS OMENTI, PANCREATIS & MESENTERII.

§. 1.

Inteſtina partim tegunt, partim connectunt Omentum, Pancreas & Meſenterium, quæ omnia etiam variis affectibus ſunt obnoxia, non dignotione tantum, ſed & curatione difficilibus, quod de

TUMORIBUS OMENTI,

Steatomatibus cumprimis & Abſceſſibus, judicat *Barbette* in *Op. Chirurgico-Anatomicis Lib. 4. cap. 2. p.* 281. quales ſi à flatibus in duplicatura ejus interceptis oriantur, præter ſudorifera, oleis & emplaſtris valde diſſipantibus utitur *ibid.*

RUPTURAM OMENTI,

ex nimio vomitandi niſu & corporis ſuccuſſione, annotarunt *Miſcell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. VI. Obſ.* 73. quæ ut aliorum viſcerum crepatura eſt curanda, de qua alibi agemus.

PROLAPSUM EJUS

ſupra expedivimus, poſt quem ſi pars corrupta reſcindenda eſt, neceſſario prius vinculum parti remanenti injiciatur, ne hæmorrhagia lethalis ſuperveniat. Quam temerarium enim ſit abſque ligatura idem more Chirurgi imperiti in *Miſcell. Cur. Dec. 2. A. 6. Obſ.* 198. reſtituere, docet *D. Ioh. Maur. Hoffmannus* in *Diſq. C. H. Anatomico-Pathologica Specim. 2. §. 15. p.* 10. Licet enim

VUL-

VULNERA OMENTI

non semper per se absolutè lethalia sint: discissis tamen plurimis in eo vasis sanguiferis aliquando mortem necessariò sequi, è *Responso Fac. Med. Gissenæ supra* inserto videre licet. Conf. *Bohnius* in *Tr. de Renunciat. Vulner. pag.* 363.

OMENTUM penitus CONSUMPTUM

sæpissimè in cadaveribus phthisi, abscessu interno, aut hydrope denatorum reperiri solet, observante *willisio* in *Pathol. cerebr. c.* 9. *Boneto in Sepulchret. Lib.* 2. *Sect.* 7. *Obs.* 28. *Miscell. Nat. Dec. I. A. I. Obs.* 87. *Dec.* 2. *A.* 4 *Schol. ad Obs.* 73. *Dec.* 2. *A.* 6. *Obs.* 73. *Act. Hafn. Vol. II. Obs XV.* quod paucis abhinc annis in cadavere *D. Joh. Nic. Hertii*, JCti Giess. Celeberr. phthisi succumbentis occurrebat. An vero consumptio & defectus omenti morborum illorum productum & effectus, juxta vulgarem plurimorum sententiam, an potius illorum causa sit, res inquisitione digna est. Cum enim pinguedo in omento (juxta Modernos) multum ad humorum circulantium edulcorationem faciat, hinc eo deficiente facilè acriores fieri, sicque viscera atque vasa erodendo phthisin & hydropem inferre valent.

Quandoque tamen

OMENTUM JUSTO MAJUS

est, ita ut ob nimiam pinguedinem illic congestam facile XXXI. libras ponderaverit in *Misc. N. C. Dec.* 2. *Ann. X. Obs.* 175. unde dispnoeam *Bartoletus* apud *Rhodium Cent* 2. *Obs.* 24. & sterilitatem mulierum deducit *Hippocratis Sect. V. Aph.* 46. Posterius tamen perpetuum non esse exemplo Fœminæ Norimbergensis, stupendæ proceritatis & corpulentiæ, quotannis fermè concipientis ostendit Excell. *Hoffmannus Altorphinus l. c. p.* 23.

In Cura eadem conveniunt quæ in Corpulentia nimia laudantur, de qua *vid Pars I. hujus Praxeos. p.* 122.

§. 2.

§. 2.

Similiter res ſeſe habet cum

PANCREATE EXTUBERANTE ET EXSUPERANTE,

quale notavit *Tulpius Obſ. Med. Lib.*4. *c.*33. in juvene, in quo viſcus hoc à pure & pituita ſic infarctum erat, ut hujus pondere depreſſis venæ cavæ & arteriæ magnæ truncis emarcuerit æger. In Auguſto Thuano vero *Riolanus* in *Antropograph. Lib.* 2. *c. XIV.*

PANCREAS SCIRRHOSUM,

hepatis molem adæquans,invenit :, in quo tumorem ſteatomaticum duorum pugnorum magnitudine pariter obſervavit *Guil. Fabr. Hildan. Cent I. Obſ.* 71. Cui, ſis, adde

PANCREAS CANCROSUM

ab *Hertodto* in *Miſcell. N. C. Dec. I. Ann. I Obſ.* 99. annotatum: qui omnes affectus ut raro niſi poſt mortem innoteſcunt, ita neque curam admittunt. Unde hac vice nonnulla ſaltem

de

VULNERIBUS PANCREATIS

inſerenda erant, de quorum renunciatione aliquam inter Autores diſcrepantiam obſervo.

Sunt, qui eadem minus abſolutè lethalia eſſe cenſent, quos inter etiam eſt Celeb. *Bohnius*, qui in *Exam. Vuln. lethal. p.* 362. Pancreatis plagas non niſi arteriarum tranſeuntium ac perreptantinm occaſione mortiferas auguratur, quatenus hujus actio ſeu uſus non tantus eſt, quantum olim *Græffius* aliique venditabant. Aſt non ſine cauſa contradicit inclutus *Hoffmannus*, Prof. Altorphinus, qui in *Diſq. Anatomico-Patholog. Specim. VI. p.* 59 vulnera hujus partis ob profunditatem & medicamentis applicandis denegatam opportunitatem, ſucci pancreatici extravaſationem ac putredinis in glanduloſa laxiori ſubſtantia metuendæ periculum omnino pernicioſa pronunciat: poſtquam

in

in *idea machin. hum. Anatom. Physilogica p.* 43. demonstraverat viscus hoc ad vitam hominis omnino necessarium esse, nec absq; succi pancreatici admiscela chymificationis opus ritè absolvi, nec bilis acrimoniam noxiam demulceri.

Obj. quidem in canibus salva vita pancreas exstirpari posse, experimentis Cel. *Brunneri* circa pancreas habitis.

Ast sicut exstirpatio lienis non derogat ejusdem plagarum lethalitati, ut antè laudatus *Bohnius p.* 381. *c. l.* ostendit: ita idem & forte majori jure in vulneribus Pancreatis locum habebit, quia par parium est ratio. Insulse igitur ex his phænomenis vulnera horum viscerum majora & profundiora non esse lethalia concluditur: quatenus per vincula vasis primum ab Anatomico injecta inhibetur hæmorrhagia, quam ab ictibus fortuitis observamus. *Vid. c. l.*

§. 3.

In TUMORIBUS MESENTERII, ob texturam glandulosam ejus, in pueris cumprimis, ♂ alia: externè discutientia emplastr. ♂ atum & in malo contumaciari ☿ rialia laudantur, ad imitationem *Barbette*, qui in *Op. Chirurgico-Anat. Lib.* 4. *Cap.* 1. *p.* 382. *seq.* laudat:

Rec.	Gummi carann.
	ammon. aa. ℨi.
	☿ vivi tereb. extinct. ℥ß.
M. F.	Empl.

MESENTERII RUPTURÆ atque VULNERA vix adeo facile interficiunt, nisi vasa tam sanguifera, quàm lactifera majora, aut plura, vel & glandulæ majores, cum insigni chyli, lymphæ aut sanguinis profusione violentur, de de quibus legi omnino meretur sæpius allegatus *Bohn. c. l. p.* 356. 357. & 358.



CAPUT IV.

De AFFECTIBUS HEPATIS & VESICULÆ BILARIÆ

§. I.

Quamvis Hepar de throno ſanguificationis à *Thom. Bartholino* jamdudum ſit dejectum, ſitum tamen ſuum & locum naturalem uſquedum ſibi vindicavit integrum, nî à cauſis violentis inde detrudatur, ut à pauciſſimis hactenus obſervata

HEPATOCELE, ſ. HERNIA EPATICA

inde oriatur. Bina hujus exempla in puerulis recens natis occurrunt in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Curioſorum*: alterum in *Dec. I, Ann. II. Obſ. 88. p. 162.* Viennæ: alterum in *Dec. II. Anno VII. Obſ. VI. p. 11.* Stutgardiæ obſervata, in quibus utrobique ob plagas Gravidis inflictas epar ad umbilicum prociderat ibique tumorem excitaverat, unde ſectione poſt obitum inſtituta comparuit. *Barbette* tamen idem contingere poſſe aſſerit, ſi ligamenta hepatis ſuſpenſoria, diaphragmati atque cartilagini enſiformi id connectentia, in tantum ſæpius relaxantur, ut hepar ad umbilici regionem deſcendat.

Pro curando hoc vitio ſeq. commendat emplaſtrum:

Rec. Rad. biſtort. ℥iii.
Bol. Armen. ʒii.
Sem. cumin. ʒi.
Gum. Galban. ℥i.
☍ Nuciſt. expr. ʒi.
M. F. Emplaſtrum.

Præ-

§. 2.

Præthereà INFLAMMATIONI ſæpe obnoxium eſt hoc viſcus, quam ex medicamentorum calidorum adhibitione & quammaximè ex applicatione cucurbitularum ad regionem hepatis, in hæmorrhagia narium vulgo Chirurgorum familiarem, ortam fuiſſe *G. F. Hildanus Obſ. Chirurg. Cent. II. Obſ. 46. & 47.* annotavit.

In Cura, præmiſſis internis & interpoſitis clyſteribus, externè regionem hepatis ſeqq. illinivit:

Rec. ℴ roſ.
myrtill. aa. ℥ii.
abſinth. ℥ß
Santali rubr. & ſubtiliſſ. pulveriſ. ʒii.
Camph. ℈ß.
Acet. roſ. parum. M.

§. 3.

Quodſi fors in

SCIRRHUM

abeat, internè laxantia & aperientia, cumprimis ♂ alia, acidulæ & ſimilia: Externe verò emplaſtrum de cicutâ, ad imitationem antea laudati *Hildan. in c. l. Obſ. XLIX. pag. 121.* applicari poſſunt.

Vel

Rec. Gummi galban.
ammon.
opopon. ana ℥i.
Flor. ♀
Myrrh. rubr. aa. ℥ß.
Camph. ʒi.
ℴ lil. alb.
Axung. anat. aa. ʒvi.
Cer. q. ſ.
M. F. Emplaſtrum

Vid. *Barbette Opera Chirurgico-Anatom. Part. 2. Cap. V. p. 115.*

§. 4.

In ULCERE HEPATIS cum *Hieronymo Capivaccio, lib. 3. Pract. c. 3. Marcus Aurelius Severinus Chirurg. Efficac. Part. II. C. VIII.* approbare videtur Medici cujusdam Veneti curationem, qui præter reliquorum Medicorum consilium partem abdominis in regione hepatis novaculis aperiit, unde plurimo puris effluente & abhinc solitis balsamicis curato vulnere homo non superstes tantum mansit, sed & triennio post saltare & laborare potuit, nihil sentiens incommodi. In ulceribus verò late & profunde serpentibus, phagedænicis, cancrosis, aut gangrænosis nullam salutis recuperandæ spem superesse Celeb. *Hoffmannus Altorphinus in Disquis. C. H. Anatomico-Pathologicis, Specim. VI.* §. *13. p. 63.* in scriptis reliquit.

§. 5.

VULNERA HEPATIS Nobiliss. *Schelhammerus* in *Miscellan. Nat. Cur. Dec. 2. Anno. V. Obs. 9. p. 18.* ita dijudicat, ut ea, quæ vasa majora attingunt, ob hæmorrhagiam incompescibilem, periculosissima: quæ verò parenchyma & vasa non adeo magna feriunt, periculo vacare asserat, cum parenchyma pulmonum (quod tamen in perpetuo motu magnisque arteriis refertum longè plus difficultatis habet) coire notum sit, hepate è contra quieto & præter paucas & exiguas arterias venis tantum plurimis gaudente. Econtra *Bohnius* in *Exam. Vuln. Lethal. p. 372.* nullum hepatis vulnus, quod cum multi sanguinis emanatione, hinc vasis sive unius, sive plurimorum minorum, ejus compagi undique intextorum, laceratione, vel pathematis irresistibilibus evenit, salutare dici posse asserit; & licet antea laudatus *Schelhammerus c. l.* casum vulneris hepatici sanati referat, attamen *Hoffmannus* Noricus *c. l.* in contrarium bina lethalia statim reponit & aliorum curationem aut viæ ad medicamentorum congruorum applicationem patefactæ, aut læsioni superficiariæ, aut casibus fortuitis adscribit. Unde tandem illud remanet, superficiaria non tam pro simpliciter & per se, sed per accidens lethalibus: profundiora autem pro absolutè lethalibus habenda

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.



da esse, prout utrumque Casibus & Responsis in *Pandect. Medico-Legalibus Part. 2. sect. 4. p. 381.* ostendimus.

§. 6.

Cur VESICULÆ BILARIÆ VULNERA & RUPTURÆ pro lethalibus habenda sint, vid. *Bohnius l. c. p. 373. & sequentibus.* Hâc vice tantum paucissimis observatam

INVAGINATIONEM s. INTRORECEPTIONEM DUCTUS CHOLEDOCHI,

(unde icterum quandoque oriri *Carolus Drelincurtius* in *Colleg. Pract. Msc.* olim docuit) contemplabimur, quam ex *Jobi à Meeckeren Obs. Medico-Chirurgicis p. 200.* hic in *Fig.* 3. Tab. X. ob oculos ponimus, in quâ

Lit. A. Vesica est bilaria.
B. Intestinum duodenum.
C. Intus susceptio ductûs choledochi.
D. Ductus bilarius hepaticus.
E. Vena portæ.
F. Arteria aorta.
G. Nervus hepaticus.
H. Vena umbilicalis.

Quodsi ergo medicamentis anticachecticis & ictericis nihil juvantibus hujus introreceptionis suspicio adsit, tentandum esset, annon vomitoriis & frictionibus externis ejus evaginatio promoveri possit, quæ in intestino ileo alias globulis plumbeis, aut ☿ tentari solet.



CAPUT V.
DE
AFFECTIBUS LIENIS.

Quum SCIRRHORUM LIENALIUM curationem in *Medicinæ Nov-Antiq. Parte Chirurg. Cap. 6. §. 7.* judicium autem

De

VULNERIBUS LIENIS

in *Pandectis Medico-Legalibus Part. II. Sect. IV. §. 3. p. 381.* jam dedimus; cum his quoque

RUPTURA LIENIS

magnam affinitatem habeat; hinc, prout hæc in disputatione quadam graduali, sub Præsidio *Dn. D. Eyselii*, Anat. & Chir. Prof. Erfordiensis, occasione CASUS cujusdam Clinici, publicè circa finem superioris seculi ventilata fuit, in gratiam Exterorum heic subjungere liceat.

HISTORIA.

Annus jam volvitur octavus, cum Annæburgi, oppido non procul à Wittenberga dissiti, sectione fœminæ violentâ & subitaneâ morte peremptæ interessem. Ea videbatur primum è læsionibus capitis extincta; nullibi enim nisi in hoc plagæ & vulnera reperiebantur. Eodem tamen apertô, causa tàm subitaneæ mortis apparebat nulla; hinc meritò reliqui inspiciendi erant ventres, licet nullibi ne quidem sugillationis vestigium compareret, prætérquam quod abdomen insigniter turgeret. Hoc igitur, ut etiam de suspicione

ſpicione ingravidationis conſtaret, aperiebatur, & ecce totum ſanguine extravaſato, ſed prorſus fluido ſcatebat, cujus extravaſationis originem inquirendo, reperiebatur Lien in multas partes totaliter disruptus & quaſi laceratus, ut etiam tranſitus digitis ubivis pateret: nondum tamen adeò gravis læſionis cauſa apparebat ibidem. Reliqua enim abdominis ſalva erant & prorſus illæſa; ſed remoto ſterno occurrebat coſta ſexta lateris introrſum fracta, unde à forti percusſione rupturam iſtam viſceris vicini inductam eſſe, demum conſtabat. Eventus quidem inſecutus ipſemet teſtabatur de lethali prorſus læſione; interim tamen operæ me pretium factu-rum credidi, ſi in ejusmodi rupturas inſolitas viſcerum & præcipuè Lienis, à quibus nimirum cauſis oriri, quomodo dignoſci, & utrum aliquando curari vel præcaveri quocunque modo poſſint, aliquantisper inquirerem. Faxit DEUS feliciter!

RESOLUTIO.

§. I.

Patet ultro, quod læſio præſens lienis ad morbos unitatis ſolutæ, vel ſolutionis in unitate pertineat. Erat enim Ruptura, diviſio & dilaceratio viſceris membranoſi, ſpongioſi, fibroſi & glanduloſi, eaque ab objecto extrinſeco & violento inducta.

Ea eſt conditio partium omnium mollium ab oſſeis & cartilaginoſis peculiaris, quod à rebus quibuscunque diſtendentibus nimium, aut contundentibus, ſi cedere iisdem amplius nequeunt, rumpantur, dilacerentur, duriora verò frangantur. Nec erat ruptura exigua aut fiſſura ſolùm, ſed dilaceratio in multas partes, tantos hiatus, ut duorum, imò trium digitorum tranſitum permitterent. Vidit *Tulpius L. 11. Obſ. 29.* Lienem quoque diſruptum, ſed tantum in concava ejusdem parte. In fœmina Lignizenſi baculo extincta Lien oſtendebat fiſſuras tantùm in gibba: Et in alio Lüzenſi in cava parte, referente *Excell. Bohnio de Lethal. Vulner.*

Con-

§. 2.

Contingit ergo læsio tanta Lieni potissimum, organo, si ullum aliud, ad rupturas tales aptissimo, ut mirari sæpius jubeat, quare non frequentius observentur à Medicis, præter illas, quas videre licet apud *Tulpium L. 2. Obs. 29. Fontanum in Vesalii Epit. p. 21. & Excell. Bohnium in Lethal. Vuln. Exam.* Nec dubito similes etiam in Hepate, Lieni quoad substantiam & texturam, analogo, fieri interdum, licet hactenus nulla exempla audiverim, præter quod *Glissonius* aliquando in gibba quorundam jecinorum parte rimas & hiatus viderit, uti meminit in *Anat. Hepat. Cap. XI.* Vesiculæ tamen felleæ rupturam observarunt *Salmuth. Cent. 1. Obs. 3. Bertinus L. 12. Cap. 14. Benivenius Cap. 110. & Frid. Hoffmann. Meth. Med. L. 1. cap. 20.* Reliqua autem viscera e. g. Ventriculum, intestina, vesicam urinariam &c. ab hoc periculo vindicat substantia magis membranoso-musculosa, utpote quæ texturâ fibrarum solidiore, densiore, etiam fortissimis distensionibus & contractionibus sufficiunt, indeque motibus animalibus perpetuis vacant. Evenit certè non rarò, quod ventriculi & diaphragmatis regio gravissimè percutiatur, adeò, ut etiam subitò extinguantur læsi, uti videre licet apud *Schenck. L. 3. Obs. 128. Bohn. l. c.* nunquam tamen ventriculi aut intestinorum ruptura fuit observata absque præcedente erosione, vel vulneratione, qualis contigit puellæ *apud Fernel. Barthol. L. 5. c. 9.* Neque exinde vesicam urinariam à retenta urina vel etiam ictu facile rumpi posse credo, licet in vulgus perhibeatur. Judicant etiam periti, vesicam urina nimis distentam & in sublatione oneris gravioris, casu ab alto, vel contusione violenta diffringi & rumpi posse, sed deficiunt hactenus exempla in hominibus notata. In bove quôdam saginationi destinato eandem disruptam esse scripsit *Ledelius ad Ephem. Collect.* Posito, quod præ intempestivo pudore urinam diutius retineant, & sibi exitium accersant, id non statim rupturæ vesicæ adscribendum videtur.

§. 3. At

§. III.

Aliter res se habet cum partibus corporis tenerioribus, membranis, fibrillis & vasculis membranosis, quæ sæpius etiam levi injuria rumpuntur, indeque etiam non semper cum vitæ periculo. Quoties rumpuntur peritonæum in herniis, ligamenta in prolapsu uteri, vel intestini recti, vasa lymphatica vel lactea in hydrope, sanguinea in casu ab alto &c. de quibus exempla collecta vid. apud *Bonet. in Sepulchret.* Ipsam venam Cavam in quodam, qui ex alto lapsus, ruptam refert *Jacobus Sylvius Observationib.* in variis corporibus secandis.

§. IV.

Sed mirari etiam quis posset, cur viscus Lienis molle, fungosum & pendulum tam facile rumpatur, cur non potius ictui cesserit; nisi ejusdem structura, figura, situs & connexio accuratius respiciantur. Licet enim non sit viscus parenchymaticum, e sanguine concreto & vasis tantum circumfuso generatum, uti Veteribus videbatur, tamen propter texturam merè fibrosam, vesiculosam & glandulosam injuriis ejusmodi sufferendis nullo modo par esse apparebit. Constat certè totum Lienis corpus fibris & filamentis tenuissimis minus concavis, neque ab arteriis, venis, aut nervis, sed ipsa interiori tunica propagatis, identidem ubi per transversum & longitudinem occurrentibus mirè inter se instar retis complicatis & circa membranas quoque bifurcatis, quæ à rupturis nullibi sunt immunes.

§. V.

His fibrillis cohærent & veluti apum favi interponuntur cellulæ membranosæ atque tenuissimæ angulosæ, à tunica interiore visceris productæ & expansæ, indeque ruptioni oppidò obnoxiæ, uti manifestè videre licet, quando injectâ per arterias aquâ sanguis probè eluitur, dehinc ligatâ venâ per arteriam inflatur & exsiccatur.

§. VI.

Quid dicam de arteriis & venis innumeris per membranas

 & ve-

& vesiculas ubivis disseminatis & contextis: Triplici vel etiam quadruplici & pluribus ramis insignioribus Arteria ingreditur in homine Lienem, qui productis hinc inde surculis numerosissimis, ad modum ferè caudæ equinæ, partim intra tunicas visceris, partim intra glandulas mox notandas absumuntur & terminantur. Hos comitantur præterea tot tubuli Venarum, in Liene præ cæteris ampliores, quoad tunicam tamen ibidem simplicem tenues admodum. Notatu enim hic valdè dignum est, tunicam exteriorem & crassiorem venarum prope ingressum Lienis statim in ipso limine abire in tunicam ejus interiorem, quæ vasorum involucrum efficit, altera interna & tenuiore ramificationibus solùm relicta. Taceo nervos & vasa lymphatica in Liene exoriunda, de quibus quidem dubitarunt *Glissonius Anat. Hepat. Charleton Oecon. Animal. pag.* 191. *Warthonus in Adenograph. & alii*: Eadem tamen nunc evincunt satis autopsiæ in brutis, præcipuè quando canes per aliquot dies sola aquâ nutriuntur, dehinc suffocantur, & vasa sanguinea, circa Lienem, citò ligantur, de quo uberius legatur *Frid. Ruysch de Vasis Lymphat. Diemerbrock Anat. cap. de Liene, Sylvius* Disput. *Med. V. Bohn. Circul. Anat. pag.* 192. *Rivinus Disput. de Vitæ Agrest. sanitate.*

§. VII.

Sed his omnibus vasculis, præcipuè nervis, forsan arctius cohæreret & ab injuriis ejusmodi extrinsecis se defenderet Lien, nisi circa eorum, præcipue arteriolarum, fines aspergerentur corpuscula nova, rara, laxa, fungosa & friabilia, quæ Veteribus etiam propter mollitiem & friabilitatem sub specie sanguinis congrumati imponebant: Glandulæ nimirum conglomeratæ & vesiculares per universam visceris compagem dispersæ, & uvæ quasi botrum æmulantes, prout easdem primum observavit *Curiosissimus Malpighius de structura Viscerum & Warthonus in Adenograph.* Nunc verò cuivis Anatomico facilè patent, non solum in corporibus morbosis ex obstructionibus Lienis defunctis, sed etiam in belluis, canibus, ovibus, bovibus, sola visceris dilaceratione, vel, quod

curio

curiosius, artificiosa prius eluitione. *Conferatur Excell. Bohn. in Circul. Anat. & Blancard. in Anat. Reform.*

§. VIII.

Eum propterea in finem Conditoris sapientissimi solertia visceri tam nobili & fragili tamen prospexit insuper duplici membranâ: Exteriore satis validâ, à peritonæo propagata quæ veluti marsupio communiter totum viscus comprehendit: Et interiore, longè tenuiore & rara, quæ etiam aërem per vasa inspiratum facilè transmittit, imò ab eodem rumpitur; multò minus ullo modo resistere poterat ictui, modò extrinseca membrana gravius fuerit læsa.

§. IX.

His accedit figura Lienis oblonga, interius sima, exterius verò, qua costas spectat, gibbosa, & in Homine inprimis, secus ac in ullo alio animali, crassa, oblonga & rara. Hinc graviter percussa parte gibbosa, non potest, quin à parte concava recedat & cedendo nimium, propter figuram oblongam graciliorem, transversim potissimum rumpatur, uti in nostra observavimus; si figuram obtinuisset undique rotundam, felicius procul dubio percussionibus resistere valeret.

§. X.

Eo præterea loco situs est Lien, ut injuriis ejusmodi externis resistere haud queat; hæret enim in Hypochrondrio sinistro, immediatè sub costis, ibidemque quoad partem gibbosam cohæret diaphragmati & reni sinistro, quoad concavam omento & ventriculo: Ex quo fieri nequit, quin percussis, imò fractis, in ea regione costis viscus subjacens, & propter connexionem cedere nesciens, graviter lædatur, quod æque forsan pulmonibus & ventriculo contingeret, si eodem modo cohærerent, percussis sæpius eorum regionibus; de quibus tamen nullibi inter tot observationes reperire hactenus licuit exemplum.

§. XI.

Gravissima autem facta hic erat percussio, adeò, ut etiam

costa sexta prorsus tracta videretur, eaque securi, (utrum verò acuta vel obtusa ejusdem parte, propter absentiam latronis ignoratur) utraque tamen parte fieri potuit contusio tanta, ut primum costa & dehinc subjacens viscus oblongum, laxum, & friabile diffringerentur. Sic Adolescens ille quatuordecim annorum, *apud Tulpium*, tantùm per jocum & inter ludicra puerilia ab alio procul dubio puero minus robusto scipione fuit percussus, nihilo secius cum lethali Lienis ruptura; Et *Maritus* ille *Lignizensis*, cujus meminit *Excell. Bohn. de Vulner. Lethal.* tantùm baculo mediocri uxoris Hypochondrium sinistrum percusserat, quæ tamen post horulam extinguebatur. Ita enim evenire necesse est, ut corpora quæcunque etiam duriora si fortiter percutiantur, & resistere vel cedere ad minimum nequeant, frangantur, uti in fracturis cranii, crurum, aliisque toto die observatur.

§. XII.

Eandem rupturam adjuvare potuit turgescentia visceris à sanguine & spiritibus. Erat enim occisa aliàs mediæ ætatis, plethorica & virago, in qua Lienem, propter infinita vascula sanguinea & compagem cellularum sanguine arterioso & spirituoso turgescere oportuit, idque præcipuè post cœnam & inter dormiendum, tempore digestionis universalis, quô percussor miseram nostram trucidaverat. Patet ejusmodi turgescentia evidentissimè, quando canibus, ligatis licet arteriis & venis, Lien extirpatur & sanguis cum admiratione erumpit floridus ac spirituosissimus.

§. XIII.

In aliis subjectis casu occurrere potest tumor ipsius visceris, obstructionibus & flatibus in vesiculis collectis & inclusis. Quando nimirum Lienem duriorem, scirrhosum, vel flatibus solùm turgidum inclementius comprimi contigerit, idemque sive propter duritiem, sive solùm flatus incarceratos cedere nullatenus queat, necessum est, ut per se & propter flatus compressos disrumpatur, ubicunque flatibus erumpendi spatium datur. Docent id hodiè expe-

experimenta Physica, ubi aër arctius quàm par est, corporibus etiam solidissimis inclusus & incarceratus, eadem tamen beneficio elasticitatis suæ rumpit & diffringit, quandocunque erumpendi ansa datur, qualia plurima *vid. in Colleg. Experim. Excell. DD. Vateri* e.g quando hoc modo rumpuntur sæpius vitra ▽. repleta, marmora aliaque, quando superveniente frigore pori liquorum condensantur & aër arctius includitur: Quando vitra anaclastica ab incluso aëre in pulverem minutissimum rediguntur, si fractâ solùm extremitate aëri exitus datur. Ex quo fundamento *Petterus Oenopola Amstelodamensis* vitra plurima solâ voce sonora rumpere notat, de quo legatur *Morhoffius* de scypho vitreo per sonum fractô.

§. XIV.

Et hanc eruptionem conglomerati aëris præcipuam causam esse dixerim, quod percussus licet extrinsecus Lien, non tamen in parte gibbosa, sed sima potissimum & frequentius rumpatur, uti contigit puero illi & textori apud *Tulpium*: Illique, cujus mentionem ante è *Bohnio* fecimus, quando extrinsecus percutitur Hypochondrium, necessariò subjacens commovetur aër fortius ad interiora, maximè autem visceri ipsi inclusus, idque quando inter tot anfractus exitum tàm subitò invenire nequit, quàm facillimè interiora dilacerat.

§. XV.

Ex his omnibus verò cuivis satis patere arbitror, quam ridenda, imô prorsus detestanda fuerit cura Empirici cujusdam apud *Hieronym. Fab. ab Aquapendent. Operat. Chirurg.* qui Lienes à scirrho induratos malleo percuti jussit; quam tamen Eques quidam Melitensis, referente *Boneto in Sepulchret. L.* 3. *s.* 17. *Obs.* 18. passus est hoc modo institutam: Extenso nimirum ægro in mensa chartâque mundâ Lieni appositâ securis aptabatur subtilissima acie prædita, quæ totis viribus bis terve percutiebatur, quousque ab ictu dolor maximus percipiebatur, & charta illæsa permanente scirrhus, in duas partes diffissus, tactu percipiebatur: quam

etiam *Hercules Saxonia Prælect. Pract. p.2. cap.* 28. celebravit, ſed meliori jure exploſerunt *Cardanus L.* 8. *de varietate rerum cap.* 44. *Maſſar. L.* 5. *Pract. c.* 17. *&* *Riolanus L.* 2. *Enchirid. Anatom. c.*26. Quantò enim fragilius durum eſt molli, tantò facilius hac ratione dilacerabitur Lien ſcirrhoſus, aliàs per naturam friabilis, cum fatali prorſus eventu, quem à Medico cauſari impium & damnoſum eſt.

§. XVI.

Sed notatu valdè dignum, quod regio Hypochondrii ſiniſtri in noſtra occiſa, licet tàm graviter percuſſa, utut coſta ſubjacens frangeretur, quoad integumenta prorſus tamen illæſa manſerit, quale quidem etiam *Tulpius* & *Fallopius* obſervarunt locis citatis: proculdubio, quia cutis & muſculi meris fibris mirificè contextis & glutine quodam irrigatis conſtant, quæ ubivis cedere ac recidere poſſunt, ſecus ac viſcera ejuſmodi fungoſa, friabilia: Unde etiam Pulmones, Ventriculum, Inteſtina, Uterum, &c. licet eodem modo graviter percutiantur ſæpius, nunquam autem diſrumpi antea obſervavimus.

§. XVII.

Quod autem ſanguis iſte copioſus in abdomine reperiundus, tàm fluidus nec grumoſus fuerit, id copiæ potiſſimum lymphæ, quam ruptis ſimul tot vaſis lymphaticis Lienis & vicinarum partium extravaſari neceſſum fuit, tribuendum arbitror. Erat aliàs plethorica, vel potius phlegmatica, uti poſt mortem videbatur; cui accedit, quod ſanguis è Liene vulnerato erumpens communiter dilutior reperiatur, non quod ſcoriæ ibidem melancholicæ ſanguineæ ſecernantur, (nullus enim locus ibidem ſecretionis vel collectionis reperitur) ſed quod ſpiritibus animalibus, per nervos copioſiſſimos eò corrivatis, largiſſimè perfundatur & reſolvatur.

§. XIIX.

Atque larga hæc optimi & ſpirituoſiſſimi ſanguinis extravaſatio etiam cauſa mortis præcipua fuit. Conſiſtit nempè vita no-

ſtra fundamenraliter & radicaliter in ſanguine, unde unicè & proximè aura ſeu ſpiritus vitalis, author & director omnium motionum vitalium, reſtituitur & redintegratur continuò. Hoc igitur ceu fonte deſtructo vel ſublato, tollitur neceſſariò omnis vita; & abſque hoc pabulo & fomite ne momentum quidem durare poteſt flammula vitalis. Refert *Bonetus in Sepulch. pag*, 1626. quod in Italia verberibus ad necem usque cedantur quidam, quos quartâ demum die & abſque notis mortis extrinſecis perire volunt nefarii; idque ſequ. modo; Utuntur, inquit, ſacculis in tucetorum aut hillarum formam effictis, arena refertis, quibus in numerum artus, & truncum repetitis ictibus feriunt, certo dimenſo, eo modô exceptus vix dolorem aliquem percipit, ſed liberatus, laſſitudinis ſenſum percipit, eaque die & poſtera ὀρθοστάδιος eſt, tertia fit Clinicus & quarta extinguitur! Quod ſi fiat, procul dubio ſanguinis extravaſationi tribuendum venit, quando crebris ejuſmodi ictibus inſtrumento elaſtico inductis, non tam cutis quam viſcerum interiorum venulæ rumpuntur, indeque ſanguinis circulus prorſus turbatur. Novi quidem, quod graviores regionis Epigaſtricæ & Hypochondriorum percuſſiones etiam citra rupturam aliquam & hæmorrhagiam mortem intulerint ſubitaneam, quatenus vehementi concuſſione ſeptum nervoſum & nervi Hypochondriorum compreſſi & irritati in ſpaſmos rediguntur, per quos Reſpiratio ſubitò intercipitur, & ſi aliquantiſper durat, hominem è vivis tollit, uti videre eſt apud *Bohn. de lethal. vulner.* Ejuſdem tamen mortis in noſtra nullum reperire potuimus indicium.

§. XIX.

Sed nunc etiam diſquirendum erat, quibus ſignis ejuſmodi ruptura Lienis, etiamſi non ſemper adeò enormis, & in vivis adhuc cognoſci poſſit, ut Cura, ſi quæ locum habeat, eò citius & tutius adminiſtrari queat: Ea verò, uti in aliis ſi non infallibiliter, ſatis tamen probabiliter colligi poterunt ex Antecedentibus, Concomitantibus & Conſequentibus. Requiritur ſanè ad rupturam gravis

aliqua

aliqua contusio vel percussio, quocunque etiam instrumento & in ipsa regione Lienis; cujus deinde suspicionem auget, si latere minus vestito & aperto, vel etiam inclinato ictus recipitur, tanto enim gravius viscus tùm lædi necesse est. Ita Lienem in ipsa inspiratione hominis percussum eò magis rumpi credo, quò magis tùm temporis exteriora versus adigitur, & spiritibus turget. Si læsus adhuc vitâ & sensibus gaudet, indicabit insignem dolorem intimius à plaga perceptum; Et subsequenter statim virium lapsus, animi deliquia, sensus gravativus in inguinibus, fluctuatio sanguinis effusi, & quæ plura alia à Medico perito oppidò discernenda.

§. XX.

Disquisitione potius dignum, utrum vulnera ejusmodi Lienis lethalia eaque simpliciter & absolutè talia sint? Negativam suadere possem, quod viscere hôc, tanquam ignobiliori & ad vitam minus necessario, animal facile carere possit. Vidi aliquoties extirpationes Lienis ab *Excell. D. Vatero*, Præceptore meo æternum colendo, in canibus felicissimè institutas, cujus & ego plus vice simplici experimenta feci absque jactura virium vel actionum quarumcunque, præter quod communiter alvus in iis non ritè succederet & excrementa sæpius pultacea, albescentia excernerent; procul dubio propter bilis inertiam, quam in Liene potissimum præparari & in Hepate tantùm secerni jam tùm indicarunt *Malpighius, Glissonius, Bohnius & alii*; & nos in canibus istis pallidam semper & aquosam deprehendimus. Talem excisionem Lienis etiam in homine succedere posse salva vita, præter Veteres, *Plinium Histor. Natur. L. 11. c. 37. Paracels. T. 3. part. 9. Leonhard. Fioravantam, Kousssetum & alios*, etiam Recentiores perhibent, uti videre licet *in Ephem. Germ. Ann. 3. obs. 195. & ex iis apud Bonet. in Med. Septentr. P. 1. L. 3. Sect. 20. c. 12. it. P. 2. p. 489.* Quorum tamen fidem suspectam reddere conatur *Diemerbroeckius, Highmorus, Conringius, Knoblochius & alii*, objicientes nobilissimum visceris hujus usum, copiosissima & insignia vasa sanguinea, lymphatica, nervorum plexus,

plexus, ſitum profundum, & arctiorem cum vicinis partibus connexionem.

§. XXII.

Nos uti extirpationem talem in homine ſummè quidem periculoſam & minus tutam eſſe concedimus facile, ita tamen non abſolutè impoſſibilem judicamus, non tam exemplis, quàm rationibus perſuaſi; eundem enim in brutis nobiliſſimum uſum, eadem vaſa ſanguinea, lymphatica & nervoſa, easdemque ferè connexiones Lien habet, quem tamen nihiloſecius iisdem eximi ſine vitæ excidio poſſe, nullum amplius dubium. Propterea autem ab exciſione eâque artificiali & provida ad rupturam ejusmodi fortuitam & profundam non licebit concludere. Ibidem antecedunt curioſisſimæ vaſorum ligaturæ, ſeparationes circumſpectæ, aliæque cautelæ, quæ in rupturis ejusmodi profundis nullo modo locum invenire queunt, indeque citra omne dubium pro ſimpliciter & abſolutè lethalibus reputanda. Non apparet, quomodo eô caſu ſanguinis extravaſatio tàm ſubitanea impediri, vulnus conſolidari, aut vaſa ſolùm ligari, aliaque funeſta ſymptomata præcaveri poſſint. Caſu vulnerans Lienem non præmeditatur certè ligaturam vaſorum præparatoriam, neque ab adſtantibus ipſis Chirurgis præſtari poterit. Ideò omnium vaſorum & ramorum ſanguineorum eximiorum, arteriæ magnæ, venæ cavæ, venæ portæ ipſarumque ramorum: Splenici, Hepatici, Meſenterici, Cœliacorum, Iliacorum, Emulgentium & ſimilium vulnera ſimpliciter & abſolutè lethalia ſunt; cum vaſa hæc ima corporis occupent, ac profluentem proinde ex ipſorum vulnere ſanguinem inhibere nec artis, nec manus dexteritas, nec doctum ſufficiat conſilium: multò magis ſi ejusmodi vaſa in ipſis viſceribus ſimul vulnerantur. Nullibi *Galenus* vel alii alias Curioſi Obſervatores abſciſſum vel ſolum graviter ſauciatum Hepatis lobum ſanatum fuiſſe docent. Illi qui jaculo immiſſo vulnerabatur, priusquam concio dimitteretur, vel ubi forum adhuc frequens erat, moriebatur apud *Hippocratem 5. Epidem. Tb. 61.* portiuncula procul dubio minima Hepatis fuit

abſciſſa, quam féliciter ſanatam obſervavit *Fabr. Hildanus in Helvetio*, qui tamen paulo poſt febre continua correptus interiit. Ubi verò jecinoris Portæ i. e. Vaſa majora percuſſa ſunt, impoſſibile eſt ægrum ſervari poſſe, cum ſanguis ob loci incommoditatem nec ſiſti, nec vulnus ob læſionum complicationem tractari queat debitè, nihilque propterea reſiſtat, quàm ut præter remedia applicandi impoſſibilitatem, vomitus ac dejectiones cruentas, deperditis cum ſanguine viribus, ipſa brevi exſpiret anima, uti loquitur *Latinus Hippocrates, Celſus.* Idem prorſus judicium erit de vulneribus Lienis, Hepati quoad ſubſtantiam, ſtructuram & functiones prorſus analogi, cujus quidem rariores extant obſervationes.

§. XXIII.

Dixi verò notanter, quod præſens Lienis ruptura propter vaſorum ſanguineorum & his continuatarum cellularum læſionem, indeque funeſtas & incompeſcibiles hæmorrhagias æque ac in Hepate & aliis viſceribus ſimpliciter & abſolutè lethalis fuerit. Alias nullum eſt dubium, quod etiam hujus viſceris vulnera interdum ſolùm per accidens vel utplurimum lethalia, aut ſolùm inſanabilia ſint. Fieri enim poteſt, ut Lien ſolùm ſuperficietenus citra vaſorum vel veſicularum majorum læſiones vulneretur, ubi certè non ſemper vitam periclitari conſtat; quale forſan illud Lienis vulnus in Milite fuit, quod tàm feliciter curabat *Carpus*, cujus curandi rationem quoque expoſuit *Foreſtus L. 6. Obſerv. Chirurg. Obſ. 6.* Hâc ratione etiam Hepatis portiunculam prorſus abſciſſam ſanatam fuiſſe obſervavimus antea; unde non inepte *Gliſſonius Anat. Hepat. c. 9. Vulnera, inquit, ſi cæſim infligantur, vix fieri poteſt, quin vaſa lædantur: ſin punctim fiant, poterunt vaſa fortuitò evadere.* Sunt quidem neceſſario vulnera illa mortifera, maximè quæ vaſa pariter & parenchyma (potius veſiculas) diſcindunt, illa tamen periculo quoque haud carent, à quibus parenchyma ſolùm læditur: ſanguis enim ad ea loca affluens impurus eſt & bili commixtus, nec facilè evacuari poteſt; vel, ſi id contingat, partes tamen ab invicem disjun-

disjunctæ, (friabiles cum sint, glutineque illo careant, quo aliæ partes denuo facile coalescunt) ægrè admodum consolidantur. Omnes ergo contusiones, rupturæ & vulnera Lienis, uti & Hepatis, viscerum analogorum, sunt periculosa plus minus, vel lethalia prorsus, quale nostrum fuit.

§. XXIV.

Pro diversitate harum circumstantiarum etiam eventus erit varius. Si nudæ contusiones absque ruptura vasculi vel vesiculæ sanguinis & reliquorum humorum, transitus erit difficilior, vel prorsus impeditus, unde necessario stagnatio sanguinis, inflammatio, febris, ejusdem symptomata, præcipue tussis & vomitus; vel si longius protrahitur, erosio vesicularum à stagnante sero & sanguine indeque ulceratio sequuntur, & spes omnis conclamata. Sin verò contingat ut in subjectis Phlegmaticis & Melancholicis glandulæ magis comprimantur, etiam citra inflammationem, restitabit serum & sanguis, unde viscus successivè indurescit, & nisi resolvatur prudenter, in Cachexiam, Atrophiam, & Hydropem incurabilem desinit. Ubi simul tunicæ & vascula exiliora læduntur, sanguis & lympha necessario exstillant, & nisi Artis naturæque ope consolidetur statim vulnus, non solum visceris ipsius, sed etiam vicinarum partium, imò inguinum, quô decumbit ichor putrescens, corruptionem insanabilem, & ex hac oriunda symptomata innumera relinquunt. Ruptis verò vasorum propaginibus insignioribus non potest non, quin sanguis ubivis confertim erumpat, atque subactis adeo omnibus spiritibus inter Lipothymias subitò extinguatur læsus, uti miseræ nostræ contigisse observavimus.

§. XXV.

His omnibus suppositis & cognitis judicare quoque facile erit de tempore eventus. In simpliciter lethalibus enim vita communiter vix ad aliquot horas conservari potest, rarius aliquot dies supervivunt, quod tamen non impossibilè si forsan vulneris labia angustiora sint, aut casu, vel quocunque

adminiculo subsideant, & extravasatio sanguinis aliquantisper supprimatur. Ita vulnera ipsius cordis ventriculos penetrantia nihilo secius vitam aliquamdiu superstitem esse sinunt. *Tulpius obs. L. II. c. 8.* habet exemplum occisi cujusdam, qui biduum vixit post evidens vulnus inflictum cordi, diaphragmati, ventriculo & hepati. *Bonetus* quendam, cui quaternis ex bombarda globulis quidam medium Cor trajecerat, ad quintum diem supervixisse vidit, uti refert in *Sepulchret. p.* 1609. Alium, cui cordis ventriculus dexter cultro transfossus, non solùm ex suburbio pedibus domum, sed etiam per quinque dies vixisse refert *Thom. Bartholinus Histor. 77. Cent. I.* Sed quod magis mireris: Alios æque gravissimè vulnerato & lacerato corde ad septimum, nonum, imò decimum septimum diem protraxisse testatur *Bonet l. c.* Cum tamen creditum aliàs semper fuerit, non posse quenquam vulneratis cordis ventriculis ad unius horulæ momentum vitam producere, quod etiam absolutæ veritatis esset, nisi sanguinis, tanquam vitæ fontis, effusio quocunque adminiculo interdum coërceretur. Sed in istis exemplis modò augustia vel obliquitas vulneris, modò pericardium adhærens, modò grumi sanguinis interpositi, modò alia moram quandam ejusdem fecerunt, uti ex observationibus istis colligere licet. Idem fieri potest circa Lienis vulnera, licet absolutè lethalia. Cor quidem vulneratum propter musculosam substantiam promptius ac Lien se contrahere, sed è contrario continuis etiam motibus peristalticis vulnus rursus dilatare potest. Reliquæ verò minus lethales læsiones non habent certos terminos, sed pro diversitate vulnerum & symptomatum complicatorum modo citiùs, modo tardius terminantur.

§ XXVI.

Progredimur igitur ad curam, si quæ locum in aliis invenire possit, legitime & ex Artis fundamentis administrandam. Hæc enim requirunt, ut contusio vel ruptura, quantum fieri potest, citò consolidetur, sanguis jam tùm extravasatus ritè evacuetur, stagnans

nans in viſcere reſolvatur, extravaſatio ulterior aliaque ſymptomata graviora impediantur & vires conſerventur: Id quomodo & quibus è tribus fontibus petitis remediis impetrari poſſit & debeat, nunc videbimus.

§. XXVII.

Quoniam verò affectus noſter ad ſolutiones continui & vulnera ſpectat, prima & præcipua remedia ſuppeditabit etiam Chirurgia & inter ea Venæſectionem, remedium omninò generoſiſſimum & efficaciſſimum in quibuscunque vulneribus & rupturis, quicquid etiam *Helmontius* ejusdemque ſectatores *Cornel. à Bontekoe*, *Gehema* & alii contradicant. Hoc certè remediô præcavere poſſumus effuſiones nimias & impetuoſas ſanguinis per vulnus, non quod totius maſſæ ſanguineæ circulus revellatur planè ab ipſa parte læſa; ſed quoniam alterâ parte remota exitus datur, impeditur ſimul, ne tàm impetuoſè ad locum affectum ruere queat. Interim mora & locus remedia interna applicanda conceditur Medico: Neque metus eſt quod hâc ratione vires ægri perdantur magis, imo potius conſervantur, quando hæmorrhagiæ vulneris præcaventur. Fieri autem debet ſectio venæ in parte quâdam remota, ut eò quoque derivetur motus ſanguinis, & in principio ſtatim antequam ſanguis & ſpiritus effunduntur, idque repetitis pro neceſſitate vicibus & moderata quantitate, pro ratione plethoræ, ne vires unica & largiori evacuatione labaſcant: in quo ſanè maximum felicioris eventûs momentum ſitum eſſe ratio & praxis docent. Præſervat præterea V. S. ſanguinem à ſtagnatione, commovendo ſcilicet à parte affecta, indeque viſcus læſum & partes vicinas contuſas ab inflammatione, conſequenter ab exulceratione, febre, aliisque ſymptomatibus, alias à vulneribus vix ſeparabilibus.

§. XXVIII.

His obſervatis non opus erit ſcarificationibus vel hirudinibus, aliàs quoque evacuationi & revulſioni ſanguinis dicatis; opus tamen erit interdum inciſione & apertione loci contuſi, præcipuè ſi integumenta ſuperſtrata ſimul quoque graviter conquaſſari contin-

gat, citra vulnus apertum: Tunc enim commodius & felicius longè vulneraria adstringentia & defendentia visceri immediatè applicari possunt, & sanguini jam tùm extravasato exitus datur. Incisio instituitur ex artis legibus, juxta longitudinem musculorum, ne motrices eorum fibræ prorsus rescindantur, cavendo quoque simul nervos hypochondriorum huc insigniores excurrentes, quemadmodum in extirpatione Lienis observamus. In nostra quidem propter nimiam & lethalem rupturam visceris prorsus frustranea fuisset, in qua præterea etiam costa fracta & introrsum depressa fuisset reducenda.

§. XXIX.

Sed contingit etiam non rarò, quod leviter tantum rupto viscere sanguis, vel solum serum ejusdem, sensim & insensibiliter exstillet in cavitatem abdominis ibidemque corruptionem & putredinem inducat, cujus Diagnosin febricula lenta, dolor in inguinibus, decubitus materiæ extravasatæ, pro diverso situ corporis, aliaque symptomata manifestant: quò casu rursus apertio requiretur, sive mediante incisione, sive cauterio potentiali, non tamen in hypochondrio, sed inguine potius sinistro, ut eò facilius putrescens evacuari possit ichor; Et quemadmodum in hypochondriis nervi insignes, ita hic vasa hypogastrica observanda, ne lædantur graviter. Evacuato sanguine vel pure sequetur facile consolidatio, si natura arte juvatur.

§. XXX.

His enim remediis Chirurgicis etiam in subsidium veniunt Pharmaceutica: & inter ea præcipuè Traumatica interna, vel etiam, si vulnus conjungitur, externa. Quoniam vero hæc latissimè patent, & sub se non solum adstringentia, sed etiam sanguinis balsamum restituentia, grumescentiæ ejusdem & putredini resistentia comprehendunt. Præ reliquis omnibus primum opus est adstringentibus, sive terreis, sive balsamicis, mucilaginosis, austeris, acidis, opiatis, vel ex his mistis, quibus vascula læsa cito constringantur, contrahantur & sanguis ipse inspissetur quodammodo, ne

tantò

tanto impetu ad partem affectam ruere queat, quousque vulnera seu rupturæ coalescant. Præstabunt id, (nisi læsio prorsus incurabilis fuerit) satis è vegetabilibus: *Radices* Tormentillæ, Bistortæ, Symphiti, Aristolochiæ rotundæ: *Herbæ* Millefolii, Alchimillæ, Saniculæ, Ulmariæ, Vincæ pervincæ, Bursæ Pastoris, Heder. Terrestris, Fol. Quercus, Myrti: *Flores* Hyperici, Rosarum, papav. erratici: *Succi, Resinæ & Gummata selectiora:* Thus, Mastiche, Sanguis draconis, Tragacanthum, Opium: *Ex animalibus* C.C. ustum, Spodium, albumen ovi in Sole exsiccatum: & tandem è *Mineralibus*, Lapis Hæmatites, Bolus Armena, Terra sigillata, Catechu, Crocus Martis adstringens, Terra vitrioli dulcis, ac tandem pulvis teredinum, qui nunquam me fefellit, O, sarcocolla &c. E quibus jam tum composita egregia e.g. Pulveres Styptici, Anodyni, stegnoticus Guttmanni, Sperniola Crolii, Tragæa Granorum Actes, Essentiæ vulnerariæ, Liquores styptici & similia: vel pro lubitu & circumstantiis ex tempore nova parari possunt. *Dolæus in Encyclopædia Chirurgica p.* 760. commendat mirificè Tincturam suam stypticam ex Oleo Martis, Tinctura Catechu, Anodyna & Spiritu Vini, quem videre licet.

§. XXXI.

Quod si vulnus simul extrinsecum ad Lienem usque pertingat, effectum istorum remediorum internorum feliciorem reddere poterunt extrinsecus applicata styptica. Commendantur valdè à recentioribus Practicis Spiritus Vini in quibuscunque hæmorrhagiis sistendis, si vulneri per siphonem injectus, vel quocunque modò applicatus; procul dubio quia sanguini immediate applicatus partes ejus serosas digerendo magis excoquit quasi & inspissat non solùm, sed etiam fibras vasorum exsiccat & constringit. Gaudet enim partibus Salino-sulphureis vel balsamicis, cum energia exsiccantibus, unde etiam non tam phlegmaticum, quam rectificatissimùm spiritum, eumque camphoratum, eligendum esse judico, in moderata vel parca tamen quantitate adhibendum, ne copiâ suâ totam massam sanguinis vel spirituum in fervorem redigat.

Ex

Ex eôdem fundamentô ſpiritus Terebinthinæ, ſanguini emiſſo recenti permiſtus, eundem in momento quaſi coagulat, ſine ſeparatione ſeri, non ut ab acidis fieri ſolet in grumum friabilem; d. tenacem ac gummoſam ferè maſſam, ſecedente paulo poſt ac ſupernatante fluido illo oleoſo prope omni. Alias etiam decocta è plantis vulnerariis & balſamicis, è Rad. conſolidæ, Tormentillæ, Angelicæ, Burſa Paſtoris, Floribus Hyperici, Maſtiche, Myrrhâ, Aloe & Melle roſato, &c. prô injectionibus tepidis ſufficere poterunt, uti in vulneribus Thoracis aliisque ſolenne. *Blanckardus in Chirurgia* etiam commendat calcem Vivam extrinſecus applicatam, tanquam inſigne Euporiſton ad ſiſtendum ſanguinem & præcavendam inflammationem. Emplaſtra ſtyptica cuivis Chirurgo nota ſunt.

§. XXXII.

Monendi vero ſunt Chirurgi, nè, quod vulgo ſolent, digeſtivis abutantur: his etenim viſcera ejusmodi, aliàs fungoſa, poroſa, & humoribus turgida, laxantur magis, oſcula vaſorum & veſiculæ aperiuntur, ſerum exſudat, indeque ulcerationi occaſio largiſſima datur. Neque tamen generoſa nimis adſtringentia v. g. Liquor ſtypticus Weberi aliaque Vitriolata, aut Aluminoſa injiciantur vulneri, ne ſanguis extravaſatus prorſus cogatur in grumos ejusque exitus denegetur.

§. XXXIII.

Contingit autem non rarò, quod à contuſione ſolùm veſiculæ & glandulæ quædam Lienis comprimantur, vel pauciſſimæ rumpantur intimius unde tamen ſtagnatio ſanguinis, tandemque putredo & corruptio viſceris ſubſequitur. Eo fine conveniunt potius præter venæſectionem vulneraria, quæ ſanguinem à grumeſcentia defendunt, grumefactum jam reſolvunt & inflammationi aliisque exinde oriundis innumeris ſymptomatibus reſiſtunt. Id præſtabunt magis Salina Alcalia Sulphurea, Sperma Ceti, Balſamum Sulphuris, de Peru, de Copayva, Vulnerarium Mynſichti, Camphora, Antimonium Diaphoreticum, Oculi Cancri, Flor.

& Lac Sulphuris, Myrrh. Mumia Alexandr. Herba Agrimon. Chærefol. Hederæ terrestris Flor. Hyper. &c. & ex his parata varia.

§. XXXIV.

Ubi sanguis effunditur, vel solum stagnat, reliquus in vasis suis necessario vappescit, ut partem læsam vegetare, & hiatus vel rupturas supplere nequeat, ideo in specie quoque tùm opus est vulnerariis balsamicis sulphureis, quæ partes sanguinis & seri oleosas potissimum restituunt, gluten necessarium & γλισχρὸν necessarium suppeditant & calorem nativum roborant, qualia quidem inter resolventia jamdum laudavimus.

§. XXXV.

His ipsis quoque caveri vel minui poterit læsæ & vicinarum partium inflammatio, alias à quibuscunque ferè inseparabilis vulneribus, modo æger simul ad blandam diaphoresin vel sudorem disponatur per vices, quantum vires ferunt, & hæmorrhagiæ urgentes permittunt. Unicus enim & præcipuus in vulneribus, post hæmorrhagias suppressas, scopus est inflammationem arcere, utpote quo simul gangrænæ, ulcerationis, aliorumque mille symptomatum, imo ipsius mortis metus tollitur.

§. XXXVI.

Sed inter præcipua citò quoque respiciendæ sunt vires ægri, ne propter læsiones tam graves & effusiones sanguinis citius, quàm vulnus consolidari possit, deficiant. Hæ igitur conserventur & restaurentur confortantibus, sive cordialibus vulgo dictis, non quidem promiscue omnibus, sed admodum temperatis, terreis potissimum, balsamicis, amaris, subacidis & mucilaginosis, quæ spiritus & sanguinem a nimia dissolutione cohibent, concentrant & stabiliunt, quò fine ferè sufficiunt pulveres styptici, absorbentes, bezoardici, cum aquis, emulsionibus, conservis aliisque vehiculis temperatioribus propinati.


§. XXXVII.

Alvi suppressio ne inflammationes vel stagnationes sangui-

nis augeat, corrigitur prudenter Clysteribus emollientibus & abstergentibus: quos propterea omnibus vulneratis seriò commendat *Langius Miscell. Curiosor.* omissis præterea omnibus purgantibus & irritantibus, ne ullô modô sanguinis dissolutio & commotio concitari possit. Pari ratione etiam reliquis symptomatibus, pro diversitate læsionum, Temperamentorum, Ætatum, aliarumque circumstantiarum satisfaciendum.

§. XXXVIII.

Restaret ergo solum Diætæ regimen prolixius adhuc persequendum, nisi idem aliis vulneribus quoque esset commune. His enim, præcipuè profundioribus, omnem aërem frigidum & intense calidum, potum generosum & calidiorem, cibos acidos, acres, salsos, pingues, animi pathemata graviora & similia nocere, notum est, quam quod notissimum. Ideoque filum abrumpimus.



CAPUT VI.

DE AFFECTIBUS RENUM ET URETERUM

§. I.

Quemadmodum illæ partes, per quas humores excrementitii è corporis humani œconomiâ eliminantur, pluribus læsionibus sunt obnoxiæ, ita mirum non est Renes, tum à salibus cum eò delatis, tum à sabulo & calculis illîc concretis, variis subjectos esse morbis, quos inter

ULCERA & ABSCESSUS RENUM

à causis potissimum externis, vulnera verò à causis magis externis oriuntur. Priora quod attinet, debētur illa aut alimentis, aut medicamētis acrioribus, sanguini muriatico, ichoribus ♀ reis, fæculentiis tartareis & calculosis, inflammationi aut nephritidi, in Part. Priore hujus praxeos jamdum expeditæ: quæ licet in subjectis senilibus difficulter admodum aut rarò consolidentur, ut ex Historia Pathologica de rene exulcerato ad *D. Mauritium Hoffmannum à Joh. Lechelio*, Medico Brunsvicensi, olim perscripta apud *Theoph. Bonetum Polyalth. Tom. II. Lib. IV.* in *Not. ad cap. LX.* elucescit: in juvenibus tamen & viris adhuc vegetis curationem, utut satis arduam, admittere, elegans de Abscessu in renibus observatio, â D. *Joh. de Muralto Miscellan. S. R. I. Acad. Nat. Curios. Dec. 2. Ann. 3. Obs. 139.* inserta, docet, qui post cataplasmata emollientia & suppurantia è foliis malvæ, althææ, violariæ, seminibus lini, fœnugræci, lacti incoctis, parata, integro triduo, sed absque magno effectu adhibita, cauterium potentiale tumori optimo cum successu imponi vidit. Cultello enim pertusa parte emortuâ momento citius integra libra puris evacuata fuit, succedente diebus insequentibus materia crassa & haud acri. Subjunctis ergò potionibus vulnerariis & laxantibus, ex infus. sennæ c. syr. ros. sol. comp. injectionibus vulnerariis cum vitello ovi, terebinthina, aloë, myrrha & Sp. V. turunda digestivo illitâ & emplastro diapalma superimposito æger perfectissimè sanatus fuit; quam curam verè Hippocraticam vocat Illustris *Schræckius*, in *Schol.* huic Obs. additis: qua male intellecta Nephrotomiam alii, in *Medicina Nov-Antiq. Part. Chir. c. 6. §. 16.* jamdum rejectam, statuminare sunt ausi, quæ vel exinde locum habere nequit, quod

VULNERA RENUM

profundiora, cum vasorum emulgentium, aut tubulorum in pelvim se aperientium, violatione conjuncta, Prudentum judicio sim-

pliciter & abſolute lethalia ſint dicenda. Quemadmodum enim priora non niſi cum magna cruoris profuſione contingunt, per pelvis verò fiſtulas laceratas in illo collecta ⊡ ad cavum abdominis effunditur: ita intactis quoque canalibus his ſauciatus graviter ren ſerum illud excrementitium in abdomen profundit; idque non ſine moleſtiis lethalibus inde pertimeſcendis, vid. *Bohnius* in *Examine Vulnerum lethalium p. 384.*

§. 5.

Idem de VULNERIBUS URETERUM ſtatuendum, cum & horum præſectionem ⊖ effluxus in abdomen ſequatur, & nulla remediorum applicandorum opportunitas & poſſibilitas hic occurra. Quodſi verò tantum aliqua in parte excorientur, ut à calculis illos ſubeuntibus ſæpiſſimè contingit, adhibitis terebinthinatis & balſamicis, tam per os aſſumptis, quàm per enemata injectis, adhuc curari poſſunt. Reliqua verò illorum mala, OBSTRUCTIONES, ANGUSTATIONES & ſimilia iisdem quibus Calculus renum tractatur, lithontripticis ſc. curari debent; præter quæ ſingulare quid in illis quondam obſervavi, ſc.

INFLATIONEM RENUM p. n.

quemadmodum è ſeq. CASU à *Dn. D. Verdrieſio*, meo olim Auditore, nunc autem Collega duplici, ſuaſu & commendatione mea, ad *Dn. D. Hertium*, Conſiliar. & Archiatrum Haſſo-Darmſtatinum, perſcripta, fuſius apparebit.

Senex ſeptuagenarius, plurimis abhinc annis tenſionibus lumborum dolorificis, Nephriticos dolores mentientibus, ſæpe corripitur, quæ, ingraveſcente quotidie ætate, invaleſcentes, maxima moleſtia, nec minoribus cruciatibus eundem afficiunt, cumprimis verò circa renis ſiniſtri regionem ſcenam ſuam ludunt, atque hinc deinde verſus ſcrotum deſcendentes illi ipſi cum partibus vicinis durum atque renitentem tumorem inducunt: quod verò præſertim notam hic meretur, id ipſum malum non tam Nephriticis ac Lithontripticis, quam potius Carminativis temperatioribus, diſcu-

scutientibus, in & externe adhibitis, cedit, nullis in urina comparentibus arenulis aut calculis. Quæsitus de circumstantiis quibusdam tam afflictæ conditionis senex, respondit inter alia, idem malum & Parentes quondam & Consanguineos afflixisse, quorum aliqui Tympanite decesserint.

Facile hariolabar, cum offerretur iste Casus, calculi hic nullas esse partes, sed à flatibus, quod ipse quoque suspicabatur æger, in ureteres & peritonæi processus subitò irruentibus, omne, quicquid hic reperitur mali, provenire. Quæ sententia eo magis speciè veri se mihi commendabat, quo pluribus Virorum Experientissimorum observationibus edoctus noveram, quot & quanta mala aër ille vitiosus, qui flatus constituit, in corpore, præcluso exitu, oberrans, possit inferre quantumque ille sæpe corporis sanitatem convellat ac labefactet. Miserrima profectò humanæ vitæ est conditio, quam adeo intimè supplicia peccati dirissimorum morborum myriades pervaserunt, ut ipsæ illæ res, ex quibus omnis vitæ naturalis pendet prosperitas & quæ ad eam protrahendam summè sunt necessariæ, ita quidem, ut iisdem ne per semihorulæ spatium sine illius interitu possimus carere, in perniciem nostram tandem progerminent atque conspirent. Enimverò, quid magis ad vitæ incolumitatem producendam necessarium est, quam ille circumfusus nobis spiritus, quem haud interrupto pectoris motu jugiter ducimus & exspiramus. Quid est cujus magis simus indigi, cujusque proin durior periculique plenior sit egestas? Nihilominus tamen jam suo tempore divinus noster *Senex Cous* aërem uti vitæ, sic quoque morborum auctorem pronuntiavit *Lib. de Morb. sacr. & Flat.* Neque id injuria, sicuti enim temperatum hocce aëris fluidum corpus blandè ambit, mulcet, recreat atque intus & extra, cum partium solidarum, cutis fibrarumque subjectarum, glandularum & vasorum undique exporrectorum debitam tensionem, tum imprimis sanguinis & humorum decentem mistionem, regit ac moderatur, ut, reseratis occultis spiraculis fluidisque rite subactis, quicquid superflui ac effœti est expellatur atque ita suus corpori constet vi-

gor & integritas: Ita vel qualitatibus suis immoderatè excedens, vel subito ac derepente mutatus, vel inconvenientem consistentiam atque habitudinem nactus, vel peregrinis inquinamentis corruptus, vel perverso tandem motu exagitatus, cùm solidarum partium ordinatam dispositionem, tum fluidarum convenientem misturam atque motum maximè conturbat & pervertit. Apparet hoc in flatuum mirificis lusibus; illi enim nihil aliud sunt quam aër cum alimentis stomacho sese ingerens, aut ex cibis solutis vel succis contrariis colluctantibus majori in copia evolutus atque collectus, qui postmodum, aliis permixtus particulis, partes pervagatur easdemque vi virtutis expansivæ & elasticæ nunc magis, nunc minus, pro re nata, inflat, distendit atque tensiones satis molestas, sæpissimè etiam maximè dolorificas iisdem inducit. Unde mirum non est, vim flatuosi istius aëris adeo latè patere, ut Clarissimo *Pechlino* judice *Observ. Libr. I. LVII.* nullus sit morbus, quem non faciat aut augeat concursu suo flatus. Equidem non diffiteor, Antecessores nostros plus sæpe quam decebat iisdem tribuisse; interea tamen & hoc non minus certum esse existimo, immeritò eosdem quandoque eam ob causam *Helmontio* vapulare, nec plane hac in parte cum hoc Medicorum Attila atque Flagello, qui nullam intemeratam reliquit veterum sententiam, ipse infelicissimus dogmatum stator, esse exsibilandos. Quamvis enim illorum accedere partibus nolim, qui cum priscis Pneumaticis, quibus cum *Joh. Fieno comment. de Flatib.* magnus ille Indiæ Chinæque scrutator *Wilhelm. ten Rhyne Diss. de Arthritid.* pollicem premere videtur, omnes ferè morbos à flatibus originem trahere contendentes, consensum, à contractione ac vellicatione nervorum oriundum, ab iisdem ascendentibus & caput occupantibus derivare laborant, atque ita dato quasi salvo conductu ad ipsum Palladis Mnemosynesque delubrum illos transmittunt; quin potius fabulam de ascensione illâ vaporum, per eburneam portam, quâ falsa ad cœlum mittunt insomnia manes, ad nos erupisse putem, plurimum tamen incommodorum ipsiusque aliquando mortis eosdem opifices esse posse & ratio & Magistra veritatis Experien-

perientia satis clare ac perspicuè demonstrant. Patere VENERANDE MÆCENAS, ut flatuum in corpore nostro furores aliquantisper hic persequar, quo deinde de illo, quod nostrum ægrum affligit malo, dilucidius constare possit. Et primo quidem hic præterire nequeo elegantissimum Celeberrimi *Bidlovii*, cujus accuratissimas Demonstrationes Anatomicas LugduniBatavorum ante aliquot annos admiratus sum, experimentum, aliquoties in Collegio Anatomico repetitum, quo leni etiam flatu in ductum illum cerebri, quem calamum scriptorium dicunt, immisso, universa cerebri compages ita subsultabat ac concutiebatur, ut non sine causa Epilepsiam, Convulsiones, atque similia mala inde deduceret Vir Clarissimus. Quo pertinet etiam decantatum illud à Celeberrimo *Wepfero* institutum experimentum, qui, ore solum inflata jugulari vena, vastæ molis bovem aliquando prosternebat atque enecabat: id verò à sola cordis inflatione ejusdemque p. n. extensione ita evenisse elegantissime ostendit perspicacissimi ingenii Vir, *D. Rud. Jac. Camerarius* in *Dissert. de Tensione Cordis*, ubi hoc experimentum fusius exponit & hinc à sanguine flatulento & ad fermentescendum proclivi Cardialgiam, Palpitationem Cordis, Anxietates, Pectoris angustias, Syncopen ac præsentissimam quoque mortem originem ducere posse docet, nisi statim V. S. cum Clarissim. *Brünnero Ephem. N. C. Germ. Dec. 3. Ann. 2. Obs. 223. & ejusdem Dec. Ann. 4. Obs. 73.* succurratur; id quod Veterinarii etiam in simili brutorum morbo, quem das schiesende Blut appellant, felici cum successu imitantur: ut hinc non sine prægnanti ratione *B. Ettmüllerus* flatus ex stomacho mox ad M. S. delatos, præcordiorum anxietates, & difficultates spirandi procreare & sæpius ex vulneratis vasis sanguineis, V. S. nimirum instituta, prorumpere scribat *Oper. Tom. II. p. m. 82.* Nec inconvenienter Clariss. *Chr. Joh. Langius Facultat. Med. Lipsiens. Assessor quondam Celeberrimus*, palpitationem cordis à flatibus nimia in copia pericardium inter & cor incuneatis oriri aliquando, existimat, *Dissertat. de Palpit. Cord.* §. 29. cujus rei exempla in *Scholiis ad Hollerii Prax. Lib. I. cap. 29. & in Ballon. Paradigm. 69.* leguntur

tur

tur. Quid quod Medicus χαριέστατος, delicium & dulce decus nostrum, Clar. *Pechlinus*, in cadavere hominis à multis ventris doloribus pectorisque angustiis tandem oppressi, non solum abdomen & ventriculum ingenti flatuum copia repletum utrisque instar distentum, verum & ipsum vitæ habitaculum, cordis cameram cum dextra auricula, novo atque insolito prorsus spectaculo, à copioso flatu in immensum adauctam, duabus nimirum partibus naturali majorem, cæterum omni cruore vacuam, & præterea toto corpore venas, etiam coronariam, passim flatibus distinctas & mirificam succi purpurei, fluidique aërei, alternationem, quemadmodum in quibusdam Thermometrorum generibus observare licet, oculis ostendentes, cum Celeb. *Sylvio* viderit, vid. sis *Observ. l. c. Ettmüller. Oper. Tom. II. p. 440.* Neque hinc de nihilo est τῦ πάνυ *Thom. Bartholini* sententia, *Tract. de Pulmon. sect. 2. p. m. 356.* flatus in venis ex *Hippocrate* & *Galeno* molestos, nisi cum fuliginibus, quæ, ex mente ipsius, nihil aliud sunt quam aereæ particulæ in sanguine cordis & reliqui corporis excitatæ, evacuentur per commune corporis ventilabrum, non varia tantum symptomata inducere doloris plena, sed vel venas rumpere, vel universum corpus in tumorem elevare posse, si restagnent. Sicuti subitaneam ac horrendam plane mammarum mulieris inflationem, ita, ut dextræ circumferentia duos pedes cum 7. digitis, sinistræ verò tres pedes unumque digitum cum dimidio, adæquaverit, annotavit ac figura ænea ob oculos posuit Clar. *Oldenburg Act. Philosoph. Angl. Ann. 1669. Mens. Octobr. p. 873.* Sic universi quoque corporis habitus ingentem aliquando tumorem concipit, quando in vulneribus thoracis aër, inter communia integumenta atque musculos se insinuans totamque corporis peripheriam perreptans, pectus, dorsum, caput, vultum, palpebras, collum, lumbos, scrotum, brachia, cruraque reliqua inflat & ingentem tumorem cum acerrimis doloribus iisdem infert: quod præter *Smetium Misc. Med. Libr. X. p. 524. & Libr. VII, Ep. 4.* (cui, haud satis convenienter, id quicquid est tumoris, Tympania universalis audit) *Sennertum & Willisium* (qui tamen perpe-

ram nullas hic aeris esse partes, sed spirituum ob nervos irritatos ἀταξίαν, indeque obortas convulsiones, hoc omne efficere contendit) Vir Clariss. *Dom. D. Berger Prof. Wittenb.* observavit, quando Studiosum ab aëre, ex inflicto vulnere à dextra pectoris parte in hujus cavum, ex eoque sinistram illius partem, inter prædicta totius integumenta communia, subeunte, mox ita totum intumescentem ac inflatum vidit, ut ne palpebras quidem diducere posset, prout refert *Joh. Chr. Stisser in Dissert. de Tympanite, Vitembergæ* ventilata. Nec est, quamobrem à solius aëris efficacia ejusmodi stupendum effectum exspectare nolimus, cum neque arti simile quid inimitabile sit. Redeo hic in memoriam horrendi, quod est apud *Hildanum Observ. Chirurg. Cent. III. XVIII.* hydrocephali artificialis exempli, ubi, quæ immanium Parentum in propria sæpe viscera est crudelitas, & fraudis subrepticiæ ubique plenitudo, exsecrandæ nequitiæ & impietatis homines, Lutetiæ Parisiorum, infantuli sui, nondum biennis, cutem capitis circa verticem ad musculos usque inciderunt foramine parvo, per quod immissa fistula paulatim inflaverunt, obturato semper, extractâ fistulâ, artificiose foramine cera vel materia simili & intra breve tempus (inflando singulis diebus aliquoties) infantuli caput in tantam extenderunt molem, ut monstrum puer præ se tulerit, Parentibus, qui eum, turpissimi quæstus ergo, per Galliam hinc inde videndum exponebant, ingens lucrum apportans, donec illi, comperto scelere nefando, debitas violenta morte luerint pœnas. Taceo hic Indorum hypothesin, qui, cum supra memoratis Pneumaticis, nullum non corporis morbum oberrantibus flatibus adscribunt & hinc in acupunctura externa salutare remedium quærunt, quemadmodum hoc cum *Bontio de Medic. Indor.* eleganter exposuit laudatus *ten Rhyne in Mantiss. schematic. de Acupunct.* Nec perscrutandis aliis morbis, manifestè à flatibus originem ducentibus, longius hic immorabor, quales sunt: Colica flatulenta, Inflatio abdominis in infantibus, Cholera sicca seu flatuosa, de qua nec nimis sæpe, nec nimis valde unquam laudatus *Dn. Pechlinus l. c. Obs. LVI.* circa finem: Vidi, inquit,

quit, aliquot horarum momentis flatus natos alios ex aliis alvum gulamque tam continuato impetu infestasse, ut veluti ex Æolipilâ missi toti in ventum abiisse humores viderentur. Nec non bellua illa Lernæa in hypochondriis tyrannidem suam exercens, cujus genuinam causam agendique modum, quod videlicet non tam putatitium illud lienis vitium, quod multi opinionis errore sibi fingunt, quam potius flatus, per amplitudines intestini coli delati, atque in eâ parte, qua id angustatum & incurvatum sub hypochondrio sinistro incedit, impingentes & reflexi molestum distensionis lacerationisque sensum inferant, jamdudum detexit atque perspicuè explicuit Clar. *Ettmüllerus Dissertat. de Dolor. Hypochondr.* De Tympanite saltem non possum non quædam hic commemorare: in illo enim malo cumprimis observare licet, quid sylvestres isti spiritus, ceu *Helmontio* audiunt, potestatis habeant in corpus humanum; tam plenus enim periculi ac perniciosus habetur iste morbus, ut plures λόγῳ καὶ πείρᾳ excellentissimi Medici se nullum unquam Tympaniticum convalescentem vidisse apertè profiteantur. Qui enim tumet, inquit *Excell. Dom. D. Schraderus Prof. Helmstad. Prælect. in Aphor. Hipp. Sect. IV. Aph. XI*, inflatus tympanite, funus bajulat ille suum, ac tympanum veluti gerit & pulsat, ad bellum cum morte ineundum, in quo tamen plerumque tympanista succumbit. Interea flatus tantùm rem omnem hic conficere, observationes in ejusmodi ægris diligenter annotatæ, nec non ea, quæ Anatome in cadaveribus isthoc malo defunctorum detegit, nullo modo nos dubitare permittunt. Modo enim cavum tantùm ventris ab impuris istis hostilibusque spiritibus obsessum deprehensum fuit, teste *Ballon. Paradigm. 141. Valles. Comment. in Lib. IV. de vict. rat. in acut. p. 284. Theod. Collad. Comment. Med. Crit. &c. Lib. 2. cap. 6. §. 22.* Modo canalem alimentorum ventriculum & intestina simul occuparunt, observante *Platero Observ. LIII. p. 616.* ubi memorabile exemplum recenset, *Pechlino l. c. & ex eo Bibl. Pract. sub. voc. Flatus, Theophil. Bonet. Sepulchret. l. Anat. Pract. L. III. Sect. XXI. Obs. 26. p. 440.* Modo in canali intestinali tantùm reperti sunt, vide sis

Plater.

Plater. Prax. Lib. III. Cap. de Extuber. Smet. l. c. Scholz. Ephem. N. C. Germ. Dec. *I. Ann. II. Obs.* 86. *Bonet. l. c. Observ.* 22. *p.* 439. & *Observ.* 32. *p.* 443. *Hercul. Saxon. Prælect. Pract. P. II. cap.* 24. *Bibliothec. Anatom. P.* 1. *p.* 97. *Fabric. Hildan. Cent. VI. Obs.* 74. *Anton. Beniven. Obs. C.* 81. Ut frustra hinc sit Clariss. Willisius, valdè aliàs mihi æstimatus, quando morbis convulsivis hunc morbum annumerans, eundem non tam à flatibus quam spiritibus animalibus in imo ventre in fibras nerveas ubique tumultuariè irruentibus, easdemque inflantibus & peritonæo, mesenterio, intestinis aliisque visceribus membranaceis spasmodicam tensionem inducentibus, excitari, flatibus postmodum, ut vacuitates, ita loqui amat, à viscerum concavatorum extumescentiis factæ, impleantur, ab humoris statim cujusvis intus contenti portione in vapores, spatia ista inania occupantes, rarefacta, ex consequenti quasi progenitis, persuadere nobis laborat: argumentorum, quæ huic sententiæ suæ substravit, vim & efficaciam eruditè retundente ac convellente Viro itidem Clarissimo, *Carolo de la Font, Profess. Medic. Avenionens. Primar. in Diss. de Hydrop. Tympanit. Cap. II.* Neque verò abdominis & primarum viarum cavamina tantùm occupant molestissimi illi hospites, sed, in sexu sequiori, uteri concamerationem quandoque ita distendunt, ut prægnantium speciem præ se ferant miserrimæ mulierculæ & ipsæ etiam se gravidas firmiter credant, quale exemplum intumescentis à flatibus uteri videre licet apud *Celeb. Ettmüllerum Op. T. II. p.* 1075. qui molam ventosam seu flatuosam hoc malum vocari scribit. Similisque ferè inflationis exemplum proponit medendi usu eminentissimus *Timæus à* Güldenklee *Cas. Medicin. Lib. IV. de Morb. Mul. Cas. V.* Nec minus notabile est exemplum quod *Riverius* ex *Solenandro* adducit, *Prax. Med. Lib. XV. Cap. XII. p.* 467. ubi mulieri puerperæ, intempestivius ante tempus debitum, ventis & aëri se committenti, ita à flatibus intumuit uterus cum doloribus maximis, ut, cum suasu Obstetricis exercitatæ suffitum ex tribus nucibus myristicis, carbonibus injectis, genitali-

bus exciperet, tantum derepente profilientes ſibilum ac ſtrepitum ederent, ac ſi anguſta pyxis, pulvere tormentario referta, diſploſa fuiſſet. Conſideratè tamen hic agere debet Medicus, atque obſervatis certis ſignis pathognomonicis probè diſtinguere hanc inflationem, non ſolum à gravidatione, ſed & inteſtinorum, meſenterii atque ventriculi p. n. tumore; nam & hic quandoque in tantam diſtentus molem repertus fuit, ut in fœminâ pro gravidâ habitâ totam abdominis regionem occupaverit ac inteſtina cooperuerit, erumpente poſt diſſectionem fœtidiſſimo flatu, prout ſcribit *Henric. à Moinichen apud Barthol. Centur. II. Epiſt. 87. p.* 687. nec his finibus ſe continet vagabundus & ingratus hoſpes, ſed ne quid incontaminatum in corpore relinqueret, ab illis etiam partibus ſe non abſtinet, quæ diluvium arcendo & inſigni utilitate ſe commendant & ſummæ corporis neceſſitati conſulunt, ureteribus puta ac urinæ ciſternâ, cujus rei, ſicuti æger noſter exemplum eſſe poteſt, ita etiam ab aliis in arte noſtra peritiſſimis Viris idem obſervatum legimus, ut non ſine cauſa *B. Waldſchmidius in Not. ad Caſ. Timæi. p. m.* 888. flatus in omnibus corporis partibus & quolibet cavo generari poſſe aſſerat. Curioſum profectò non minus quam admiratione dignum eſt, quod πολυμαθέςατος *Borrichius* de Hypochondriaco opem ſuam implorante *In Act. Haffnienſ. Volum. III. Obſ. XL.* memoriæ prodidit. Scilicet, quotieſcunque urinam reddebat, ſine ſenſu quidem doloris hoc miniſterio naturæ defungebatur, poſt brevem autem moram, obortus in mediâ urethrâ cruciatus tendebat nonnihil vaſa, unde ſubſecutus cum ſtrepitu fœtente ſibilus è pudendo emanabat; nec id ſemel ſed crebro quotidie. Quodque idem ibidem de Fœmina Chriſtianſtadienſi narrat, quæ diu olidos borborygmos per naturalia reddidit, hiſtorias non male his congruentes ex *Fernelio*, *Camerario*, *Schenkio* ſimul allegans. Similem hiſtoriam deſcribit laudatus *Bartholinus in iiſdem Actis. Volum. II. Obſ. XLIV. p.* 135. ex communicatione Clar. *Wedelii*, qui eandem *Ephemeridibus N. C. Germ.* quoque inſeruit. *D. I. Ann. II. Obſ.* 46.

Vir

Vir sc. primarius Gothæ colica per annum aliquoties affligebatur cum βορβορήγμοις, tensione abdominis, doloribus circa umbilicum, & flatus tunc, quod peculiare erat, per penem quasi solenni & consueta excernebat via, sæpe cum, sæpe sine urina

Exinde verò jam plenius intelligitur nec ullus amplius dubio locus est, flatus non solum abdomen & peritonæum, sed & vias urinæ excretioni dicatas quandoque extendere, eoque ipso insignes cruciatus afferre. Haud temere vero quærat curiosus ac sciendi cupiditate inflammatus animus, quis ejusmodi peregrinos atque noxios hospites in corpus deducat, ubi & qua ratione progignantur, & per quas demum vias in abdita corporis cavamina divagentur. Id igitur, quamvis in superioribus jamdum quædam attigerim, paucis adhuc, pace tamen quod Tuâ Vir MAGNIFICE fiat, expediam.

Ad primum verò quantum attinet, supra jamdum innui, flatus nihil esse aliud quam partes aëreas, assumendis cibis ac potulentis intertextas, quibus proinde mediantibus ventriculum ingrediuntur, solutoque deinde alimentorum, dum subiguntur comminuunturve, nexu, sui juris factæ & vinculis quibus detinebantur expeditæ inque decente quantitate collectæ, intestinorum canalem blandè diducunt, inflant, stimulant & ad ipsius motum, quem peristalticum appellant, suum quoque ἐπιβάλλον μέρος conferunt, postmodum partim chylo permixtæ per venas lactivehas ductumque thoracicum in purpureum sanguinis flumen delatæ, & humoribus debitam consistentiam, vigorem ac elaterem conciliant, & motum intestinum, quo chylus sanguini infusus ulterius divellitur, atteritur, purpureamque indutus vestem vitali illi latici assimilatur, intendunt atque excitant: tandem verò suffectis usque successive novis ejusdem generis particulis in ἀδήλῳ διαπνοῇ, per corporis habitum undique perspirabilem, ex corporum vinculis rursus evolant: partim vero inter ciborum reliquias excernendas incarceratæ, motum intestinorum peristalticum ad illas exterminandas juvant, cumque iisdem ad extrema, qua

natura exitus patet, devolutæ eliminantur. Huc usque tantum abest ut aërei illi spiritus sint nocumento corpori, ut potius non contemnendæ utilitatis ipsi fructum præbeant. At enim verò quando concurrentibus variis causis causarumque circumstantiis, ingestis sc. cibis multo aëre scatentibus, flatulentis inde dictis, quorum natura & aëris contenti copia mediante Antlia pneumatica optimè potest detegi, refertis item primis viis pravis ac vitiosis succis, unde variæ ebullitiones ac effervescentiæ, flatuum genitrices, vel alimentis confertim & in nimiâ quantitate assumptis, aut recrementis etiam diuturniore morâ retentis, majori in copia generantur, colliguntur atque viscidis humoribus contaminati & impliciti in subcavis intestinorum latebris concluduntur, tum demum vim nocivam exerunt, fistulam intestinalem sufflando tumefaciunt, fibrisque ita membranaceis ultra modum tensis & quodammodò convulsis ingentes cruciatus afferunt. Abhinc per subtilissimos lactivehos canaliculos ad sanguinis flumen tendentes, modò tenerrima ista vascula perrumpunt (unde lumborum dolores & diuturna circa umbilicum tormina, Tympanitem præcedentia, deducit *Bonetus l. c.*) & cavum abdominis opplent, modo sanguini infusi ejusdem dimensionem plus justo extendunt, vasaque continentia nimium distendendo recensita superius mala producunt, & tandem cum humoribus totum corporis ambitum perreptantes mox in hoc mox in illud cavum erumpunt.

His ita constitutis, in propinquo nunc erit judicare de *Causa flatuum materiali*, quam non tam vapores ab humore à calore resoluto inque particulas minimas redacto, secundum *Galenum* & *Willisium*, quam potius veræ portiones aëreæ decente rigiditate ac elatere præditæ, constituunt, suffragante Gravissimo artis nostræ Antecessore *Hippocrate libr. de Flatibus*, quando flatus non nisi nomine & ratione loci ab aëre differre disertis verbis asserit: πνεύματα τὰ δὲ μὲν, inquit ἐν τοῖσι σώμασι, φῦσαι καλέονται, τὰ δὲ ἔξω τῶν σωμάτων, ἀήρ. Aqueum enim humorem in verum aërem

non

non posse converti, jamdudum sanioris Physicæ Cultores conspecerunt. Neque minus etiam constabit de *Causa formali*, utpote quæ in collectione harum particularum potissimum consistit; collectio verò illa dependet à concussione humorum tumultuariâ, sive κινήσει, ταραχῇ, κλόνῳ καὶ σεισμῷ, verbis *Hippocraticis & Galenicis*, *conf. Brun. Not. in Jessenii à Jessen de Sang. V. S. emiss. Judic. p.* 200. quo pacto alimentis intextus aër, nexibus portiuncularum, quibus tanquam compedibus detinetur, solvitur: quo major enim est succorum vitiosorum colluctantium motus, eò majori in quantitate generantur, eòque majori impetu feruntur flatus, quemadmodum plurimis hoc experimentis Physicis illustrare posset, nisi adductiores præscriptæ Epistolæ limites id dissuaderent. Solutâ quippe hac ratione intimiusque reseratâ contentorum compage, maximâ in copiâ prosilit aër & quod pessimum, non purus & sibi relictus, sed plurimis viscidis inquinamentis collutulatus atque irretitus, quæ eundem ad legitimum distributionem ac faciliorem exclusionem ineptum plane reddunt; unde viscidum sicuti materiam calculis generandis, ita fomitem præbet flatibus, nec facile generantur noxiosi flatus, nisi alicubi restagnent humores viscidi. Et hoc in causa est, quod in scorbuticis & in hypochondriacis sint frequentiores & cur in illis, ex optimæ notæ alimentis, copiosissimi exsuscitentur flatus. Accedit deinde & hoc, quod motu illo intestino, quem effervescentiam dicunt, expandatur magis ac diducatur; ad expansionem quippe naturâ propensissimus impurus iste aër, atque hinc exitu prohibitus, amplius tamen spatium requirens, mox huc, illuc mox impetum faciat, & sic malorum prædictorum auctor existat.

Neque locus eorum natalis nos jam latere poterit. In primis quippe viis, sive in illo, ceu laudatissimus *Pechlinus* loqui amat, intestinorum angulo, in quo bilis, succus pancreaticus, lymphaque intestinalis & quicquid desuper ex poris œsophagi & ventriculi destillat, confluunt, plerumque sicuti stabulantur, ita & progignuntur. Illi enim maximè activi humores, cumprimis quando

do vitium cœperunt, aut ſuccos vitioſos ibidem jamdum hoſpitantes deprehendunt, facile luctam ineunt, efferveſcunt & hinc, ex conſequenti, intimius ſolutâ portiuncularum compage, impurus aër, qui flatus conſtituit, evolvitur & cum impetu erumpit. Præ aliis verò actuoſiſſimum bilis liquidum, quod huc confluit pluresque aëreas moleculas, Antliâ pneumaticâ teſte, ſub contextu ſuo gerit, hic in causâ eſt; id quod ex elegantiſſimo illo à *Florentino Schuylio Prof. quondam Leydens.* inſtituto experimento videre eſt: Secto videlicet canis vivi abdomine, inteſtinum duodenum filo uno prope pylorum, altero paulo infra inſertionem ductus pancreatici, ligavit, conſuto deinde ventre, animal ſibi relinquens. Cumque, elapſis aliquot horis, vulnus illud iterum aperiret, non interceptum tantum vinculis ſpatium ad rupturam uſque diſtentum, ſed etiam veſiculam felleam admodum dilatatam reperit, cum urente veluti calore partem illam duodeni tumentem occupante. Facta autem tumoris inciſione, flatus ſpumantesque bullæ cum ſtrepitu & ſonitu proruperunt atque validâ acrive exhalatione nares vellicarunt, *Tract. pro. veter. Medic. pag.* 88. Dum verò in primis ſic dictis viis flatus generari dico, non equidem alia concava corporis loca, in quibus humores activiores viſcidis implicati & ad fermenteſcendum apti colliguntur, excluſerim: ibi enim eoſdem etiam quandoque produci adeo improbabile non eſt, quamvis plerumque in loco modo deſcripto largius proveniant & hinc in reliquas partes exſpatientur.

Per quas autem vias eò pertingant, id quoque amplius obſcurum eſſe nequit, poſtquam illos per venas lacteas modo purpureo ſanguinis latici permiſceri dixi, cum hoc enim fluido corporis univerſali ad varia corporis ſubcernicula, quibus diverſi generis liquores ſegregantur, deferuntur, ibidemque una cum ipſis humoribus per acinos viſcerum aliarumque partium glanduloſos in conceptacula ejuſmodi liquoribus aſſervandis deſtinata, vi quaſi adhibitâ, ingrediuntur; ut vias operoſè perquirere non opus ſit, quibus flatus in ipſius quoque cerebri, pericardii, pectoris, abdomi-

nis,

nis, nec non uteri, renum, ureterum & vesicæ cavernas deducantur. Quodsi enim humores & liquida densiora hic possunt separari ac transsudare, quid impediet, quo minus & flatus, tanquam corpuscula tenuiora, hic possint perrumpere ac penetrare. Accidit aliquando etiam, ceu probè observat *Borrichius*, ut abscessus intestini recti vesicam erodant & ita quod è postico foràs amandari solebat, parte anticâ erumpat; quemadmodum nec exempla desunt, ubi alimenta ingesta parum immutata per ejusmodi intestinorum, renum & vesicæ ulcera vesicam ingressa & per urethram excreta fuerunt. Mirandum hujusmodi casum aliquando sibi oblatum mihi retulit *Vir Experientissimus Dom. D. Stahlius, Profess. Med. in Acad. Friderician. famigeratissimus*, cum ibidem studiorum causâ commorarer. Scilicet quærebat ex illo æger aliquis Tabe fere confectus, qui curæ ipsius se submiserat, num fieri possit, ut alimenta ore assumta per vias urinarias egrediantur? Negante atque pernegante Viro peritissimo id secundum naturam possibile esse, æger, se ipsum exempli satis esse regerens, non solum enarrabat, quâ ratione brassicam rubram cum cibis assumtam aliquoties cum urina excreverit, sed & urinam cum contentis brassicæ frustulis oculis subjiciebat: Miratus rei novitatem Vir perspicacissimus ac multa ex illo de variis circumstantiis percontatus, tandem rescíscit, ex gravi contusione lumborum, quam perpessus fuerat ante annos aliquot miserrimus æger, enatum ulcus renum partem adjacentis canalis intestinorum simul corripuisse atque perrodisse, ut pro tali rerum conditione ingesta facilimè pelvim renis ingredi & per urethram eliminari potuerint. Sed hoc in transitu. Ut verò è diverticulo in viam redeam, ex dictis jam facile patere arbitror id quod sub initium asserui, videlicet non arenulas aut calculos, quin potius flatuum irruptiones intar&us illius, unde tantam molestiam tantosque dolores sentit æger, causam esse: quod præterea ipsæ quoque, quæ circumstant, conditiones, dispositio nimirum hæreditaria, arenularum defectus, tumor renittens, levamen à me-

dicamentis carminativis discutientibus, confirmant. Ubi tamen quantum ad carminativa attinet, monendum existimo, me per illa hic non intelligere acria illa volatiliora sulphurea, pro talibus vulgo habita, quæ commotionem ac turgescentiam humorum & flatuum impetum intendendo inflationes tales potius adaugent quam reprimunt; quin potius temperatiora, quæ φλόγωσιν viscerum, ut *Wedelius* alicubi loquitur, à salinis & nitro sulphureis particulis fotam, temperant atque indolem & vim humorum figunt ac demulcent: qualia sunt nitrosa, cinnabarina, omnia acido-acria, nec non blandè oleosa, quorum enumerationi supersedere malo, ne, quod in proverbio, ὗς τὴν Ἀθηνην. Id solum adhuc attigisse licebit, omnia, quæ quod fomes est & retinaculum flatuum, ramosum, implicatissimum contextum destruunt, utramque hic complere paginam: quò nomine novum illud genus remedii, Folia videlicet Acmellæ, seu, quemadmodum Celeberr. nostri temporis Botanicis audit, Chrysanthemi bidentis Ceilanici, de quo *D. Chr. Max. Spenerus, Ep. de* Mur. *Marin. & Breynius Fil. sub Præsid. D. Dekkers de Rad. Ginsems.* Nisi & ex aliis *D. Valentini in Mus. Museor.* modo ipsorum copia fieri nobis posset, plurimum utilitatis in hisce morbis præbere posse putem: particulis enim, quibus confertissima sunt, tenuibus, penetrabilem, quamvis subtilem nec sensibus ita obviam, acritudinem recondentibus, pituitæ vitreæ implexum, mirum quantum, perfringunt, concerpunt, dissolvunt, quibus etiam in acceptis ferenda est decantata illa vis ipsorum Antinephritica & Lithontriptica, quam Celeb. *Dekkers* Lugduni Batav. satis mihi collaudare non poterat; neque id sanè gratis aut temerè: ipse enim pluribus, Berolini apud Amicissimum Dom. *D. Spenerum Medic. Regium & Academ. Scient. Colleg.*, edoctus experimentis, testari possum, quid medicamen hoc, in Nephritide miserrimè decumbentibus, præstiterit emolumenti, & proinde laudatum modò Virum, ab hominibus in magnâ dignitate constitutis, ut expertæ virtutis re-

medii

medii copiam ipsis, quovis ære redimendam, faceret, majorem in modum cupidissimè flagitatum ipse coram vidi.

Objiceret verò aliquis, ut id quoque adhuc addam, hoc malum ex omni parte Nephritidem referre, similia vero phænomena & symptomata similem ex consequenti innuere morbum: Respondeo concedendo similitudinem quoad effectum, non qnoad causam & medendi methodum. Atque hæc similitudo morborum solertissimis aliquando imposuit Practicis. Colica calculi ac nephritici doloris habitum mentita ipsi *Galeno*, quod ille de se ipso candidè profiteri non erubescit, aliquãdo fucum fecit, utut diffitendum haud sit binos hosce morbos quandoque concurrere, atque viribus unitis, ex condicto quasi, corporis integritatem convellere, ut colica nephritica Medicis res adeò inaudita non sit; quos nec ratio hic destituit, cum viscidi utrinque potiores sint partes; unde etiam propinquior illa, quâ se invicem attingunt, necessitudo. In facili hinc est perspicere, quanti faciendũ sit discrimen illud inter signa morborum & signa causarum, quantumvis ad illud inveniendum multa sæpe sagacitate opus sit. Neque adeo novum est unius rei plures esse posse causas; cum enim jam extra omne dubium sit, flatus ureteres partesque vicinas ita extendere posse ac si re verâ calculis, arenulis, vel urinâ essent infarcti, quid ergo similes eosdem dolores & symptomata inferre posse hæsitabimus? quamvis non negaverim calculorum ac arenularum asperitatem dolores magis exacerbare ac exquisitiores reddere, ita ut ægris sæpe videatur ac si aliquis culto acutro vulnus profundum secundum longitudinem lumborum ipsis infligeret. Tristissimum hic *Sperlingii, Profess. quondam Wittebergensis*, fatum ad animum revoco, qui, quoties naturam reddendam, quæ tamen minime sequebatur, sollicitabat, de acerbissimis ejusmodi doloribus conquestus est, in cujus deinde exenteratione, post mortem mox insecutam instituta, ureteres à suo circa renes exortu usque ad vesicæ valvulam (ita loquitur citatus modo Vir Clarissimus, at verò cultior hodiè Anatome valvulam illam non agnoscit) imma-

ni arenulatum copia & farciminis instar turgidi visi sunt, ceu *D. J. Dan. Major in Histor. Anatomica de illis calculis conscripta*, memorat. Hinc mirum non est tanta eundem ischuria (qua etiam periit) laborasse, ut jocatus in hoc fatum valetudinis dixerit, se nunc vivere verè vitam passeris, unde cognominaretur, cum aves bibant nec mingant, simul addens: quid mihi igitur refert illud nomen esse, nisi fato hoc probo? Ac quomodo ille quoque apud *Plautum*

Nolo ad vesicam quod eat, in ventrem volo,

alludens ad laxiorem alvum ab ☉ illuc ruente subortam. *Schneiderus Lib. III. de Catarrh. Cap. 3. & ex eo Bonet. in Sepulchret. L. III. Sect. XXIII. p.* 607. similem ferè notatu dignissimam observationem, ubi uteteres ultra modum extensi ac calculis farciminis instar infarcti fuerunt, licet, quod rarissimum, semel tantummodo in vita de doloribus conquestus fuerit æger, Filius Tuus Clarissimus summo in Medicina honoris gradu propediem condecorandus (quem Deus porro provehat, protegat) in elegantissima *De Ossium Crepitu Dissertat. Inangural.* cum eruditis communicavit. Idem ab ☉ purulenta fieri posse, præter alias observationes (quales etiam Celebris ille Anglorum Professor *Edoardus Tyson* vid. sis. *Act. Erudit. Lipsiens. Ann. LXXXVIII. Mens. Maj. p.* 280. & *Grœnvelt Litholog. pag.* 28. consignarunt) hic locorum peracta superiori anno calculosi dissectio docuit. Laboraveratis calculo renum, qui renes vulnerando in causa fuit ut pus copiosum cum ☉ excerneret æger. Nescio verò qui factum, ut, præcluso huic materiæ exitu, urinæ fluxus simul steterit, quæ sine dubio in ureteribus restagnans eosdem adeò extendit, ut intestinum aliquod amplitudine æquaverint, calculo aliquot lodonum in fundo vesicæ simul reperto.

Verum alienis plus æquo turgescit pagina rebus; ne autem diutius in Tempora Tua cultissimasque Musas sim injurius, incomptiorem crenam cohibeo & omnia judicio Tuo

Per

Per varios casus, per tot discrimina rerum
subactissimo, ea, qua decet, modestia, submitto. Dignare modò hos qualescunque conatus ea, quam animo jam præcepi, fronte & quod fortassis levitatis subest, vel in iis desiderare posses, affectu perenni emendare atque supplere ne gravare. Vale Hassiæ nostræ columen atque decus, & inter Medicorum hujus ævi Coriphæos publico artis nostræ ægrotorumve bono diutissime superstes, hunc favore Tuo complectere, qui æternitatem nominis Tui juxta ac immortalia merita seriò veneratur & colit. Dab. Giessæ, pridie Calendas septembr. CIↃ IↃ CCIV.

Magnif. Tuæ Excellent.
Observantissimus
J. M. VERDRIES,
Gissensis.



CAPUT VII.
DE
AFFECTIBUS VESICÆ URINARIÆ.

§. 1.

Inter affectus vesicæ ad Chirurgos & Operatores pertinentes frequentissimus est

CALCULUS VESICÆ,

sæpissimè nonnisi sectione curandus, quam prius EXPLORATIO CALCULI præcedere debet, à *D. Ravvio* ita peragi solita,

ta, ut *ab Anonymo in itinere Anglico & Batavo p.* 120. describitur verbis seqq. Die 21. 1707. veniebat ex pago Cromenic puer 16. annorum, incontinentia urinæ ac doloribus in regione hypogastrica enormibus laborans. Indicia aderant calculi, quo de ut certus esset Præceptor noster, seq. modo explorationem instituebat: Prostrati ac resupinati in pavimentum pueri, caligis exuti, virgam læva apprehendebat, ac dextra catheterem incurvatum consuetum, ℴ℘. prius madefactum, in urethram intrudebat, eô quidem modô, ut catheteris pars incurvata primò perinæum versus duceretur, donec usque ad os pubis venerat, quô in locô sensim catheterem invertebat, ita, ut partem incurvatam in cavitatem ventris dirigeret, atque ita in vesicam ipsam statim penetrabat. Nobis tunc etiam tractandi catheterem atque explorandi in hoc subjecto calculum copiam dabat, & facillimè quidem, motô hinc inde cathetere sentiebamus lato satis ac grandi calculo eundem insistere. His peractis promittebat sectionem mense Martio, remittente frigore hyberno, peragendam, atque interim patienti potum lactis calidi, loco potûs ordinarii, injungebat. Causam autem incontinentiæ urinæ à magnitudine calculi, parietes vesicæ continuò prementis, unde nunquam desinens vesicæ contractio atque involuntaria mictio, deducebat. Hanc explorationis calculi operationem præterire nolui. Sciendum enim, non minimam dexteritatis Chirurgicæ laudem in apta calculi exploratione poni, nec omnibus cum cathetere dextrè procedere datum esse. Ipsam autem *Lithotomiam* sic instituebat: Die 17. Febr. Anni 1707. ego & *Dn. Wickham* Anglus, proficiscebamur cum Præceptore nostro, *Dn. D. Ravv* Cromenicum, pagum in ditione Harlemensi situm, ubi in puero illo, quem nuper exploraverat, calculi sectionem in præsentia duorum dicti pagi Chirurgorum ac Consulis seq. modô administrabat. Instratis arculæ, sesquipedali altitudine à pavimento prominentis, duobus pulvinaribus, quorum alterum altero ex parte erat superimpositum, stratoque super his mantili duos cubitos lato, quod in ante-

riori

teriori arculæ parte pavimentum ferè dependens attingebat, puerum vestimentis usque ad indusium exutum, atque inventre fascia ligatum ita locabat, ut posteriora ejus altius ferè, quam ipsum caput essent posita. Tunc utrique pueri brachio circa carpum injiciebat vincula ex lanâ parata, quibus, repressis aliquantum pueri genubus, pedibus ejus manus alligabat & firmabat. Pedes ex utroque latere manu prehendens famulus divaricabat aliquantum, aliis duobus parastatis caput & ventrem pueri stringentibus, ne loco moveretur.

His præmissis & puero ita locato, ut posteriora ejus arculæ oris incumberent, *D. Ravv*, inflexo altero saltem in pavimentum genu se ante ægrotantem sistebat, catheterem communem oleo madefactum virgæ intrudens, calculum denuò explorabat, mox eundem extrahens alium sulcatum immittebat, adeò profundè quidem, ut in perinæo digitis eundem sentire posset, mox incisionem in sinistra perinæi, quatuor digitos à tuberositate ossis ischii & digitum latum ab ano scalpello faciebat, quem incisionis locum catheter monstrabat, versus perinæum depressus. Erat autem scalpellum foliatum, pollicem ferè latum, lanceolam communem figurâ exprimens, quod fasciola ita involutum erat, ut articuli digiti altitudine cuspis ejus denudata saltem emineret. Facta hac prima per cutem, pinguedinem & musculos incisione, itinerarium applicabat, & super hoc scalpello in collum vesicæ usque penetrabat: tunc scalpellum vulneri infixum manu firmiter tenendum mihi tradebat, ipse autem interea forcipem arripiens eandem inter itinerarium ac conductorem, extracto prius scalpello, intrudebat, dilatatisque per dicta duo instrumenta vulneris labiis prehensoque cum forcipe calculo feliciter eum extrahebat. Erat autem calculus extractus ovi gallinacei minoris magnitudinis, sanguine madidus, atque ex altera parte tenuissima membranula obductus, ubi forte cum vesicæ latere aliquantum coaluerat, sphæricæ de cætero ferè figuræ) ac saxi crassioris arenosi ad instar inæqualis. Vulneri spongia deterso nil nisi lintea

carp-

carpta applicabat idemque obligabat, impoſito ſaltem plumaceolo. Ita obligatus ægrotans lecto immittebatur, natibus autem pulvinar avena infarctum ſubſternebatur, ut ▫ ex vulnere ac fæcibus ex alvo excipiendis inſerviret. Feneſtras cubiculi claudere jubebat, ne lux ægrotanti quietem impediret. Pro concilianda autem hac emulſionem anodynam pro lubitu uſurpandam porrigebat.

Poſt operationem lecto jam traditus de doloribus intenſiſſimis in glande penis querebatur calculo liberatus, quod per conſenſum accidit omnibus, quem urethræ membrana cum interiori veſicæ habet.

§. 2.

Die 7. Martii aliam LITHOTOMIAM ab eodem meo Præceptore in puero Hebræo ſeptenni adminiſtratam vidi, in qua præter jam enarrata nihil ſingulare, niſi quod inteſtinum rectum ſæpius inter clamores patientis prolaberetur, quod ſemper oleo madefacto digito reponebat, ne in operatione impediretur. *vid. loc. cit.*

§. 3.

Aliâs omnia quæ ſubjectum, tempus, objectum & modum operandi ſpectant, elegantiſſimè & pro more ſolidè expedivit *Dn. D. Nebelius*, Archiat. & Prof. Heidelbergenſis Famigeratiſſimus, *in Diſp*, quadam *de Lithotomia* Anno 1710. habita.

Quoad ſubjectum, operationem hanc in hominibus juſtæ ætatis, puerilis ſc. juvenilis, virilis & ſenilis viridis inſtituendam eſſe docet. In decrepitis enim, infantulis & gravidis ſectionem hanc feliciter ſucceſſiſſe rarum eſt. Econtra in pueris & adoleſcentibus, quibus ſanguis purior eſt & ob pleniorem victum gelatinoſus, vulnus citius conſolidatur, nec tam facile, ut in ſenibus, in ULCUS aut FISTULAM abit. Unde C. *Celſus de Medicin. l. 7. c. 26. p.* 475. lithotomiam in eo ſaltem corpore adminiſtrandam eſſe voluit, *quod jam novem annos, nondum quatuordecim exceſſit*: admittit tamen eandem provectior quoque ætas, quæ non

non tam annis, quàm robore corporis æſtimanda eſt. Multa enim exempla proſtant hujus operationis felici cum ſucceſſu in illa ætate paractæ apud *Fabr. Hild. de Lithotom. P. Foreſt. l.* 25. *c.* 25. *Tolet. & Dionis* aliôsque; imò pluries lithotomiam in uno eodemque viro feliciter adminiſtratam legimus in *Miſcell. Nat. Cur. d.* 2. *a.* 1. *obſ.* 177. Poteſt autem Lithotomia in utriusque ſexus hominibus tutò fieri, & quidem facilius in fœminis, quibus calculus unus vel plures, etiam ſat grandes, quandoque ſua ſponte, ſæpius verò magnis cum doloribus atque conatibus per breviorem & patentiorem, ſummeque ſubinde dilatatam urethram prodeunt, nullis adhibitis inſtrſtmentis, niſi ſolis forte digitis, quibus veſicæ collum dilatatur atque ita calculorum exitus promovetur, uti hoc factum à vetula Marburgenſi, quæ lapidem plurium unciarum ex veſica ſic feliciter produxit aliisque inſpiciendum exhibuit. Talem, ſed minorem, & caſtaneæ ſimilem poſt balnei paucorumque remediorum uſum à fœmina citra ſectionem excluſum vid. in *Miſcell. Nat. Cur. Dec.* 3. *a.* 9. *&* 10. *Obſerv.* 242. Conf. *Obſ.* 7. *d.* 1. *a.* 6. *&* 7. ubi de calculo cum fragore excluſo & *obſ.* 195. nec non *d.* 2. *a.* 2. *Obſ.* 181. Quibus autem fœminis calculus hoc modo extrahi non poteſt, ob majorem illius craſſitiem vel aſperitatem, aut urethræ anguſtiam, iis vel adhibita forcipe protrahendus, vel admoto cultello urethra cautè incidenda, quò is facilius educi queat.

§. 4.

Quoad tempus, quo Calculus opportunè exſcinditur, eſt aliud electionis, & aliud neceſſitatis: Illud, quod dilationem operationis in iis admittit, quibus calculi cruciatus per intervalla redeunt, nec vitæ periculum per moram inferunt, eſt, ob temperiem, vernale, quo ſolo lithotomiam inſtituendam eſſe ſuadet *Celſus l. a.* Hoc verò eſt quodvis aliud anni tempus, quo dolor continuus partium affectarum, ſtranguria, iſchuria &c. vehementer urgent & neque pharmaceuticis, neque diæteticis præſidiis mitigari vel auferri poſſunt; ipſeque æger opem Chirurgicam expetit & ultima quævis experiri, quàm extrema cum

mortis periculo expectare mavult: præsto quoque est artifex expertus, qui facta prius debita calculi vesicalis exploratione, lithotomiam in ægro tutò perfici posse pronunciat, nec quicquam obstare videt, quod illam dissuadeat: cavendum tamen, ne, si fieri possit, diebus canicularibus aut fervidiore anni tempore, quo vulnus graviorem inflammationem & verminosam gangrænam facile contrahit, calculi sectio instituatur.

§. 5.

Objectum autem Lithotomiæ non solum est calculus unus vel numero plures, sed etiam aliæ res duriores deglutitæ, vel urethræ altius immissæ, vel denique vi externa per vulnera, plagas atque casus violenter corpori impactæ: tumores item in vesica urinaria prognati, qui subinde cortice lapideo tecti calculum mentiuntur & sui remotionem exigunt. Sic *Joh. Matth. Hess. hist. rar. cap.* 1. meminit parvi cujusdam clavi fortè deglutiti, posteaque calculo obducti atque ita è vesica extracti: & *Proby. in Transact. Angl. mense Januar.* 1700. *p.* 455. refert, se Virgini Dublinensi, cui acus crinalis eburnea faucibus altius intrusa, digitisque elapsa in stomachum descenderat, & paulò post in vesicam urinariam ex parte penetraverat, frustrà tentatâ illius extractione per forcipem in cervicem vesicæ immissam, tandem facta sectione in parte externa musculi recti abdominis in vesicam usque, acum, in parte obtusa, qua in vesica hærebat, materia calculosa incrustatam, feliciter eduxisse, vulnusque ritè tractatum consolidasse. Flagri funiculus forte cum aqua haustus & in vesica postea hærens, arenulisque obductus, à lithotomo dextrè exemptus legitur in *Miscell. N. C. d.* 2. *a.* 1. *Obs.* 142. *Molinetus* Patavii calculum ad ovi magnitudinem circa acum osseam in vesica collectum publicè ostendit, quam puellæ Venetæ extraxerat; acus autem illa per annum in vesica latuerat, in quam, dum eâ se fricaret puella, è manibus præter opinionem elapsa erat, ceu scribit *H. à Moinichen* in *Th. Barthol. Epist.* 87. *cent.* 2. Narrat etiam *Th. Alghisi l. c.* se quandam fœminam, quæ candelam parvam ceream incautius per urethram

in ve-

in vesicam immiserat, ab eadem, crustâ calculosâ jam obducta & in superficie exiguis crystallis cincta, liberasse. In cive Basiliensi calculum, vesicæ firmiter inhærentem, omn m lithotomi operam elusisse & in medio ejus globulum plumbeum conspectum fuisse, quem in juventute per vulnus inguinis exceperat, C. J. *Segerus* scripsit ad *Th. Bartholin. cent.* 3. *epist.* 35. Conf. *Tolet l. c. c.* 5. ubi ferri frustum calculo obductum à se ex vesica militis exsectum esse commemorat. Tumorem scirrhosum vesicæ innatum calculi loco, per Lithotomiam feliciter ablatum paulò post sub aëre externo obriguisse, *Pechlin. l.* 1. *Obs.* 3. tradit. Corpus membraneo-calloso-osseum cum calculo unciarum octo totam ferè cavitatem vesicæ replens, quod à lithotomo non poterat aufferri describit. *G. Detharding. in Miscell. N. C. d.* 3. *a.* 9. & 10. *obs.* 31.

§. 6.

Ipsorum calculorum in vesica hærentium magna datur varietas, tum ratione numeri, quando unus vel plures simul ibidem reperiuntur, tum ratione magnitudinis, figuræ, coloris & substantiæ s. materiæ, ex qua componuntur, tum denique respectu ipsius loci, in quo latitant. Calculum vesicæ ovi pavonis magnitudinem ferè adæquantem, asperum & acuminatum durissimumque in pueri decennis vesica post mortem vidit *Tim. à Güldenklee l.* 3. *cas.* 31. In octuagenarii vesica calculum rotundum, oblongum atque lævem quatuordecim unciarum, per cujus anteriorem partem ex dilatato uretere defluens urina sibi canalem effecerat, deprehendit *C. Patin.* ceu testatur in *Miscell. N. C. d.* 2. *a.* 1. *Obs.* 19. Lapidem sex uncias pendentem, ovalem, album, glabrum, non valde durum, qui formâ & magnitudine ovum majus gallinaceum referebat & appendicem instar angusti colli prominentem habebat, obstetricante manu sibi protraxit mulier natu grandior, de qua vid. *Act. Med. Hafn. vol.* 4. *Obs.* 83. Tres lapides avellanæ magnitudine ex meatu urinario, & quatuor alios granulatos coloris lutei è vesica pueri septennis per lithotomum extractos fuisse in *Miscell. N. C. d.* 1. *a.* 2. *obs.* 141. refertur. Quatuor calculos

ouales, & plures alios minores variæ formæ in demortui Illustrissimi Comitis Lippiensis *Augusti*, quondam Copiarum Hassiacarum Ducis fortissimi, vesica repertos esse novi. Lapidem XIX. unciarum cum tribus drachmis, aliumque XXV. unciarum cum dimidia, canali artificiosè à natura instructum J. *Groenevelt dissert. Litholog. art.* 16. *& in postscript.* trium denique librarum totidemque unciarum J. *B. Verduc. T.* 1. *c.* 11. in vesica humana deprehenderunt. Viginti lapillos vesicæ pisiformes, albos atque glabros, crenâ hiloque distinctos ex perinæi abscessu disrupto in puero prodiisse *Pechlin. l. c. Obs.* 7. tradit, simulque alios priapoides à se visos commemorat. Calculum humanum mori maximi forma, ut & octangulares plurimos, imò pugni magnitudine *Ruysch.* asservat in suo *Museo*, vid. *Catal. ejus p.* 81. *&* 108. De calculo vesicæ figura pullum anserinum referente agunt *Miscell. N. C. d.* 1. *a.* 3. *obs.* 19. quæ etiam *d.* 2. *a.* 6. *obs.* 75. de alio infantis forma prædito & & à Celeb. *Joh. Dolæo*, Archiatro Cassellano b. m. in hortulani aulici filio duodecim annorum deprehenso mentionem faciunt. Cum urina excretos lapides figurâ, substantiâ & colore carbonibus similes recenset *D. Panarolus pent.* 5. *obs. med.* 6. crystallinæ verò duritiei atque splendoris unum cum urina emissum refert *S. Reisel. Misc. N. C. d.* 1. *a.* 8. *Obs.* 29. & alium consimilem octangularem ac politum cum pluribus è vesica vetulæ viventis excisum, annuloque aureo inclusum *Ruysch.* in *Museo* habet *vid. l. c. p.* 91. Quidam calculi vesicæ molliores sunt & fragiles, ex plurimis arenulis ab intermixto muco conglutinati, qui extra corpus demum indurescunt, porosi, minores & leviores fiunt, qualis ille fuit, cujus mentio facta in *Act. Med. Hafn. l. c.* Alii verò duriores sunt & planè silicei, fractuque difficiles. Hærent autem hi calculi vel in cavitate vesicæ, vel inter illius tunicas circa insertionem ureterum, qui dum obliquo ductu in vesicam hiant, eo in loco, ubi per illius tunicas transeunt, quandoque ob hanc suam inflexionem & angustiam, lapillos è renibus descendentes & angulosos vel hispidos ægrè transmittunt, unde nonnunquam fit, ut lapilli

diutius illic hærentes pungentibus ſuis angulis ſibi viam faciant per ureterum membranam, quam perforant & inter veſicæ tunicas ab urina defluente (cooperante fibrarum, quibus ureteres & veſica gaudent, motu contractorio) propulſi diverticula inveniant, in quibus ab allabentis urinæ ſalibus cum fibrarum veſicalium ſucco nutritio ſenſim adhærentibus augmentum capiunt, atque ita in calculos quandoque ſat grandes excreſcunt, imò vicinas veſicæ fibras nimis premendo vel dilacerando, humorumque effluentium ſtaſin ac corruptionem inferendo, ulcus producunt, id quod exempla in *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Anni* 1702. *p. m.* 29. relata confirmant. In Celeb. *Iſaaci Caſauboni*, calculi doloribus defuncti, veſica craſſa & admodum ſpiſſa, factâ ejus ſectione, multæ cavernulæ conſpectæ ſunt, quæ plurimis lapillis ſubrotundis ſcatebant; has ab ipſis lapillis ureteres perforantibus & inter veſicæ tunicas ſubſiſtentibus factas eſſe arbitror, uti hiſtoriam anatomicam in *Bibl: Anat. tom.* 1. *f. m.* 397. attentius legenti patebit. Quodſi & alteram *l. c.* deſcriptam Calculi & caruncularum veſicæ hiſtoriam à *C. Drelincourt. ad D. Vallot.* miſſam expendere libuerit, facilè conſtabit, calculum majorem, qui in Normanni illius veſica prope cervicem inter extremitates ureterum plurimis carunculis circumvallatus hærebat, & minorem nigrum, tritici grano ſimilem, qui in una caruncularum latitabat, ipſamque materiam tartaream, quæ interiori veſicæ ſubſtantiæ firmiter impacta fuit, ac ſcirrhos quodammodo retulit, ex perforatis ureteribus ea in parte, quâ veſicam ſubeunt, inter hujus membranas cum urina penetraſſe & ibidem ſenſim accreviſſe, fibraſque veſicales adeò attriviſſe, ut ex iis dilaceratis exſtillans ſuccus gelatinoſus ſenſim in illas carunculas condenſatus fuerit, quibus uterque calculorum obtegebatur. Quandoque lapides in veſica hærentes pondere ac hiſpida ſua ſuperficie ita premunt & erodunt illius tunicas, ut hæ inflammatæ, exulceratæ & tandem perforatæ calculos ad vicina loca, & præcipuè perinæum tranſmittant, ubi dein abſceſſus exoritur, è quo rupto vel inciſo illi tandem prodeunt, ſicuti hujus rei exempla legimus

in *Misc. N.C. d.* 1. *a.* 2. *obs.* 142. *a*, 6. & 7. *obs.* 206. *d.* 2. *a.* 1. *Obs.* 15. & *a.* 3. *Obs.* 174. Liberi plerumque in vesica sunt calculi & ad illius collum sæpius in erecto commotoque corpore provolvuntur. Interdum tamen vesicæ fundo vel lateribus, interventu membranæ, quæ nonnunquam calculos planè obvolvit, vel intermediis fibris carunculisve tenaciter adhærent, quod notavit *Tulp. l.* 3. *obs.* 5. *Drelincurt. l. c.* & *Pechlin. l.* 1. *obs.* 2.

§. 7.

Solet quidem Lithotomia pro vario corporis humani loco, in quo calculi hærent & facta sectione extrahuntur, distingui I. in *Nephrotomiam* s. calculi è renibus excisionem, quam *Hippocrati* notam fuisse quidam ex illius libro *de internis affectionib. c.* 15. §. 19. ubi sectionem juxta renem tumidum & suppuratum suadet, conjicere volunt, ego verò Nephrotomiam summè periculosam, imo exitialem & hinc nunquam tentandam esse judico: 2. in *Cystotomiam* s. Lithotomiam vesicæ, de qua hic agitur: Et 3. in *Urethrotomiam* s. canalis urinarii sectionem, quæ necessaria nonnunquam est, si calculus paulò major vel angulosus & asperior è vesica elapsus in urethra substiterit ac ischuriam induxerit. Sed cum in hac Dissertatione saltem de calculorum è vesica excisione agere decreverim, Nephrotomiam & Urethrotomiam nunc studio prætermittam.

§. 8.

Modus Lithotomiam in vesica administrandi varius est, pro instrumentorum, quibus hæc sectio & extractio calculorum perficitur, ut & loci, cui infligitur vulnus & ex quo educuntur calculi, nec non ætatis atque sexus diversitate, unde alius dicitur *Apparatus minor*, qui in perinæo paucioribus instrumentis fit; alius *major*, qui ibidem pluribus; & alius denique *altus*, qui in loco altiore, pubis scilicet regione infra umbilicum, peragitur. Lithotomia minoris apparatus, *Celsistica* quibusdam nominatur à *C. Celso*, qui *l. c.* eam accuratè descripsit, uti olim à veteribus facta fuit: majoris verò apparatûs, *Mariana* vocatur, a *Mariano* *Sancto*,

Sancto, Medico Italo, qui in peculiari libello Venetiis 1535. excuso hanc operationem exactè delineavit, ut ut ante eum *Johannes de Romanis*, Medicus Cremonensis, istam calculum extrahendi methodum invenerit & anno 1520. Romæ felici cum successu in usum vocaverit, teste *Dionis l. c. p.* 149. alti denique apparatûs, *Franconiana* dicitur ab auctore *Petro Franco*, quondam Chirurgo & Lithotomo Lausannensi exercitatissimo, qui eam in puero bimulo, cujus calculum ovi gallinacei magnitudine deorsum ad vesicæ collum detrudere atque ita apparatu majori vel minori è secto perinæo extrahere non poterat, urgente necessitate feliciter instituit, uti retulit in tr. *des Hernies c.* 33. neque tamen quemquam hujus rei imitatorem esse voluit, quin potius candidè monuit, ut alius operandi observetur modus, à se quoque inventus & feliciter sæpius administratus, quo calculus per vulnus jam in perinæo debitè factum, non statim, nisi per se compareat, sed aliquot diebus post, cum res ægri melius habent, aptis tenaculis extrahatur, quod etiam suadet *Frid. de Learson* in *Operat. Chir. c.* 10. de quo sectionis modo fusius in seqq. agam. Pro diversitate de quo sectionis modo fusius in seqq. agam. Pro diversitate denique sexus partium generationi inservientium, in quibus excisio calculorum fieri solet, nec non ætatis, Lithotomia variat, adeò ut alio modo in maribus, alio in fœminis peragatur. In maribus quidem æquè ac fœminis Lithotomia minoris ac majoris, ut & altioris apparatus locum habet, sed tantum in pueris apparatus minor, viris verò major frequentius, in utrisque altior rarius administratur: in fœminis quandoque solo instrumento dilatatorio urethra extenditur & calculus, si minor fuerit, duobus digitis ano vel vaginæ uteri immissis, ad vesicæ collum provolvitur, posteaque obtuso unco vel forcipe, nullâ sectione factâ, extrahitur: ubi verò calculus grandior est, quam ut per urethram dilatatam educi possit, majori instrumentorum apparatu opus est, & prius catheter sulcatus atque rectus, vel conductor cum dilatario in vesicam immittendus, dein urethra dilatata scalpello dextrè admo-

to

to paulatim incidenda, calculusque tenaculo idoneo cautè protrahendus eſt.

§. 9.

Antequam autem hæc operatio fiat, de calculi veſicalis præſentia & qualitate certus eſſe debet Lithotomus, id quod ipſi ex ſeqq. ſignis patebit. 1. Dolor gravativus in pube & perinæo moleſtus eſt, qui poſt quemvis, præſertim vehementiorem corporis motum intenditur & continuum graviſſimumque veſicam & alvum exonerandi conatum infert, adeò ut calculoſi tunc egeſturiendo mejant, & mejendo egeſturiant, iteratisque vicibus parum ſemper urinæ excernant, imò ab urgente teneſmo nonnunquam in ætate puerili prolapſum ani patiantur. 2. Pruritus in glande & radice penis, quem pueri præſertim, manibus ſubinde contrectant atque fricant ob doloris moleſtiam, ſimulque illius involuntariam ac momentaneam erectionem quandoque ſentiunt. 3. Urina modò tenuis, cruda, aquoſa vel albida, modò turbida, lactea, viſcoſa, ſæpius & parcius cum ardore & difficulcultate excernitnr, repoſita verò ſedimentum album, mucoſum, ſabuloſum & ſubinde, rarò cruentum, deponit. 4. Urinæ, dum ita emingitur, ſubitanea ſuppreſſio, quæ fit, cum calculus in erectis vel inclinato corpore ſtantibus ad veſicæ collum devolvitur, & ceſſat in ſupinè jacentibus. His ſignis addenda 5. Exploratio ipſius calculi, quæ fit à Chirurgo vel digito indice, prius oleo oliv. imbuto & in anum maſculorum aut vaginam uterinam mulierum immiſſo, quo calculi præſentia, magnitudo & mobilitas in veſica adjacente per inteſtini recti vel vaginæ uterinæ tunicam ſolo attactu detegitur; vel cathetere idoneo, itidem oleo oblito & per ntriusque ſexus urethram in veſicam adacto, quo mox in omnem pârtem cavitatis illius verſo inquiritur calculus & fortè obvius ex ſonora renitentia cognoſcitur. Quoniam autem hoc fallax calculi indicium, ſi quidem tumor veſicæ cruſtra lapidea obductus, aut interior illius membrana tartareâ materia tecta catheterem cum ſonitu repellat, calculus autem tenaci muco vel

molli

molli involucro cinctus, aut inter veſicæ tunicas hærens id non faciat, ideò à prudenti Medico & Lithotomo in exploratione calculi, quæ per catheterem fit, probè obſervandum & attendendum eſt, num immiſſus & ad calculum alliſus catheter acutum atque tinnulum ſonum edat, quod fieri ſolet, ſi calculus ſiliceus & nudus in veſica latitat: an verò obſcurum ſaltem, quod tartarei & friabilis concrementi in veſica collecti, vel ejus tumoribus internis adnati eſt indicium. Si veſicæ interior tunica tartaro undique obducta fuerit, difficilius contrahitur, & tunc catheter paulo liberius in omnem illius cavitatem verti poteſt, duriusque impulſus ſonum minus acutum fundit: at ſi calculus inter veſicæ tunicas hæret, aut membrana obvolvitur, durum quidem & inæquale quid catheteri occurrit, ſed nullum reſonitum edit. An autem tumor ſcirrhoſus vel corneus, anne calculus ſuo folliculo incluſus adſit, dijudicatu difficilimum eſt; variat enim in tumoribus illis durities modo major, modo minor, quæ admoto cathetere exactè dignoſci nequit. Magnitudo quidem, aſperitas, mobilitas & numerus calculorum in veſica deliteſcentium ſpecillo quodammodo explorari, nihil tamen certi de illis pronunciari poteſt, quia diutinam iſtam inquiſitionem veſica haud facile ferre ſolet, uti bene monuit *Celſus l. c. & Pechlin. l. 1. Obſ. 2.* Miror hinc, Medicos Siculos adeò felices fuiſſe in deſcribendo numero & magnitudine calculorum, quos *Carpunccii* JC. Patavini nepos in veſica collegerat, ut poſt illius mortem totidem calculi eadem reperti fuerint magnitudine, qua Medici Siculi præſagierant, id quod ſpecilli ope factum eſſe *Th. Bartholin. cent. 5. hiſt. anat. 57.* recte divinavit. Impeditur autem quandoque Chirurgus, quo minus cathetere inquirere poſſit in latitantes calculos; cum ſcilicet pueri ob corporis teneritatem & urethræ anguſtiam iſtud ſpecillum non admittunt, vel ſi ſphincter veſicæ ob inflammationem à calculo natam ſpaſtice conſtrictus eſt, item ſi veſica cum inteſtinorum parte in hernioſis prolapſa fuit, cujus rei exemplum recenſet *Steph. Blancard. Anat. Pract. cent. 2. obſ. 77.* vel

cum vesica duplex est s. septo membranaceo distinguitur, aut in plures cellulas sacculosve dividitur, in quibus calculi delitescunt. *Vid. C. Bauhin. Theatr. Anat. l. 1. c. 31.* & *Biblioth. Anat. tom. 1. l. c.* si ulcus in vesica vel vicinis partibus simul adfuerit, ichoris purulenti cum vel sine urina è genitalibus profluentis signa sese prodent; quodsi verò calculus è vesica ad proximas partes sibi viam fecerit, dolor, tumor, inflammatio & tandem exulceratio ibidem molestiam creabunt. Hæc signa una cum aliis circumstantiis, quæ in individuis admodum variant, probè considerare & expendere debet Medicus atque Lithotomus, ut sciat, num parvus aut magnus, friabilis aut durus, lævis vel asper, liber aut vesicæ adhærens, unus vel plures calculi, cum vel sine tumoribus, aliisve rebus durioribus in vesica latitent, quo eo melius dijudicare possit, an lithotomia citra periculum administrari queat.

§. 10.

Quando igitur ex signis relatis certò constat, calculum unum vel plures in vesica urinaria hærere, qui ob magnitudinem vel asperitatem duritiemque remediis pharmaceuticis & diæteticis tuto expelli vel comminui nequeunt, ab artifice verò per sectionem dextre factam tolli & extrahi possunt, hæc operatio in illis, qui eam patienter sustinere malunt, quàm calculi cruciatus diutius perferre, non differenda est, maximè si commodum secandi tempus, quod vernum est, & speciatim Majale, instat, expertusque Lithotomus adest, qui sectionem cum Medico suadet: ubi verò alio anni tempore calcui, nimia accretio metuenda, si operatio in futurum ver differatur, vel stranguria, ischuria, tenesmus & alia symptomata valde urgent, vitæque periculum inferunt, ad excisionem quantocyus, consentiente ægro, accedendum, præmissis tamen iis, quæ corpus ad hanc operationem facilius sustinendam disponunt, uti sunt Venæ sectio plethoricis & habilioribus in brachio instituenda: laxatio alvi in cacochymicis: & clysmatis injectio, si

alvus tardior vel obstructa fuerit: frequens inunctio pubis & perinæi cum oleo lil. alb. & amygd. dulc. in pueris minori apparatu secandis necessaria: & conveniens victus ratio, quæ omnia à præsenti Medico præscribi solent. His peractis Lithotomus post aliquot dies, nisi symptomata urgentia omnem moram dissuadeant, horis matutinis idonea cum spongiis, turundis, emplastris atque fasciis, aliisque rebus necessariis ordine disponere, postea ægrum, si puer 4. 5. sex vel plurium annorum fuerit, sub axillis prehendere, corpusque elevatum nonnihil concutere, ut calculus ad vesicæ collum descendat, dein eundem abdomini atque femoribus viri robusti & cordati, in sella sedentis, imponere, ut caput illius pectori, & dorsum abdomini incumbat, crura verò probè diducta sint, sub quibus protensæ viri manus demissa pueri brachia circa carpum firmiter apprehendere & immota tenere debent, quo lithotomo sufficiens locus in perinæo debitè operandi pateat. Vid. *Tolet. l. c. c. 12. fig. 8.* qui tamen hunc collocandi modum improbat, quia unius hominis vires impatientis pueri corpus in debito situ firmiter tenendi non sufficientes esse putat & propterea vult, ut pueris à duobus ministris, ad latera stantibus, crura manusque detineantur, ubi prius in commodam sellam depositi & à tertio ministro, qui à tergo stare debet, humeri impositis manibus bene firmati fuerint, eo plane modo, quem *fig. 7.* delineavit. Sic collocato puero lithotomus sinistræ suæ manus digitum primò indicem, dein & medium, oleo olivarum madefactum, paulatim in anum immittit, ut illis calculum ad vesicæ collum & versus perinæum protrudere possit, quod ut facilius fiat, dextrâ manu regionem pubis blandè premit, donec calculus in perinæi sinistro latere trans cutem sub durioris protuberantiæ specie compareat. tuncque lithotomus cultellum, mediâ sui parte linteolo obvolutum, super hanc prominentiam adigit, rectaque partes subjacentes incidit ad calculum usque, qui mox per vulnus conspicitur &, si minor, sua sponte prodit, vel cochleari seu lapidillo extrahitur, posteaque specillo per

vulnus immiſſo inquiritur, nunc adhuc plures calculi in veſica delitescant, qui ſimiliter educuntur, hocque facto vulnus debitè obligatur & æger quieti traditur. Accidit nonnunquam in pueris & juvenibus, ut calculus in perinæo hæreat ibidemque tumore duro ſe ſe prodat, quo in caſu non opus eſt, ut digitis in anum intruſis, calculus eum in locum adigatur, in quo jam ſubſiſtit, ſed ſaltem manus ſiniſtræ pollice & indice tumor, ſcroto prius à miniſtro elevato & cute tenſâ, apprehendendus, cultroque in ſiniſtra perinæi parte juxta longitudinem incidendus, pro modulo ipſius calculi, qui poſtea digitis eruendus, vel forcipe extrahend⁹ eſt: quodſi tunc plures lapides in veſica ſpecillo detecti fuerint, qui difficilius educi queunt, adhibitis pluribus inſtrumentis eo, quo lithotomia majoris apparatus fit, modo protrahi debent, quod Celeb. Galliæ Lithotomus *Jannotus* & *Toletus* feliciter fecerunt, uti hic tradidit *l. c. c. 14.* Et hæc Lithotomia minoris apparatûs eſt, quæ olim ſola in uſu fuit, hodie autem non niſi in pueris quandoque locum habet, imo à modernis plerisque ut ſummè dolorifica & periculoſam veſicæ inflammationem facile inferens, maximè ſi calculus, ad perinæum digitis valide protuſus, aſperior fuerit, planè rejicitur, majorque apparatus inſtrumentorum in cujuscunque ætatis nephriticis ſecandis in uſum vocatur. Hic in viris ſeq. modo, præmiſſis univerſalibus, adhibetur: Æger aliquoties ſubſilire jubetur, ut calculus ad veſicæ collum delabatur, dein in menſam vel lectum ad hanc operationem accommodatum & à *Toleto l. c. fig. 13.* depictum, ſuppoſitis culcitris haud adeo mollibus, ſupinus deponitur, cruraque ejus verſus nates retracta cum manibus faſciarum adminiculo ita colligantur, ut carpus utrinque cum malleolo, cubitus cum genu firmiter junctus & alligatus ſit; poſtea à miniſtro à tergo ſtante humeri manibus firmiter tenentur & ab aliis duobus miniſtris ad utrumque latus collocatis coxæ diducuntur, ut perinæum ſatis pateat Lithotomo, qui mox catheterem ſulcatum & incurvum, oleo

priut

priut oblitum, quem *Ambr. Paraus Oper. l. 16. c. 44.* & *Fabr. Hild. l. c. c. 14.* aliique delinearunt, per virgam dextrè in veſicam immittit, ejusque extremitate, quæ ſulcum habet, calculum latitantem quærit, quo invento eandem verſus ſiniſtrum perinæi latus dirigit ac nonnihil extrorſum deflectit, ut eo magis ibidem locus nonnihil prominens appareat, in quo ſupra catheteris ſulcum, velut itinerarium, ſectionem cultro jam dicto ad latitudinem duorum vel trium digitorum transverſorum uno ictu facit in principium urethræ ſub collo veſicæ & glandulis proſtatis, adeo ut catheteris extremitas è vulnere prodeat, cujus ſulco ſtatim apicem conductoris concavi, quem Galli *Gorgeret* vocant, & *Dionis. p. 127. fig. 13.* depictum exhibet, manu dextrâ immittit, ſiniſtra vero mox caput catheteris virgæ adhucdum inhærens à ventre nonnihil introrſum deflectit, atque ita hunc conductorem cum extremitate catheteris verſus calculum in cavum veſicæ introducit; hoc facto, catheterem extrahit & ſiniſtra conductorem prehendit, dextra verò tenaculum rectum & in extremitate obtuſum ſuper conductoris cavam partem in veſicam clauſum demittit, eodemque conductore prius extracto, calculum explorat, obviumque diductis illius cruribus cautè excipit & ambabus manibus huc illuc parum agitando educit. Si calculus eſt oblongus, una illius extremitas tenaculo apprehendenda eſt, quia ſic facilius extrahitur: at ſi major eſt, quàm ut protrahi poſſit è vulnere, hoc inſtrumento dilatatorio, cujus fig. in *Dionis l. c.* vid. paulatim ampliandum, vel quod præſtat, cultro admoto magis incidendum, ut leviori negotio educi queat. Major calculus, qui ne ſic quidem aufferri poteſt, forcipe dentatia cautè diffringendus, ejusque fragmenta diligenter lapidillo eximenda ſunt, cavendo tamen, ne veſica ſimul lædatur. At ſi ſiliceus fuerit & forcipe diffringi nequit, nec etiam tutò extrahi, rectius in veſica, præſertim ſi aſper & ſpinoſus eſt, tenaciterque adhæret, relinquitur, quàm cum vitæ periculo violenta manu evellitur. Teſtantur enim exempla à *Pechlin. l. c. obſ. 2.* & *Vit. Ridlin.*

Lin. Med. 1698. Octobr. obs. 4. & seqq. relata, talem calculorum evulsionem fuisse lethalem, quod suo quoque obitu comprobavit *Ol. Borrichius* Celeb. Daniæ Medicus, cui calculus vesicæ major neque per perinæum sectum educi, neque instrumentis diffringi poterat absque præsentissimo vitæ periculo, uti refertur in *Historia Vitæ* illius, quæ *Conspectui Scriptorum Chemicorum* præfixa fuit. In hoc casu, si calculus ob magnitudinem per collum vesicæ extrahi nequit, & sæpius ad illud descendens periculosam ischuriam infert, per vulnus perinæi in vesicæ collum stylus obtusus, & juxta hunc cannula argentea vel plumbea, quæ quatuor digitos transversos longa & unum minorem circiter crassa in una extremitate aliquot foramina, per quæ urina transire possit, altera vero duos annulos traductis cum fascia ventri circumposita connectenda atque ita firmanda est, ut eadem non solum calculus impediatur, ne ad collum vesicæ rursus descendat, sed etiam urina educatur, in quem finem cannula epistomio juxta annulos muniri debet, quo aperiri & claudi, sicque urina pro lubitu emitti possit. Quodsi vero incommoda foret continua hujus cannulæ gestatio, Lithotomia altioris apparatus hic locum haberet. Si plures calculi in vesica deprehenduntur, iidem modo dicto extrahuntur ope tenaculi, quod procurvum esse debet, si calculi è lateribus vesicæ eximendi sunt. At si tenacius vesicæ membranis adhærent, non vi protrahendi, sed in suo loco relinquendi, ægerque in lectum deponendus, ut per unum vel alterum diem quiescat viresque resumat, donec calculi post infusum siphone decoctum hordei & malvæ ab emollitis fibris atque membranis, quibus adhærent, laxius pendentes vel prorsus separati tutius educi queant. Imitandus itaque hac in re est prælaud. *Francus*, cujus methodus calculum aliquot post sectionem diebus eximendi, de qua supra §. 8. egi, in hoc casu cæteris præferenda est. Sæpius enim accidit, ut calculi atque lapilli, qui forcipe primùm exrrahi non poterant, post aliquot dies, soluto illorum nexu ab affluentibus humoribus, sponte per vulnus prodeant, aut tenacu-

lis

lis facilius educantur. Leviori autem negotio hoc fieri poteſt, ſi per vulnus aut cannulam eidem adaptatam liquor emolliens & abſtergens in veſicam calculis adhærentibus gravidam injicitur, quo fibræ & membranæ calculis agglutinatæ citius diſſolvuntur, id quod ante ſex annos Caſſellis obſervavi in juvene ruſtico, cui factâ ſectione in perinæo, per vulnus primò duos majores calculos ex molliorum genere tenaculo eduxi, & licet tunc plures veſicæ fundo adhærentes deprehenderim, eos tamen vi evellere nolui, ſed potius ſequentibus diebus infuſo decocto malvæ tepido emollivi, atque paulatim quamplurimos calculos albidos, læves, multangulares, diverſæ magnitudinis atque formæ cum multis eorum ramentis lapidillo exemi atque ita intra menſem vulnus feliciter conſolidavi. Friabiles calculi ſub tenaculis ſæpius franguntur & atteruntur, molliores que alii, quorum cruſtoſa ſuperficies nondum ſiliceam duriciem acquiſivit, forcipe preſſi exterioris cruſtæ fracturam ſubinde patiuntur, quorum fragmenta atque ſabuloſa materies, qualis plerumque veſicæ muco inhæret, lapidillo cautè educenda ſunt. Quando veſica ſic liberata fuit ab onere lapideo, vulnus linteo multiplicato tegitur & ſic ab aëre irruente defenditur, ægerque mox ſolutis vinculis in lectum deponitur & aqua confortante cochleatim data reficitur. Poſtea vulneri linamenta carpta albumine ovorum imbuta ac pulvere adſtringente ex bolo Arm. rubr. fabril. ſang. dracon. ſarcocolla, gummi Arab. & tragacanth. aliisque conſperſa induntur, emplaſtrum diachalcit. ſuperim ponitur & ſpleniis oxycrato madefactis, commodisque faſciis, eo, quo *Tolet. & Dionis l. c.* retulerunt, modo firmatur: abdomen etiam cum genitalibus, ſuppoſito pulvillo nonnihil elevatis, doloris levandi gratia, oleo roſar. tepido probè inungitur calidisque linteis fovetur: crura inſuper faſciis æqualiter colligantur, ne fortè diducta vulnus diſtendant, aut illius apparatum diſſolvant. Seq. die removentur faſciæ cum ſpleniis, emplaſtro & linamentis, vulnerique, ſi hæmorrhagia ceſſat, balſamum *Arcæi* tepidum non ſolum plumulâ illinitur, ſed

ſed & cum linteis carptis immittitur, & reliqua, uti die præceden-te, admoventur, hæcque obligatio ſingulis diebus ter fit per octiduum ferè, dein ſaltem bis, & tandem ſemel de die, donec vulnus intra tres vel quatuor ſeptimanas coaluerit. Si poſt lithotomiam calculi ramenta in veſica ſuperſunt & ſtatim removeri nequeunt, cannula plumbea vel argentea eo, quo ſcripſi, modo in vulnus immittenda & firmanda, ut per eam urina cum ſabulo & lapillis prodeat. Quodſi verò inter veſicæ tunicas calculi hærent, interior tunica, ſuaſu *D. Littre in Hiſt. Acad. Reg Scient. l. c.* cathetere applicato ſuper indicem ſiniſtræ manus ano intruſum atteratur ac dilaceretur, ipſique tumores veſicæ, ſi paulo majores ſint, forcipe apprehendantur ac blandè hinc inde agitati diſrumpantur & abſumantur, poſtea decocta traumatica & abſtergentia ſiphone injiciantur. In fœminis calculus veſicæ minor cathetere recto exploratus, digitis in vaginam uteri poſitis verſus collum veſicæ protruditur, & poſtea ex urethra dilatatorio diſtenta unco eruitur. Grandior autem per urethram dilatatam & cultello utrinque ſecante paululum inciſam forcipe extrahitur, dein partes læſæ eodem, ut in viris, modo, deligantur. Quoniam autem urethra & ſphincter veſicæ violenta dilatatione & calculi majoris extractione valde læditur ac ſæpius dilaceratur, adeò ut debitè conſtringi nequeat, ſicque involuntariam mictionem pleriſque fœminis inferat, ideo nonnulli ex Chirurgis Modernis Lithotomiam altioris apparatus ſuadent, quam etiam in Viris, ſi major calculus extrahendus eſt, proficuam tutioremque eſſe dicunt majori apparatu, ſiquidem ſi evitetur nimia ſanguinis profuſio è ſectis ab imperito lithotomo vaſis hypogaſtricis vel hæmorrhoidalibus, quam in aulico Caſſelano lethalem fuiſſe novi. *Francus* quidem in adminiſtratione hujus operationis digitum indicem ano ſupinè jacentis puelli, quem ſecabat, indidit & calculum ad veſicæ fundum & ſiniſtrum inguen propulit, compreſſoque infimo ventre ſuper lapidem, qui in iſto inguine tunc tactu explorari poteſt, novaculam per cutem & ſubjectas partes, ipſum-

ipſumque veſicæ fundum adegit, mox calculum tenaculo prehenſum extraxit, dein ſtylo & lapidillo immiſſo perquiſivit, num plures calculi in veſica ſint, quos, ubi inventi fuerint, idoneis inſtrumentis ſimiliter educendos eſſe vult: hoc facto, digitus ex ano trahendus & vulnus abdominis turundâ, unguento digeſtivo oblita, filoque inſtructa apertum ſervandum, emplaſtrum baſilicum ſuperimponendum, abdomen denique oleo roſ. ac viol. tepido probè inungendum, ſicque vulnus poſt ſuppurationem factam conſolidandum. Cum autem in adultis calculus neque digito in anum poſito ad inguen usque attolli, neque infimus venter ita comprimi poſſit, ut calculus externè ſupra pubem perſentiri poſſit; ideò Moderni alio modo hanc Lithotomiam adminiſtrandam eſſe volunt: & quidem *Solingen l. c. p. m. 289.* ſuadet calculos majores è veſica, flatu prius, ope follis, ſufficienter diſtenta, per vulnus abdomini ſub umbilico ad lineæ albæ latus, ipſique veſicæ inflictum extrahere: *Dionis* autem *l. a. p. 160.* aquam calidam per immiſſum catheterem ſiphonis ope in veſicam infundere jubet, dein ægri reclinato corpore ſedentis abdomen ſupra os pubis inter muſculos rectos & pyramidales recta linea incidere, ſubjectum veſicæ fundum, digito prius exploratum, cultello juxta fibrarum ductum perforare, tenaculo calculum extrahere, tandem vulnus turunda balſamo *Arcæi* imbuta & emplaſtro idoneo, faſciiſque aptis obligare, & ſi id majus ſit, acu filum ceratum ducente in uno alterove loco conſuere; hanc tamen ſectionem veſicæ ad pubem, jam à multis Galliæ Medicis atque Chirurgis approbatam, & à *Bonneto* in Noſocomio Pariſienſi ſæpius feliciter peractam, in nephriticis pœna capitali afficiendis amplius tentandam eſſe putat, ut dein ab aliis tutius in uſum vocari poſſit. Commendat illam quidem *Rouſſetus de Partu Cæſar. l. 3. c. 7.* & *Hildanus l. c.* in grandioribus calculi extrahendis utilem fore refert, eandem tamen quibusdam Lithotomis in Gallia non ſucceſſiſſe *G. Patin. ad Th. Barthol. cent. 4. epiſt. 20.* ſcripſit. Mihi verò non adeo diſplicet hæc calculi ex inguine ſectio, modo ab

Anatomiæ perito & satis exercito lithotomo peragatur, quoniam exempla novi vesicæ in fundo sectæ & feliciter consolidatæ.

§. II.

Fuerunt nonnulli, qui Lithotomiam alio modo administrarunt, & inter hos *Jac. Beaulieu*, qui in Gallia circa finem modo elapsi seculi à multis pro inusitatæ experientiæ Lithotomo habebatur. Is primo catheterem solidum, rotundum & non sulcatum, vesicæ immisit, postea cultro oblongo incisionem audacter fecit circa latus sinistrum atque internum protuberantiæ ossis ischii & progrediens inde obliquè superiora versus dissecuit, quicquid occurrit à dicta protuberantia usque ad catheterem suum, quem firmatum retinuit: dein in vulnus digitum intrusit, quo calculum exploravit, cognitoque ejus situ, dilatatorio vulnus extendit & forcipe calculum eduxit, tandemque catheterem retraxit. Sed cum plerique ex illis, quos ità secuit, mortui fuerint, vel urinæ incontinentiam fistulamve perinæi contraxerint, ob urethram prorsus dissectam, vesicam, intestinum rectum, vel vaginam uteri valde læsam, vasaque hypogastrica discissa, uti in defunctorum corporibus observatum, publico scripto improbata fuit hæc Lithotomia à *D. Mery*, qui in suis *Observat. de hoc sectionis modo* alium proposuit, quo urethra secatur ad collum vesicæ usque, sine læsione scroti & musculorum virgæ, adeo ut symptomata pleraque, quæ alias consuetam Lithotomiam comitari solent, sic evitari possint. Quoniam autem summe dolorificæ & cruentæ, sæpeque periculosæ sunt hæ operationes, tentarunt alii, num gratiori tutiorique modo in viris calculum minorem, digitis ano immissis ad canalis urinarii principium protrusum, ex urethra vesicaque flatu prius distenta propellere possint, quod in Ægypto ter factum vidit *P. Alpin.* ceu retulit in *Med. Ægypt. l. 3. c. 14.* ubi simul commemoravit, *Octavium Reveretum*, successorem suum, in Ægypto vidisse calculos minores, digitis ad collum vesicæ propulsos, tubulis cartilagineis quatuor, quorum

quorum unus major erat altero, per vices ita in urethram ad vesicam usque immissis, ut primo gracilior, ultimo capacior inderetur, aëre prius per eos ad dilatandam urethram inflato, tandemque suctu rursus extracto, feliciter prolectos: quem modum paucis mutatis commendat qq. *Solingen l. c. p. 285.* ubi tubulos ex membranis Pergamentis confectos diversæ magnitudinis, unum post alterum, urethræ pro sufficiente extensione immittendos esse vult, dein oleum siphone in vesicam infundendum, calculum autem digitis ano impositis ad vesicæ collum promovendum, ibidemque tamdiu retinendum, donec vesica lotio post potum copiosius haustum repleta fuerit; tunc urgente mingendi conatu, glandem cum præputio manu comprimendam, usque dum digitis ano inhærentibus sentiatur, calculum à lotio in collum vesicæ propulsum esse, quo facto & remota manu mox calculum cum lotio expelli scribit. Istiusmodi tubulis brevioribus & crassioribus fœminarum qq. urethram dilatari & dein digito vel hamulo facilius calculos minores è vesica protrahi posse *Idem l. c. p. 283.* monuit. Non contemnenda quidem est hæc urethram dilatandi & calculos proliciendi ratio, quam etiam proficuam observavit *Th. Mayerne Prax. Med. l. 3. c. 19.* eandem tamen educendis lapillis in urethra subsistentibus aptiorem esse arbitror.

§. 12.

Ex diversis his calculos è vesica eximendi modis placet quam maxime ille, qui sine sectione fit flatu, digitis, hamulo vel lapidillo, si calculi minores fuerint: Qui vero grandiores sunt & nullibi adhærent, Lithotomiam majoris apparatûs requirunt, quam illi præfero, quæ minori apparatu perficitur. Altioris apparatûs sectio nonnisi urgente necessitate in iis, qui à majoris calculis aliter liberari nequeunt, ab experto Lithotomo administranda: si calculi vesicæ adhærent, nonnisi post aliquot à sectione dies, juxta *Franci* methodum, eximendi. Quid de Lithotomia *D. Mery* sentiendum,

 nescio,

nescio, quia de felici illius successu nihil mihi constat. Calculi vesicæ tunicis impacti nonnisi summa circumspectione, catheteris duriore affrictu, in iis, qui talia facilius ferre possunt, è sua sede provocandi & dein caute extrahendi. Potest autem Lithotomia sæpius in uno eodemque subjecto institui, modo exercitatæ manus admoveantur; quodsi vero in utroque perinæi latere sectio facta fuerit per utramque vesiculam seminalem, quod fieri solet, hæc suo munere privata sectos emasculabit. Caveant autem sibi à Lithotomia omnes cujuscunque ætatis homines viribus, per ætatem vel morbum graviorem, orbati, aut immedicabili affectu prehensi, calculove majore, quam qui sectione tolli possit, vexati, quibus patientia & constantia Christiana continuorum fere dolorum unicum est delinimentum.

§. 13.

Superest, ut de iis, quæ post Lithotomiam observanda sunt, adhuc pauca referam. Ut urina è vesica libere profluere possit, cannula supra dicta vulneri & vesicæ collo immittenda & post 5. 6. vel 8. dies rursus eximenda est, ne labia vulneris occallescant, quæ, si post factam suppurationem coire incipiunt, adducenda magis sunt linteis complicatis utrique vulneris lateri apponendis, & postea sarcoticis consolidanda. Quod si dysuria ægris molesta est, oleum amygd. d. & syr. de alth. cum jusculis detur. Ischuria cathetere tecto per vulnus in vesicam immisso tollitur. Inquietudo, febris symptomatica & inflammatio vesicæ emulsiva & diaphoretica mitiora nitrata: vomitus, spasmus ac convulsio nervina & antispasmodica: lipothymia confortantia: deliria cinnabarina cum cephalicis mitioribus & nitro mixta requirunt, sæpeque funesta signa sunt. Vulneris inflammatio & pruritus ung. nutrito mitigatur. Scroti tumor & livor ex suffuso sanguine cataplasmata discutientia: gangræna verminosa scarificationem & epithemata ex amaris & spirituosis balsamicis: ulcera perinæi detergentia atque traumatica:

fistulæ

fistulæ tandem labiorum callosorum resectionem & traumaticorum usum exposcunt. Quoad Diætam: ægris primo octiduo parum alimentorum, ex jusculis tenuibus & cremore hordei atque avenæ detur; reliquo tempore simul aliquid carnis concedatur cum ovis sorbil. & amygdalatis. Pro potu bibatur decoctum ras. C. C. rad. consolid. maj. & sem. fœnic. Alvus obstructa clystere emoll. reseretur. Animus sit tranquillus.

§. 14.

Cæterum cùm non tantùm post Lithotomiam, sed & ob causas alias sæpissime involuntarium urinæ profluvium oriatur, quod aliâs

URINÆ INCONTINENTIA

vocatur, hinc aliis remediis (in *parte prima* hujus operis descriptis) non juvantibus, instrumentis quoque Chirurgicis illa compescenda est, inter quæ bina cumprimis laudat *Nuckius in Experimentis Chirurgicis*, *Exper. XL. pag. 138.* scilicet Bracherium seu subligaculum in *Fig. 3. TAB. XI.* depictum, ubi

A. A. denotat bracherium.
B. Fibulam.
B. Partem pendulam corii perforatam, qua constringitur bracherium.
D. Cochleam, cujus ope comprimitur pulvillus, cum annexo capitulo F. compressula instructo:

& aliud instrumentum, quod Postomen vocant, in *Fig. 6. TAB. XII.* ob oculos positum, ubi

A. A. Postomis est ex Argento Cuprove confectus.
B. Clavis instrumento affixa, qua pro lubitu claudi & aperiri potest.



CAPUT VIII.
DE AFFECTIBUS PARTIUM GENITALIUM VIRILIUM.

Mascula ſunt penis vaſcula, qui non ſine Criticorum ſcandalo fœminino mentulæ nomine à nonnullis donatur; unde Grammaticis ardua illa quæſtio præliminaris moveri ſolet:

Dicite Grammatici, cur maſcula nomina Cunnus
Et cur fœmineum mentula nomen habet?

Aſt cum Medici æque ac Chirurgi non tam de nomine, quam de homine ſoliciti ſint, nodum hunc Gordium aliis diſſolvendum relinquo, & in gratiam *Chirurgorum Carteſianorum* (quos peculiari *Diſp.* olim deſcripſit *Waldſchmidius*) penis vitia ſecundum quinque modos eſſentiales excutiam, quos ſeq. carmine enumerant *Eclectici*:

Magnitudo quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

Magnitudinis intuitu videas Mulierculas (ſed pauciſſimas,) quibus

SARISSA nimis LONGA

eſt exoſa, adeo quidem, ut debitum conjugale Maritis ſuis, ob dolorem inde conceptum, denegando ſeparationi quoad thorum & focum occaſionem dederint, cujus recentiſſimum exemplum, Giſſæ obſervatum, hic allegare poſſem, ni intra ſilentii cancellos id retinere præſtaret. An vero

BRE-

BREVITAS SYLLABÆ MEDIÆ

(quam Obstetrices falsò & ridiculè ab improvidâ umbilici resectione deducunt) eôdem aut simili jure gaudeat? in *Novellis Medico Legalibus Casu V.* expedivimus.

In curâ utrobique primæ Arithmeticorum species, Additio sc. & Subtractio, probari nequeunt; unde in priori casu remedium palliativum, quô anteposito radici penis circulo, aut scuto, molestiam aut noxam, in copulâ carnali inde oriundam, reprimere valent, *Hildanus Cent VI. Obs. LXI.* commendat, cujus delineationem ibidem habet. In posteriori casu, si membrum à nativæ figuræ arctioribus terminis definita fuerit, remedia & extensionem à *Fallopio Lib. de decoratione Cap. VIII.* & *Foresto lib. XXVI. Obs. XIX.* laudata vix sufficere credit *D. Joh. Mauritius Hoffmannus c. l. p.* 106. nisi penis quodammodò retractus se absconderit, quo in casu in infante per ignei caloris blandum fotum in *Miscell. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Anno VI. & VII.* in alio autem per fomentum carminativum *Obs. L. Dec. I. Ann. II. C. I.* à *D. Sorbait* extractus, seu potius elicitus esse legitur.

§. 2.

Ratione secundi & tertii modi essentialis quies in mediâ etiam quiete libidinosis displicet, mallentque cum *Boyleo* negare dari absolutam in corporibus naturalibus quiètem, quàm in

FRIGIDIS AC IMPOTENTIBUS

eandem experiri*, quorum curationem in *Part.* 1. *hujus libri* jam tradidimus. Curiosus nuper *Casus* super impotentia se tulit hic in *Consistorio Ecclesiastico Gisseno*, in Rustico Frechenhusano, Schneidero nomine, qui adversus conjugem suam, ob impotentiam ejus divortium petentem excipiebat se adeo impotentem non esse, ut conjux econtra sæpissime de nimia ejus ♀ conquesta fuerit. Re autem inspectioni meæ commissa mulier lite adhuc pendente victoriam reportabat, postquam seq. illi

illi RESPONSUM impertiveram: Ad requisitionem Consistorii Ecclesiastici Principalis hujus loci, Jacobum Schneiderum, incolam Frechenhusanum, prævia examinatione, inspectioni oculari subjeci, atque reperi illas partes, quibus sexus distinguitur, debiles satis & flaccidas esse; unde & ipse fatebatur, sibi, tanquam delassato ab itinere, hoc tempore impossibile fore mulieri alicui carnaliter cohabitare. Quoniam igitur simul adstruebat se antehac ulcera quædam manantia in pedibus habuisse, talia autem sterilitatem inducere valent, ut è *Sennerto & Höfero* probat *Ettmüllerus in Prax. p.m.* 1079. *edit. Westphal.* hinc facile præsumere licet dictum modò Schneiderum in palæstrâ quæstionis se magnum Heroem præstare non posse. Quod in subsidium veritatis attestor. *Sign. Gissæ, die* 26. *Jan.* 1714. Rarissimè econtra de nimio motu & aures arrigente Pamphilo conqueruntur Fœminæ, nisi dum acum hanc magneticam ad alium se polum dirigere suspicantur: id quod ex alio

CASU
MEDICO-LEGALI

aliquot abhinc annis ad nos delato poterit observari, qui ita se habebat:

Titia Conjux mirâ Zelotypiâ fertur erga *Sempronium* Maritum suum, pro infido eum habens, qui nihilominus juxta propriam Zelotypæ confessionem illi debitam benevolentiam exhibet & præterea (quantum constat) impunè & innocenter se gerit, nec aliis mulieribus se miscet. Ratio hujus Zelotypiæ est, ut interrogata confitetur, quod in Marito quandoque, cumprimis tempore matutino,

TURGESCENTIAM MEMBRI (s.h.)

observet, unde suspicatur eundem somniis impudicis & greis delectari, adeoque dormiendo qs. scortari; cumque illi remonstraretur, accidentis hujus alias quoque causas esse posse, si sc. vesica,

sero

ſero excrementitio nimis eſt repleta, ſtragula nimis mollia ſunt, aut quis in illis juſto diutius recumbat: ſuæ tamen præconceptæ opinioni firmiter inhæret, nec ab illa ſe abſtrahi patitur, more Melancholicorum, quibus Titia annumerari meretur; id quod Aſmodi anſam ſuppeditat ad conjugium hoc inquietandum.

RESPONSUM MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

Quandoquidem deſcriptum *Sempronii* accidens in hominibus pientiſſimis & pudicis admodum (non ſine ſuſpiriis & anguſtiis illorum) à laudabili pleniorique diæta, alimentis polytrophis, potulentis volatilibus, aromatibus & ſimilibus, è cauſis naturalibus oriri poteſt, hinc *Titia* in Maritum ſuum eſt injuria, dum potius contrarium, quod ſc. aliorum amorem non venetur, inde concludere licet, quum Venus promiſcua copiam ſpermatis & virtutis ſeminalis imminuendo deſcriptum φαινόμενον potius impedire poſſet: ſalvo rectius ſentientium judicio. *Sign. Giſſæ die* 9. *Octobr.* 1711.

JUDICIUM DN. D. JOH. HENRICI MAII, *Superint. & Prof. Thelog. Giſſeni.*

Quum quæſtio propoſita ſit Medica Medicéque reſoluta ſit, à parte mea nihil aut pauca admodum addenda duco. Hoc jam memoriam ſubit, me olim Argentorati

ex Amico, mihi optimè noto & verè Christiano, sed tenerâ admodum & debili constitutione gaudente, audivisse, quod conquestus fuerit, similia sibi tempore somni accidere, utut absque sua culpa & intentione. Quoniam igitur causæ naturales in similibus effectibus occurrunt, nulla etiam suspicio sinistra in Sempronium cadit, quæ eundem gravare possit, fortè & *Titia*, ceu Melancholica, ipsi concubitum subinde denegavit; hinc ipsa simul in culpa est, peccans in Deum & Maritum, quod tam sinistrè de eodem judicet Asmodique ingressum paret: id quod illi seriò exprobrandum esset. Interim & *Sempronius* monendus erit, ut naturam atque carnem quodammodò refrænet, quandoque jejunet, omnemque operam navet, quò uxoris suæ melancholicæ animo suspicionem hanc & zelotypiam excutiat. Utrobique autem preces ad Deum ardentes & devotas inculcatas velim.

§. 3.

Positurae Sitûsque intuitu erectio depravata &

COLIS INCURVATIO

(quam lunationem vocat *Excell. Hoffmannus Altorphinus c. l. p.* 107.) sub erectione, aut mictione sæpe est molesta, id quod Heraclii Imperatoris exemplo jamdudum innotuit, qui nisi tubulum imo ventri, quoties mejeret, opponeret, faciem suam permingebat, prout *Zonaras libro tertio annalium* in scriptis reliquit. Simile quid enarrat *Henricus ab Heer, in Obs. Med. oppidò raris Lib. I. Obs.* 7. de homine LV. annos nato, cui in modum cornu inversi penis flexus erat. Conferatur *Tulpius Obs. Med. Lib.* 3. *c.* 39. *Moeb. in Fundam. Med. Physiolog. p.* 515. *&* *Miscellan. Nat. Cur. Dec. Ann. IX. Obs.* 199.

Causas hujus circumflexi egregiè expedit antea laudatus *Hoffmannus*, dum membrum superiora versus incurvatum partim musculorum, directorum rectius quàm erectorum dicendorum, nimiæ factæ prolongationi, partim & fibrillarum, per superiorem corporum nervosorum aream excurrentium, propter ob-

structio-

ſtructionem aut compreſſionem, à ganglio, tuberculo, aut duro nodo, factam, rigiditati: membrum verò ſub erectione deorſum inflexum vel dictorum muſculorum abbreviationi, vel fibrarum in corporibus nervoſis per aream inferiorem diſpoſitarum inflationi, aut frænuli contractioni tribuit: pro quarum diverſitate aut antiſpaſmodicis, aut inciſione frænuli cura eſt varianda, prout alibi dicetur.

§. 4.

Tandem Figura & Structura virgæ compluribus vitiis eſt obnoxia, cumprimis circa apicem, ubi primo omnium

GLANS IMPERFORATA

in pueris recens natis quandoque occurrit, quæ cultro exiguo, anguſtiore cuſpide donato, quamprimum eſt incidenda, ſicut operationem hanc in *Fig.* 6. *Tab. XXXX.* ob oculos ponit *Scultetus in Armam. Chirurg.* Enchireſin autem docet *Nuckius in Experim. Chirurg.* 42. *p.* 143. verbis ſeqq: Patiens ſupinus collocetur & glandem ſiniſtrâ Chirurgus apprehendat, mox altera manu cultelli ope foramen clauſum aperiat, cavendo, quantum fieri poteſt, ne partes vicinæ lædantur, ac hæmorrhagia moleſta & periculoſa ſuperveniat. Dein foramini penicillus epulotico inunctus immittatur, qui tamen eo tempore, quo æger urinam reddit, auferendus & ſtatim iterum immittendus; quibuſcum tamdiu continuandum, donec labia foraminis cicatrice obducta iterum urinæ præbeant exitum.

Si verò cum glandis foramine anguſto & nimis ſtricto infans naſcitur, illud ſine mora dilatandum, immiſſa ſolum minori turunda, ex medulla ſambuci compreſſa, vel particula ſpongiæ præparatæ, unguento roſaceo obducta, conficienda. Dum enim turunda humido, quod ſenſim imbibit, turgeſcit, foramen patentius redditur.

Quandoque glans loco naturali quidem impervia, ſed à latere frænuli foramen, ductu quodam ab urethra oriundo ⊡ & ſe-

 cum

rum excernens reperitur. Cum autem foramen hoc notabile incommodum non adferat, non erit claudendum, aut novum parandum, cum homines ejusmodi non secus ac alios mentula probè formata gaudentes ad sobolem procreandam habiles observarit *Nuckius c.l.* Conf. *Stalpart van der Wiel Observ. rarior. Cent. 1. Obs. XXXXV. cum annexo Schol.* ut & *Miscellan. Germ. Cur. Dec. I. Ann. IX. & X. Obs. CV. & Dec. I. Anno III. Obs. XCVII.*

§. 5.

Præterea variis quoque TUMORIBUS, inflammationi sc. œdematibus & emphysematibus tentari solet balanus, qui nisi remediis consuetis, discutientibus, carminativis & aliis jamdum notis, præmissis, si opus est, internis, curentur, facile in scirrhum aut &

CANCRUM PENIS

abeunt, qualem tumorem à se observatum, & *in Fig.* 1. 2. TAB. XII. depictum, cum annexâ disquisitione: *num qui integris instructus est testiculis pene verò aut natura breviori, aut casu abbreviato, ad prolificationem aptus esse possit?* & peculiari, utut exiguo admodum scripto evulgavit *D. Joh. Jacob Döbelius*, civitatis Gothoburgensis ac Provinciæ Bahusiensis Medicus ordinarius, quod ob raritatem maximam ad partem hic inserere libuit.

Annus erat millesimus, sexcentesimus, nonagesimus sextus, quô die XXVIII. Decembris Joh. Röhren (ob ingratitudinem nomino, nec sortis conditio prohibet) 62. annorum, Congello Gothoburgum veniens, Chirurgo, *Joh. Henr. Calldinicher*, se, penisque glandem à XII. jam annis cum tumore cancroso & dolore exulceratam, ferendi auxilii causa, concredidit. Chirurgus, ceu prudentis est, sectioni medicamenta topica præmisit; quibus nihil proficientibus ipsam operationem est aggressus, in qua tumor cancrosus a ministrantium quodã antrorsum protrahebatur, postquam parti penis posteriori & pro coercenda hæmorrhagia, & pro cutis totiusque membri rigiditate ac tensione inducenda vinculum erat

cir-

circumdatum. Penis hinc latum unguem à glande & recesso præputio, ab infima parte continuata ad dorsum sectione, expeditè satis præcidebatur; quo facto sanguis impetuosè prorumpens globulis ex stuppa pexa paratis & terra vitrioli dulci cum albumine ovorum impraegnatis retardabatur; insuper chartæ bibulæ portiones ab aqua frigida madidæ undique circumponebantur, fasciæque lumbis antea substratæ circumvolvebantur, libero tamen manente scroto. Et licet reposito hac ratione Patienti, cum commendatione silentii, remissioris respirationis, ac totius corporis quietis valedixerimus: citiùs tamen ob novam hæmorrhagiam accurrere oportuit, ubi sanguinem manifestius paulò profluere sivimus, ut arteriâ, ex qua sanguis prodibat, firmiter compressâ, truncus securius accommodari posset. Cutis quippe penis protrahebatur, atque exilioribus stuppeis globulis, aqua styptica Purmanni imbutis, infarcebatur, crepitus lupi superimponebatur, eisque vesicula suilla madefacta superinducebantur. Vesicæ oras dum duo tenebant, alius truncum complicatâ charta bibula quasi circumvallabat, fasciamque duplicem circumligabat alius, sanguinis fluxu omninò deficiente. Cæterum hoc ipso momento patiens animi deliquium patiebatur, pulsus & respiratio notabiliter remittebant, cum sudore frigido & glutinoso atque universi corporis frigore ac pallore: verbo, syncope corripiebatur. Quemadmodum verò sanguis dicta ratione per totum tempus pomeridianum intra præscriptos limites continebatur: ita contra vomitus materiæ cujusdam limpidæ frequentior patientem invadebat, atque assumptis licet malo tali convenientibus, totam noctem perseverabat, absque omni tamen sanguinis profluxuri vestigio.

Die xxx. Decemb. manè decem vel duodecim circiter cochlearia jusculi gallinacei sumpsit; à meridie interrupto fruitus est somno; circa vesperam verò, cum urinam diutius continere non posset, fasciæ sine ullo sanguinis profluvio religabantur omnes, demtaque sunt splenia, vesica, lupique crepitus. Globuli

buli autem ſtuppei, aqua ſtyptica turgidi, quod cuti firmiſſimè inhærerent, parum tantum ſuper urethra elevabantur, ut per rimulam inferius factam urinam redderet. Sicuti & illud bono cum ſucceſſu, etiamſi non ſine inſigni dolore, copioſiore lotio effluente, præſtitit. Quo facto pro emollitione reſiduæ ſtuppæ digeſtivum affundebatur, atque præfixo peni ac circumvoluto emplaſtro recens veſica imponebatur, adjectisque ſpleniis faſciæ denuò admovebantur. Ingruente nocte vomitus ceſſabat, alteraque die, quæ erat XXXI. Dec. corporis vigor redire videbatur, poſtquam ſomnus delaſſatum recreaverat corpus. Appetitus ad cibum erat bonus, ad potum verò nimius moderamini ſubeſſe debebat. Hâc ipſa die manè, ac veſpera faſciæ pro emittenda urina ſunt reſolutæ, ſecundo ſemper eventu, ſine ullius canalis ope. Eâ quoque nocte ſomnum, qui perfugium laborum omnium eſt & ſollicitudinum, recuperavit, cum rediturae ſalutis ſpe haud parum adaucta.

Die curæ quartâ, anni verò novi prima, tempore habitarum concionum, vincula pro urinæ effluxu rurſus ſunt relaxata, unde urina abſque longiori mora, majorique commoditate prodiit, adeò ut in radice penis maximam doloris remiſſionem, moræque antea habitæ abbreviationem ipſe bonò omine confiteretur. Neque hiſce ſic ſtantibus rebus canalem in auxilium ſumendum duximus, cum quotidiano Urinæ fluxu nulla Urethræ fieri poſſet occluſio. Alvus verò, cum necdum eſſet ſoluta, clyſteris uſum quidem intendi, ſed cum patiens nullum vel capitis, vel abdominis dolorem quereretur, neque adhucdum urgeretur, eundem diſtuli. De cetero appetitum juſculi gallinacei, ut & pulpæ ex hordeo cum lacte paratæ, aſſumptio teſtabatur. Sicuti & veſpertino demum tempore, poſtquam more ſolito reſolutis vinculis, minxerat, comedit, noctuque parum dormivit.

Die curæ quinta, quæ eſt II. Januarii hora decima matutina, propter enema injiciendum, urinam prius reddidit copioſam, peneque rurſus circumvolutô, Clyſter fuit injectus, qui ſemiqua-
dram

dram horulæ retentus cum excrementis haud ita multis rejiciebatur. Reliquo diei tempore bene habuit, quemadmodum etiam nocte insequenti.

Die curæ sexta stuppæ, aqua styptica tinctæ, penisque cuti antea impositæ, demum exciderant. Nihilominus tamen pro more hactenus observato digestivum fuit adhibitum, penisque mane ac vespera religatus est. Ceterum cutis in infima penis parte spongiosior ac crassior fieri incipiebat; quare, cum metus esset, ne magis magisque accrescens Urethtam obturaret, totamque trunci anteriorem faciem obtegeret, dicta die, uti &c

Die curæ septima, Urethram pro canale immittendo quæsivimus. Sed verò, quoties & stylo & canale accessimus, toties utrumque frustra retrahere coacti sumus, non solum ob recessam Urethram & nervosa corpora ad abdomen, sed etiam propter coagulum, aliudque crassamentum, quod partim à sanguine coagulato remanserat, partim sponte regeneratum erat. Illa canalem adigendi impossibilitas, una cum tædio, spem commodioris occasionis fecit, fore nimirum, ut remoto prius obstaculo citra ullam difficultatem canalis intrudi possit. Hac ipsa die quoque, cum ab usu prioris enematis alvus sponte nondum esset soluta, & tamen maxima applicandi difficultas in recenti adhuc esset memoria, vinum aliquod laxativum quotidie assumere debuit.

Subsequentibus diebus bis quotidie mictionis gratia fasciæ sunt solutæ, sanguisque grumosus cum materia quadam purulenta prodibat. Nihilominus tamen canalis necdum applicari potuit, instante licet carnis fungosæ sursum versus augmento.

Die Januarii septima, quæ curæ erat decima, cum Urethram altius latentem candela quâdam ceracea invenire frustra rursus tentassem, turunda ex cera imponebatur, ut hujus interventu cavitas illa, à cute facta, pro Urinæ fluxu servaretur aperta. Dum enim corpora nervosa unà cùm Urethra sese retro receperant, ità, ut vix latum unguem è corpore extarent, cutis totius trunci prominens præsentem cavitatem exhibebat, ad medii

pollicis

pollicis longitudinem. Præter hancce cutis imtempestivam conditionem nullum omninò symptoma urgebat, nisi quod alvus plus justo mansisset adstricta. Eodem tempore consultum duxi, ut largius potaret, indeque frequenti mictione viam in carne fungosa sibi reservaret patulam: quam ipsam bibendi licentiam accuratè etiam observavit, adeò, ut licet hora nona vespertina Chirurgus ipsum pro urina reddenda expediisset, more tamen sueto ad crastinam usque lucem urinam retinere non potuerit, sed ab ancilla, quæ ipsi à servitiis erat, adjutus, media nocte ipse fascias deligatas, absolutò negotiò, religaverit. Adeò enim jam valebat, ut commodè sedere, firmus stare, atque ad sellam cubicularem sese recipere posset.

Die curæ undecima abbreviatum truncum pro officio faciendo à fasciis rursus liberavit Chirurgus, candelamque ceraceam applicuit, cum optima patientis tolerantia atque commoditate.

Die curæ duodecima, extracta priori, pro mictione, candela, recentior fuit intrusa, appositis insimul in cavitatem à cute relictam filamentis carptis. Quandoquidem autem ante Urethram caro in cute inferiore nimium excresceret, adeò, ut Urina rectô cursu minus efflueret, pro carne abolenda die curæ decima tertia pulverem præcipitati rubri apposuit, hacque ratione superfluam indies imminuit.

Die decima quarta cæterisque sequentibus, cum, quamdiu res postularet, præcipitati usum Chirurgus continuasset, æger membrum suum candela ceracea, atque filiis carptis repletum, remotis omnibus fasciis propendens cum bona valetudine habuit, cutisque paulatim incrassescens inferius prius in acutum excrevit, postea verò ex omnibus peripheriæ punctis æqualiter coire, coarctari atque corrugari cœpit. Sequenti tempore ipse patiens emplastrum pro candelæ inhæsione trunco admovendum tractavit, urgenteque necessitate, à sua tamen adjutus curatrice, candelam exemit, iterumque indidit. Denique verò pro candela stylus

ſtylus ex plumbo confectus, itidemque filo alligatus fuit immiſſus, penisque amputatus decenter coaluit, hoc eſt, cutis æqualiter abſciſſa paulatim in anguſtius quaſi concentrata fuit, cum urethræ foramine ſatis patente. Id ſolummodo patientem malè habuit, quod in urinæ emiſſione femora ſemper conſpurcaret; quapropter, ut eò longius lotium ejacularetur, per acuminatum aliquod cornu mingere debuit.

Hâc igitur methodo patiens capitis diminutionem, cum inſigni tamen emolumento, paſſus, die ſeptima Februarii M. DC. XCVII. domum perrexit, atque hodiernum omnis doloris expers bene valet.

Cepi hinc, quod ultimo loco addo, mecum cogitandi anſam, *utrum hic, qui Teſtibus integris eſt, Notario tamen integro caret, ad prolificationem aptus eſſe poſſit*? affirmativam quod eligerem multæ me moverunt rationes. Cum enim ſemen maſculinum efficienter tantum quoad partem ſpirituoſam concurrat, atque fœcundus congreſſus non ex penis longitudine, ſed ſemine ſpirituoſo, ac optima partium muliebrium diſpoſitione ſuccedat, quid obſtat, quo minus breviori ſtylo inſtructi fæcundare poſſent? perquam notæ ſunt hiſtoriæ, quibus & imperforatas à ſpiritu materiæ ſeminalis impprægnatas fuiſſe legimus; ſi ergo fœminæ, virum intra vaginam non admittentes, concipiunt, extra omne dubium etiam mas, à limine tantum matricem ſalutans, potens ſatis erit. Ecquis in gallinis non vidit tortuoſi oviductûs longitudinem, ac contra penis galli brevitatem, quin imò, ſeminis paucitatem? Et tamen unicô cum gallina congreſſu plura ſimul fœcundantur ovula. Non eſt tanta vaginæ muliebris longitudo, nec adeò parcus ſeminis proventus in homine; quidni ergo, cum in copia materiæ ſeminalis etiam ſpirituum major præſupponatur abundantia, felicius negotium, pene etiam breviſſimo, procederet? Non equidem ignoro, quamplurimis in locis, & præcipuè ubi Conſiſtoria aperiuntur, penem lapidibus inciſum, aut ex ligno formatum eſſe, e.g. in Dania (ridiculam ea de re hiſtoriam vid. *ap.*

 Golnitz.

Golnitz. Ulyss. p.555.) ad quem in rebus dubiis, ceu ad regulam, mensura institui solet: At verò posito, quod certa membri requiratur longitudo, arte tamen hic per infortunium quoddam introductus defectus suppleri posset. Nam, quemadmodum nimis longus, qui gravissimos in & post congressum dolores inferendo, mulierem apoplecticam reddit, orificium uteri nimium dilatat, hæmorrhagiam aliaque majora incommoda, prolificationem impedientia excitat, quemadmobum, inquam, talis scuto quodam, aut alio modo, decurtari quasi potest; vid. *F. Hildani Cent. VI. Obs.* 61. *Salocini Tableau de l' amour* oder Geheimnüsse keuscher Liebes Wercke. *p.* 60. *seq.* ita & breviori membro, si opus esset, alio succurri potest instrumento (de marito sermo est, Virgini enim parcendum) per quod semen æque ac urina per cornu ejicitur, exemplo illius, cujus meminit *Schenckius l. IV. obs. de pene. VI. p.* 524. *b.* vel etiam Principis cujusdam Germani, de quo ex *Nancelio & Jonstonio Casp. à Reies in Campo Elysio jucund. quæst XLI.* 24. *scribit*, quod bombardæ ictu eviratus argenteum sibi curaverit penem, & felici successu liberis operam navaverit. Sin verò naturæ defectu quis laboret, & tamen uxorem sibi appeteret, is spem de se conceptam optimè expleret, si jam olim nuptam ducat, eamque sibi proportionatã, cujus rei certitudinem honestè acquisivisse, facile est. Quod itaque nostrum attinet, hisce præmissis concludo, eum, imprimis cum titillationis sensum sæpius percipiat, haud sine fructu congressurum, nisi senectus obesset, quæ semen utplurimum effœtum, nec satis spirituosum producit.

Tabula Sculptor glandem corruptam, cum particula ipsius penis resciſſam, tàm quoad dorsum, quàm quoad alteram partem, unà cum pondere, Germanico sermone, exhibet. Hæ duæ figuræ si combinentur, atque conjunctæ lumen inter ac oculum ponantur, totius conditio apparet.

§. 6.

Cæterum si tumoribus antedictis in ULCERA mutatis, aut

fibris

fibris quibusdam à nimio coeundi fervore disruptis præputium c. glande coalescat, ut amplius retrahi & detegi non possit,

PHIMOSIS

oritur, à quo affectu recutiti & Apellæ, Turcæ sc. & Judæi, præputia (verbis *Juvenalis Sat. XIV.*) v.g. ponentes, omnino sunt immunes. Quamvis à sola extensione nimia præputii per glandem nimis intumescentem oriatur, quo in casu vel solis externis demulcentibus, discutientibus & balsamicis curari valet. Quem in finem *Nuckius in Chir. Exp.* 43. balsamum Peruvianum, vel unguentum nervinum præputio externè illinit: vel ~ vin. camphor. ▽. matricali cum ▽ sambuci penem cum præputio calidè fovet. Convenit quoque Lac calidum cum flor. cham. coctum: vel & fotus ex

Herb. rorismar.
majoran.
salv.
Flor. chamomill.
sambuc.
melilot. &c.

compositi.

Quodsi verò Luis ☿ suspicio aut signa adsint, Decocto ligni sancti & ☿rialibus opus habemus.

In malo connato tamen omnia hæc medicamenta nihil valent, sed enchiresi Chirurgicâ opus habemus, quam laudatus modò Autor sic instituit: Primum à latere frænuli rectilinea incisio instituitur, vel major, vel minor, prout præputium magis minusve contractum ætasque variaverit. Priusquam autē incisio peragatur, medicamentum aliquod stypticum ad manus esse debet, ut præputii vasa, in ipsa operatione resecta, eo constringantur. Facta verò incisione præputium relaxatur & vel suâ sponte, vel digitorum ope retrocedere incipit. Interim sæpius de die reducendum, ut pro lubitu sursum & deorsum moveri possit.

Aliquando fræn um nimis contractum & justo brevius hunc affectum producit: quo in casu præmissis emollientibus externis sola fræni incisione restituitur. Rectius autem pars fræni, quæ præputio, quam quæ glandi adhæret, inciditur, idque ob metum hæmorrhagiæ, *vid. cit. loc.*

§. 7.

Contrarium huic vitium est

PARAPHIMOSIS,

in qua ita retractum est præputium, ut glandem denudatam retegere nequeat, & plerumque oritur à nimia penis tensione & inflatione, coitu violento, aut mala partis conformatione.

In cura, malo adhuc recenti existente, adhibeantur ♁ osa & balsamica v. g.

Rec. ▽. Regin. Hungar.
attic. ad extr. aa. ℥ii.
♁ Vin. camph. ℥i.
⊖ ✳. ʒi. M.

Alia etiam fomenta & cataplasmata ex herbis carminativis & nervinis externè applicanda: *Conf. Disp. de Phim. & Paraphim. in Contin. Nosocom. N. 9.*

In affectu connato frustranea sunt medicamenta. Non minus Enchiresis Chirurgica hic exulat, dum pluribus etiam incisionibus adhibitis, præputium tamen, ut glandem tegat, vix attrahere valebunt. Vid. *Nuck. c. l.* De PERIPHIMOSi Ægyptiorum, vid. *Veslingius Synt. Anat. c. 6.*

§. 8.

Ad interiora veretri nos vertentes & canalem ejus perscrutantes

OBSTRVCTIO MEATUS URINARII â CALCVLIS

in Praxi sæpe obvia est, quam *Muysius in Praxi Chirurg. Ration. Dec. 3. Obs. 7. p. 32.* suctione feliciter curavit, seq. methodo: Postquam

quam sc. ferro exploratorio tetigerat lapidem in meatu urinario, in cassum adhibitis instrumentis in tali casu commendatis, ægrotulo propinavit duo cochlearia seq. mixturæ:

Rec. ▽. Nephrit.
petroselin.
fœnic. ana ℥i.
Syrup. dialth. Fernel. ℥ß.
ocul. ♋ ʒi
⊖. prunell. ʒß.
stip. fab. ℈i. M.

Abhinc matrem jussit, ut os suum filioli peni applicaret, ac sugeret aliquamdiu, quantum posset: quo pacto lapillus brevi eliciebatur foras usque ad urethræ extremitatem, unde tum forcipe haud difficulter extrahebatur.

Scultetus præter hæc interna laudat insessus & balnea, quibus partes ita emolliuntur, ut calculus ab urina sæpe protrudi & abhinc volsella arripi possit: quibus irritis specillum adhibet, in *Tab.* 14. *Fig.* 8. *Armam. Chir.* depictum.

Sin neque hac ratione obstructio tolli possit, tandem ad sectionem urethræ deveniendum, quam in *parte Chir. Medicinæ Nov-antiq. cap.* 6. §. 15. *è Paræo & Hildano* descripsi, qui posterior in *Lithotomiæ suæ cap.* 27. enchireses & instrumenta hîc necessaria fusius descripsit. Conf. *Sennertus Inst. l.* 1. *p.* 1. *Sect.* 2. *c.* 13.

§. 9.

Facile hinc determinari poterit, quid de

VULNERIBUS VERETRI

statuendum sit? licet enim ob spongiosam corporum nervosorum substantiam difficulter coalescant, ob hæmorrhagiam & inflammationem etiam satis periculosa sint, vix tamen pro absolutè lethalibus haberi possunt, cum non tantum Barbari & Turcæ Eunuchis suis sæpe integrum Priapum abscindant, sed & exem-

 pla

pla proſtent, ubi Monachi ob caſtitatis zelum colem ſibi ad pubem uſque amputârunt, vid *Schenck. Obſ.*20. quod & de Maniacis & Melancholicis refert *Rouſſetus lib. de part. Cæſ. c.* 6. *ſect.* 4. Interim, ſi læſiones illæ non curentur, mortem inſecutam eſſe teſtatur *Hildan. Cent. III. Obſ. 89.*

Confert talibus in caſibus unguentum *à Barbette inOp. Anatomico-Chirurg. lib.*4.*cap.*2.§.10. laudatum:

Rec. Ceruſſ. lot. ℥iii.
Myrrh.
Lithargyr. ana. ʒiß.
Sarcocoll.
Tut. præp. ana. ʒi.
Tragacanth. ʒii.
🝆. roſ. q.ſ. M. F. Ung.

§. 10

CARUNCULÆ, ὑπερσάρκωσις, verrucæ &c. in meatu urinario vix aliis, quam cathæreticis tolluntur, quæ fuse admodum deſcribuntur in *Praxeos Mayernianæ ſyntagm. II. Tr. IV. de lue* ♀ *cap. V. p.* 248. *ſeqq.* ubi & inſtrumenta convenientia depinguntur, quibus aut punctim, aut per latus exceſio, abſque vicinarum partium læſione, inſtitui poſſit. Sit unum inſtar omnium:

Rec. Colcothar. ⊕ ℥i.
Θ. ♄. ℥ii.

affuſo acet. digere, exhala, cohoba ter vel quater: hujus materiæ

Rec. ℥i. add.
Tut. præp. ʒiii.
☿. ♎
dulc. aa. ℥ß.
M. F. Pulv:

§. 11.

Tandem & Virgæ appendicem, cum teſticulis incluſis, perpendamus, oportet; ubi quidem

SCROTI

SCROTI INFLAMMATIONEM ET INTERTRIGINEM

vel quævis muliercula pulveribus ſuis & farinis exſiccantibus curare novit: quibus ſaturnina ſubſtituimus in *Part. I. noſtræ Prax. Sect. I. cap. 8. p. 32.* Majoris momenti eſt

TESTIUM INFLAMMATIO,

à contuſione vehementiori ſæpius orta, ubi præter interna diaphoretica in principio ſeq. cataplaſma laudat *Barbette in Chir. p. mihi.* 384.

Rec. Pulv. Roſ. rubr.
Myrtill.
Balauſt. ana. ℥ii.
Farin. hord. ℥iiß.
Ol. roſac.
Acet. ſambucin. aa. ℥i.
Vin. rubr. q. ſ.
M. F. Cataplaſma.

In dolore vehementi, utplurimum conjuncto,

Rec. Farin. Semin. lini.
hordei
fœnugræci ana ℥i.
Fol. hyoſciami Mi.
malv. Mß.
Pingued. porc. ℥i.
🜕. ſem. pap. ℥iß.
Lact. vaccin. q. ſ.
M.F. Cataplaſma.

Quodſi in ABSCESSUM degeneret inflammatio, ad faciliorem ſuppurationem idem ſuadet emplaſtrum Filii Zachariæ:

Rec.

Rec. Ceræ Flavæ
Medull. crur. vaccæ.
Adip. gallin.
anat. aa. ℔i.
Mucilag. sem. lin.
alth.
fœnugr. aa. ℥ii.
🜖. lin. q. s.
F. Empl.

Abscessu rupto sin ULCUS remaneat seq. lavamentum commendat:

Rec. Flor. balaust.
ros. rubr.
Myrtill. ana. p. i.
Aloes ʒi.
Thur. ℈ii.
🜄. plantag. ℥iii.
vin. rubri q. s. coq. & col.

reliqua Unguentis solitis & Empl. expediendo.

§. 13.

Reliqui testium tumores, Herniis hactenus perperam accensiti, sunt Hydrocele, Pneumatocele, Sarcocele & Cyrsocele

HYDROCELE

vel Ascitem, vel vasorum lymphaticorum ruptionem pro causâ agnoscit, quam seq. Emplastro *Nuckius in Experim. Chir. XXXVII.* primo discutere sustinet:

Rec. Empl. de cumin.
melilot.
ranis cum. ☿. ana. q. s.

M. F. Empl. in PNEUMATOCELE quoq; adhibendũ. Hoc aliisque fotibus ex rad. bryon. 🜄. &c. non juvantibus apertionem acu, lanceolâ aut cauterio potentiali perficiendam suadet. In prioribus

PARA-

PARACENTESIS SCROTI

requiritur, quam à *Dn. Ravv*, Operatore Ambſtelodamenſi, *Anon. in Itinerar. Belgico-Angl. p. 125.* ſic adminiſtratam vidit: Perforato per inſtrumentum *Trocar* appellatum, ſcroto ab ▽ extravaſata intra horæ dimidiæ ſpatium liberabatur. In quâ operatione obſervandum 1. ne perforatione venas attingamus. 2. ut acus applicetur in loco transparente, nec profundius, quam quousque transparet, adigatur. 3. ut peracta operatione empl. de cumino, aut ſimile, applicetur toti ſcroto.

Notandum etiam in Hydrocele vaſa præparantia ac deferentia digitis diſtingui poſſe. In hernia è contrario cum inteſtino prolapſo eadem confuſa eſſe: quod pro ſigno diagnoſtico inſervire poterit. Curioſa ſunt, quæ de Hydrocele Malabaris endemia recenſet *D. Kaempferus*, in *Amœnit. Exot. Faſcic. III. p. 557.* cujus verba ſunt ſeqq.

OBSERVATIO

De

Andro, ſive Hydrocele, (ſcroti tumore) morbo regioni Malabaricæ endemio & communi.

Aquas, pro genio mineræ vel terræ natalis, morborum, quos endemios ſive vernaculos vocant, genitrices eſſe, palam eſt. Plica Polonica accuſat fontes Ucraniæ; Strumas propinat Styria & Transſylvania; Dracunculos ex ſtagnante imbre hauriunt Arabes deſertorum, accolæ Sinûs Perſici, & Gvineenſes Afri; Liquores verò fundi Malabarici potatoribus ſuis bigenerem morbum parturiunt, quorum prior ſcrotum, alter pedem occupat alteru-

trum; ille indigenis *Andrùm*, noſtris Oſcheo-hydrocele nuncupatur: hic Malabaricè *Pericàl* dictus, Pædarthrocacis, ſeu ſpinæ ventoſæ ſpeciem exhibet. Bicipitem hunc morbum gemino capite propoſiturus, id agam, ne hiſtoriæ ſterilitas tædium prolixitate pariat.

Andrùm, ſeu, ut cum paraphraſi ſonat, *Andu vvája ku*, vi nominis hydrocelem endemiam ſignificat. Morbi tragœdiam orditur ſcroti eryſipelas, ſingulis menſibus recidiva cum novilunio; quâ poſt unum & alterum diem ceſſante, eroſis lymphaticis, ſenſim in ſcroti cavum confluit liquor quidam ſeroſus, ſubſalſus, augmentum indies, lunâ præſertim creſcente, capiens, ſcrotumque ita diſtendens, ut immiſſa tandem ac educendus ſit. Liquor ille limpidus & tenuis eſt, quandoque magis viſcoſus, nonnunquam rufus, vel cruore dilutus, & aliis inſuper qualitatibus imbutus, pro laborantis temperamento & habitâ victûs ratione. Dicunt populares, latere cauſam morbi in aquis, quas propinat regnum Cocinenſe (vulgo ſcribunt *Cochin*, pronunciant *Cotſjiin*) ex puteis fontibusque telluris ſuæ, velut ſale ſcatentibus muriatico corroſivo, quo humores reliquæ Malabariæ ſint expertes; propinato ſemini fomentum præſtare auram natalem, quæ pravis quoque udæ ac depreſſæ terræ ſuæ inquinetur ſpiritibus; obſtante montium propinquorum jugo, ne diſſipentur: hos cum corpore humano ita propinatam toties materiam diſponere atque movere, ut eroſis ſcroti potius quàm alius viſceris vaſis, hydrocele, non alia hydropis, ſpecies produci queat. Nec leve momentùm, meo judicio, confert montanus flatus, qui eo tempore, quo Sol ultra æquatorem verſatur, poſt mediam noctem ſubortus, aërem ſubtili frigore perfundit, & expoſiti ſibi corporis humani poros, alioqui hôc cœlo patentiſſimos ſubito occludit. Hic (quod propriâ noxâ expertus ſum) interiora conclavium penetrans, morbos exaſperat & diras convulſiones excitat, quas in Europâ prodromos vicinæ mortis judicaveris; hîc tamen nihil ferentes exitii. Morbus civi atque hoſpiti, ſi annos aliquot hîc commoratus ſit, æque eſt fami-

liaris

liaris; ut plurimum hoc cœlo per totam hominis ætatem durans & incurabilis; nequaquam tamen periculoſus, nec aſſuetis valde moleſtus eſt: niſi fortè inveteratus noxam (quod ſæpe accidit) teſticulis inferat, atque adeo in Hydro-ſarcocelem degeneret. Clima morbi natalium mutanti menſtrua aqua in ſcrotum illico ſcatet parcior, & penitus tandem evaneſcit: Sarcocele verò jam contracta difficilimà, vel ne vix quidem, tollitur. In ortu, ajunt, utriusque morbi virus deſtrui atque aboleri poſſe, ſi fiat in puteis ſtrages cum arenâ, petendâ ex flumine provinciæ *Mangatti* dictæ, cujus alveus ex montibus devolutum ducit liquorem innoxium & limpidiſſimum. Faciunt id cultiores quique cives urbis & regni *Cociin*, ſucceſſu non omnino frugiperdo. Claret autem per Malabariam duplex *Mangatti* nominis provincia: una ex præſtantiâ dicti fluminis, ſita ad Cocinenſis territorii fines boreales, quà tranſitur *Craganorum*, Batavorum in littore maris fortalitium munitiſſimum: altera, verſus orientem, ad limites mediterraneos regni *Signatiæ* poſita. Longè hæc famoſisſima eſt à templo ſeu diverſorio ſimiarum, quas Brahmenum pietas aſſuefecit illuc quotidie ex ſylvis confluere, ad capeſſendum prandium. Raram hic loci (ſit venia digreſſioni!) ſpectare curioſo viatori licet ſimiarum pugnam, quam loci curatores in eorum gratiam exhibent, qui expendunt pro alendis beſtiis eleemoſynam. Nimirum, quando prandii tempus eſt, cum, oryzâ coctâ, baculus exponitur: hunc arripit, quæ appellit omnium prima, ut ceteras à patinâ arceat: unde aliis fuſtem, aliis cibum occupantibus, confuſum oritur certamen, quo jucundius nil deſideraveris. Credit incolarum vulgus, ſimias hominum ſylveſtrium genus eſſe, ſed quod loqui nolit, ne in mancipia capiantur à civibus. Sanè, pendent ibidem ex littoris arbore reliquiæ quædam crocodili, quem aliquando à ſimiis, plusquam humana adſtutia captum ſuſpenſumque fuiſſe narrant: Nam cum iſte pirata ex agmine ſimiarum proximam littori, fortaſſe ex fluvio bibentem, devoraſſet, ceteras bene gnaras, crocodilos ſubinde in prædæ locum redire, convoluto à ſe corticeo laqueo & ex alta ar-

bore in aquam demisso, insidias fecisse, & mox obtorto collo feliter illaqueasse hostem suum, & attracto fune suspendisse, socii sui vindices gloriosos.

Curationem quod attinet, ea popularibus palliata potius, quàm vera est: Usu enim receptum est, ope phlebotomi, è scroto vel singulis, vel interjectis mensibus tumenti, serosum laticem educere; nullâ, in operatione, habitâ cautione aliâ, nisi ut imo lateris alterutrius loco lanceolæ acies inferatur. Certum est, victûs ratione ad mentem Medici accurate instituta, tum pharmacorum, quocunque modo intentioni servientium, pertinaci usu, serum in scroto imminui, vel tardius colligi; morbum vero illo cœlo eradicari nunquam observavimus, quicquid ego & alii rigore Mercurii tentaverimus. Toties igitur frustrati populares, scalpelli mucronem experiri malunt, omni incommodo & periculo expertem, quàm in eventum dubium tot diætæ legibus, tot Medicorum præscriptis longum, & ipso morbo molestius, præstare obsequium. Verum, curationem nihilominus tentant gentiles Medici epithematibus ex speciebus vernaculis, quorum instar omnium & eximiæ virtutis esse dicebantur, quæ hîc Latine refero, ex liberali communicatione alicujus Medici Gymnosophistæ, utinam non Sophistæ!

Rec. *Olei expressi Sesami: Ol. expres. sem. Ricini, à Clusio* (perperam) *Ol. cicini dicti. Butyri cocti aa q. s.: frige super ignem, frixoque inunge folia Ricini, pediculis priùs exuta & enervata, calida, prout ferri potest, scroto admovenda.*

Majoris efficaciæ, ac in morbo inveterato demum præpollentis, habetur sequens:

Rec. *Cinnabaris q. s. seminis Coriandri, corticis arboris Moringa* (Arbor alexipharmaca A. Cost. dictæ) *aa q. s. singula in antecessum supra lapidem pulverisata subigantur in massam cum succo limonum: Hanc massam linteo exceptam scroto tumenti applica, removendam, quandocunque urere inceperit.*

§. 14.

§. 14.

In SARCOCELE pulverem rad. Ononidis à *Matthiolo in Comment. ad Dioſcor. l. 2. c. 18.* ſummè commendatum, interne ſingulo mane ad ℨi. in hauſtu vini abſinthitis optimum eſſe, in Cive quodam Giſſeno comperi, extus imponendo Empl. *Sculteti Obſ. LXXIV.* laudatum:

Rec. Gummi Ammoniac.
Galban.
Bdellii aa ℥ß.
diſſolutis in acet. add. Adip. Anat. liq. & col. ℥iſ.
Cer. citrin. ℥ii.
Ol. lil. alb.
Medull. Crur. bov. aa. ℨx.
M. F. Empl.

Juxta quæ & parti domeſticæ dextri femoris, 4. digit. ſupra genu) fonticulus ad derivandos humores inuratur.

His irritis ultimum refugium eſt caſtratio, quæ ipſa tamen, ſi malum adeò ſuccreverit, ut & partes vicinas corripuerit, omnibus viribus modisque diſſuadenda eſt, cum funeſtiſſimum & lethalem ejus eventum eo ipſo, quo hæc ſcribo, anno ſim expertus. An impotentiam, quam A. 1679. Sexagenarius, ob ſtuprum cum puella, quam è S. baptiſmatis fonte ſuſceperat, commiſſum, accuſatus, ejus intuitu ſimulabat, inferat, in Dicaſterio Giſſeno olim quæſitum & prævia Inſpectione oculari à *Facultate Medica* negatum fuit.

CIRSOCELE aut naturæ commitenda, aut, ſi nimis moleſta, eadem methodo tractanda venit.



CAPUT IX.

DE AFFECTIBUS PARTIUM GENITALIUM IN FOEMINIS.

§. I.

Visa Maritorum forma assistente, ad materiam substratam nos deducunt Metaphysici eandem non semper in abstracto, sed sæpe in concreto spectantes, sive primam & informem, ardenti admodum desiderio formam sibi convenientem (juxta Scholasticos) appetentem, sive secundam & formatam, suis pariter modis essentialibus instructam. Equidem Magnitudinis intuitu PARVA NATURALIA in sexu sequiori

ATRETAS

seu IMPERFORATAS offerunt, quando pudendo muliebri externo velamentum membranaceum est obductum, cum aut sine foraminulo relicto, sive jam malum hoc connatum sit, ut exemplum in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. A. 3. Obs. 3. p. 5.* suppetit sive accidentaliter aut post inflicta vulnera, vel partum difficilem labia aut vagina uteri coalescant, cujus rei observationem in vicinô olim pago habuit Chirurgus Gislensis, *Philippus Kochius.*

Utrobique Sectio requiritur, quam ex *Hieronymo Fabricio ab Aquapendente* in *Fig. XVII. Tab. XXXX. Armam. Chirurg.* ob oculos ponit *Scultetus.* In recens natis sc. membrana facile scalpello, aut forcipe acuta perficitur. Ubi tamen notandum, ne vel partes versus collum lædantur, vel quæ separari debent intacta maneant, néve foramen nimis angustum fiat & matrimonio futuro

futuro obicem figat, & ne tandem partes ſeparatæ de novo coaleſcant, ut *Schulzius* in *Miſcell.* ſupra cit. monet. In adultis Coalitum harum partium ita tractat *Fabricius ab Aquapendente Tr. de Operat. Chirurg. pag. mihi* 279: Reſupinatâ fœminâ tibiis ad coxas retractis & funiculis ad cervicem deligatis ſyringotomo altera extremitate acuto aut longiſſimo cultro ſcolopomachærio dicto, labraagglutinata, prius per longitudinem atramento ſignata, incidit: Labris ab invicem ſeparatis & ſanguinis fluxu ſedato fiſtula plumbea medicamento epulotico illinatur & vulvæ immittatur, ad perfectam uſque curationem. De vulva clauſa ſponte rupta, concipiente & pariente vid. *Miſcell. Nat. Cur. Dec.* 2. *A.* 7. *p.* 160. *App.*

§. 2.

Aperta ſic magnâ Anatomicorum foſſa malum priori contrarium, ſc.

CLITORIDIS EXCRESCENTIA

ſe trudit, quæ tanta ſæpe eſt, ut eâ pro virga abutantur τριβάδες, de quibuseleganter agit *Tulpius lib.* 3. *Obſ.* 35. ubi τρίβας allegatur, quæ cum viduâ quadam diu τὸ κλιτορίζειν exercuit, virgis ea propter cæſa & in exilium miſſa. Quanquam *ICtus Ioh. Paponius lib. XXII. Tit. VII.* areſt. II. hoc impudicum mulierum genus morte puniendum dicat. Clitoridem illa, dum exardebat in viduam, inſtar dimidii digiti erigebat, alias extus vix ſenſibilem. Vidua hanc libentius quam Maritum admiſerat. Fricatrices enim malunt cum fœminis, quàm maribus conſueſcere.

Quodſi vero Mulieres honeſtæ inutile clitoridis incrementum (malum Ægyptiis & Arabibus, quod dicitur, endemium) curari velint, inſtrumento ad polypum eximendum accommodo abſcindit laudatus antea *Fabritius ab Aquapendende*, ut in Figura I Tab. XLI. ob oculos ponit *Scultetus in Armamentario Chirurgico*. Alii ligaturam filo materia cauſtica imbuto ſuadent, quam

Platerus

Platerus ita doloroſum vidit in Matrona quadam, ut nullum amplius Chirurgiam admittere voluerit.

§. 3.

Cum dicta modo clitoridis excreſcentia non confundendum eſt aliud malum, quod (ſit venia verbis)

CAUDA VULVÆ

dicitur *Marco Aurelio Severino*, in *Chirurg. efficaci Part. 2. Cap. XCIV. pag.* mihi 120. & nihil aliud eſt, quam Græcorum κέρκωσις, dum ſubſtantia quædam carnoſa ab uteri oſculo prodit & pudendum muliebre replet, quod aliquando exterius progreſſum caudæ figuram refert.

Tollitur *Aëtio* autore, ſi caruncula prominens forcipe, diſtenta tota ex baſi reſecetur. Cave tamen ne Nymphas ejus loco prehendas, obſervando diſcrimen a laudato *Severino c. l.* traditum.

§. 4.

De nimia harum partum quiete raro conqueruntur fœminæ, rarius Mariti. Novi tamen caſum, ubi Doctor quidam Juris adhuc in vivis exiſtens, de

APPETITU ♀ PROSTRATO

Conjugis ſuæ conquerebatur & medicamentum quoddam ad eundem reſtaurandum exigebat: quod tamen haud multum operabitur, ni mutuus (qui in illa deficere videbatur) amor & affectus inſimul concurrat. Econtra Motus p. n. &

TENTIGO

in his partibus magis eſt moleſta, qui affectus, cum in India Orientali ſit endemius, à Dn. D. *Homberg*, Germanis Parentibus (mihi optimè notis) in India natus, olim pro themate *diſputationis inauguralis de Tentigine* A. 1671. Jenæ habitæ, electus fuit.

Pro cauſâ agnoſcit excreſcentiam Clitoridis ab humoribus plus

minus

minus salsis obrutæ & in cura præter interna, V. S. Purgationes, demulcentia &c. suadet resectionem, de qua in §. præcedenti 2.

§. 5.

Positura h. e. Situs harum partium naturalis vitiatur in UTERI PROCIDENTIA, quam triplici modo contingere posse ex aliorum propriis observationibus ostendit *D. Joh. Mauricius Hoffmannus* in *Disquisit. Anatom. Pathologica C. H. IX. §. 20.* Vel enim 1. fundus uteri invertitur instar chirothecæ & foris prominet, uti constat ex *Petr. Marchettis Observ. Medico. Syllog. obs. LXI. Diemerbröckii Anat. Lib. 1. c. 25. Thom. Bartholin. Hist. Anat. Cent. 2. Hist. 91. Ruyschii obs. Anatomico-Chirurg. Cent. obs. X. Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann.* 1. *obs. 141. & Dec. 2. A. 7. obs. 91. & A. 9. obs. 149. It. Dec. 3. A. 1. obs. 114.* Vel 2. Cervix & uteri osculum internum in sinum pudoris decidunt, juxta observationem *Plateri obs. lib. 3. p. 742.* qui bini modi respectivè insequuntur violentam fundi uterini & cervicis, ligamentorum item uterinorum violentam inversionem, avulsionem aut abruptionem, sub partu difficili, ab Obstetricibus imperitis. Vel demum 3. tunica interna vaginæ uterinæ aut ab humorum affluxu relaxata, aut violento nisu parturientium & alvum deponentium extra pudendum depellitur & globosa figura prominula verum uterum mentitur, qui modus omnium frequentissimus est, vid. *Miscellan. Nat. Cur. Dec. 2. A. 10. obs. 181. Dec. 3. Ann. 5. & 6. obs. 226. Job van Meeckren Obs. Medico-Chir. c. 54. & David van der Beck, in pecul. Dissert. de procidentia uteri.*

Quandoq; malum hoc ita comparatum est, ut cohabitationem maritalem omnino impediat, cum & in minori quoque prolapsu obstaculum quoddam, cum frigore, aliquali partis prolapsæ, sub congressu se sentire Amicus quidam mihi sit conquestus. Hinc utraque, vel alterutra pars divortium sæpe petit, ut è seq. Casu aliquot ante annos mihi oblato elucescit:

ACTUM

Gissæ, die 27. Octob. Anno 1711.

In Dicasterio Principali & Consistorio Ecclesiastico.

Postquam haud ita pridem ab Ecclesiaste Bruckfeldensi relatum fuit, *Annam Dorotheam*, Joh. Conradi *Dôrnigii*, Burckfeldensis, conjugem, ob invaletudinem corporis sui & quod à Marito suo ejusque Matre durissimè tractetur, divortium quærere; hinc bini conjuges hodie citati comparuerunt & examinati uxor ratione invaletudinis percepta seqq. deponebat: Ægritudinem suam à binis ultimis puerperiis, quibus binos fœtus demortuos pepererat, & ita quidem obortam fuisse, ut uterus prolapsus sit, nec ulla ratione in pristinum locum restitui potuerit: addens urinam sibi perpetuo præter voluntatem effluere & omni momento guttatim destillare, unde non tantum excoriatio illarum partium, sed & dolor indicibilis oriatur, adeò ut Marito amplius cohabitare non possit.

RESPONSUM
MICHAELIS BERNARDI VALENTINI, *Prof. Gisseni*

Prævia requisitione Dicasterii Gisseni Annam Doroth. Joh. Conr. Döringii conjugem, inspectioni oculari subjeci & inveni eandem insigni prolapsu uteri laborare, ita ut tumor ultra 6. digitorum latitudinem protuberans insigniter rubesceret & ob excoriationem summos dolores pareret, præsente simul continua ☐ incontinentia.

Quam-

Quamvis autem, ob ſymptomata modo dicta, per inſignem hunc uteri prolapſum congreſſus & cohabitatio conjugalis non poſſit non prorſus impediri, ita ut fatente Muliercula jam per integrum biennium Marito ſuo debitum conjugale perſolvere nequiverit; attamen & quoniam illa, juxta propriam confeſſionem, nulla hactenus remedia adhibuit, ipſæ partes elapſæ per fotus, balnea & thermas emolliri & ſucceſſivè in priſtinum locum reſtitui: & ſi non radicaliter curari, palliativè tamen per circulos uterinos, aut ligamenta illic ita detineri poſſint, ut debitum conjugale adhuc ſive repeti, ſive præſtari poſſit: eaque de cauſa ante remediorum exhibitionem matrimonium propterea non facile diſſolvatur,

Zacch. Quæſtion. Medico-Legal. Lib. IX. Tit. III. Qu. V.

Hinc morbum præſentem nondum penitus incurabilem dicere poſſum: quod ſubſcriptione propria & appreſſione ſigilli conſveti atteſtari volui. *Signat. Giſſæ die 28. Oct. 1711.*

Curatio autem fit reponendo partem elapſam, eamque vel medicamentis adſtringentibus, vel globulis & circulis uterinis illic detinendo & firmando, vid. *Medic. Nov-antiq. part. ult. cap. 4. §. 7.*

§. 6.

Figuram tandem & ſtructuram muliebrium deformant Tubercula varia, ſive in exteriore, ſive in interiore ſuperficie conſpicua, inter quæ rariores quidem, ſed moleſtiores ſimul ſunt

HÆMORRHOIDES UTERI,

ſeu turgeſcentia venularum in pudendis, cumprimis colli ac cervicis, propter ſanguinis viſcoſioris & terreo ſalini, aut & laudabilis in motu retrogrado intercepti, infarctum. Dividuntur, non ſecus ac hæmorrhoides ani, in cæcas ſeu furentes, & fluentes. Has autem à menſibus fluentibus ita diſcernit *Barbette* in *Oper. Chir. Anatom. lib. 4. Part. 3.* circa finem: Menſes cum fluunt, vaſorum ramulos

mulos in collo uteri nullos notare possumus, ipso enim ex utero proveniunt, nec dolorem ullum, nisi in hypogastrio excitant, & vasa, per quæ hæc secretio fit, sunt arteriæ hypogastricæ & spermaticæ. Hæmorrhoides verò sunt rami venæ pudendæ. Visu tactuque percipi possunt & dolor non nisi in pudendo.

Curantur ut vulgares. Laudatus Autor ad sedandum dolorem seq. laudat unguentum:

Rec. Mucilag. sem. cydon.
althæ. aa. ℥ß.
Croci
♂. Rosac.
Pingued. Gallin. ana ʒi.
Vit. ovi N. 1. F. Unguentum.

Alii ♂ hyosciam. 7. florum, unguent. anodyn. è verbasco hyosciamoque constanter laudant, vid. *Ludovici in Pharmacia med. seculo applicanda pag. 773.*

Rec. Lithargyr. aur.
Cerufs. lot.
Plumb. usti aa. ʒi.
▽. portul. ℥i. M.

Lavetur eâ pars affecta & abhinc lintea illa madida parti dolenti applicentur.

Reliqua Tubercula Pudendorum Condylomata, fici, myrmecia, fissuræ &c. curantur ut similia in ano supra enumerata.

§. 7.

Præterea ULCERIBUS quoque & VULNERIBUS obnoxiæ sunt partes obscoenæ, quorum priora ♀nepotulis familiaria deco-

decoctis lignorum & ☿ rialibus, tum interne, tum externe adhibitis curantur. Posteriora quidem rara, non tamen omnino nulla sunt. Vix enim lustrum abiit, cum simile vulnus, quod

PALUS VULVÆ INTRUSUS

intulerat, mihi concrederetur, cujus historia atque Casus ita se habet. Ancilla, tempore nocturno è loco quodam publico ligna pro foco accendendo allatura, desuper se demittens incidit in palum seu fissuram ligni, quæ in genitalia adeò profundè intrusa erat, ut vix ingenti vi extrahi potuerit. Sequitur hinc hæmorrhagia immanis, quam domestici farina volatili molendinarum quodammodo sistebant. Durante verò hæmorrhagia & accodente tumore, dolore & reliquis inflammationis signis me clanculum consulunt domestici, quibus gratificaturus seqq. præscribo:

Rec. ▽ Chærefol. ℥iii.
Ocul. ♋. præp.
Mum. aa. ʒi.
Laud. op. incompl. gr. iii.
M. D. Cochleatim.

Rec. Unguent. camph. alb. ℥i.
☍ tereb. ʒii.
M. F. Liniment.

Jubebam insimul intrudi Spongiam, vel Linteamina vino calido ebria. Ita convaluit.

Aliâs sæpissime etiam in partu difficili DILACERATIO Muliebrium accidit, cujus mali curam alibi, ubi de vulneribus perinæi actum fuit, tradidimus.

Reliqua HYMENIS VULNERA adeo non ingrata & morbosa existimantur, ut etiam, Comici verbis, quodam cum dolore delectent.

§. 8.

Quodſi poſt vulnera, aut ulcera ſimilia

COALITVS & ANGVSTIA VAGINÆ VTERINÆ

remaneat, dum parietes & ſuperficies interne excoriata & plus minus cruentata facile concreſcunt, tunc eadem ratione & methodo procedendum, ut in principio hujus capitis de Atretis dictum fuit.

INDVRATIO verò ORIFICII VTERI INTERNI,

partui difficili in Virginibus annoſis & Viduis ſenioribus anſam ſæpe præbens, emollientibus & cumprimis ſemicupiis inde paratis relaxari & curari debet. Formulam in *Primo Tomo Praxeos hujus infallibilis pag. 311. Colum. 1.* jam præſcripſi. Conf. *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. III. Ann. 1. Obſ. 94.*

§. 9.

Tandem ipſe quoque uterus ſimilibus infortuniis eſt obnoxius, ſiquidem præter ejusdem INFLAMMATIONEM, SCIRRUM, CANCRUM (internis utplurimum curanda) etiam in praxi dantur

VLCERA & VULNERA VTERI,

ſive jam à cauſis internis: humoribus acribus, ♀reis, partu difficili, aut ſecundinis corruptis, ſive ab externis: lapſu, contuſione aut ictibus oriantur. Sic rupturam ejus à partu difficili reperies in *Miſcell. Acad. Germ. Cur. Dec. I. A. 2. Obſ. 254. Dec. 2. A. 7. Obſ. 10.* & *Dec. 1. A. 9. Obſ. 115.* Dilacerationem à fœtu maſculino, cum placenta uteri ſupra inteſtina in abdomine repetto, in *Miſcell.* laudatis *Dec. II. Ann. 9. obſ. CXV.* Perforationem non procul ab orificio

interno

interno ab infante *Dec. 3. A. 6. & 7. obs. 83.* Unde hodie novum non est fœtum corruptum vel per anum, vel per alias vias insolitas frustillatim extrahi, cujus rei bina exempla in recenti adhuc memoria versantur, quorum alterum Alsfeldiæ in Landgraviatu Hassiæ superiore, alterum vero in Palatinatu se trusit. Prius ita se habet: Fœmina quædam Alsfeldensis Anno 1705. diu valde intumuit, pedibus simul adeò œdematosis, ut præ nimio dolore sectionem flagitaret. Pars eandem utero gerere ajebat, pars negabat, non obstantibus doloribus parturientium similibus, à muliere sæpe perpessis. Tandem diarrhœa accedit, qua pluribus sæpe noctibus 20. sedes habuit, prodeunte simul cranii particula. Præscriptis à Physico pellentibus spina dorsi cum 12. costis & corculo adhærente sequitur, sed omnia per intestinum rectum. Continuato remedio crus & brachiolum excernebantur. Interim magna cranii portio adeo se infixerat, ut nulla ratione loco moveri potuerit, donec post 5. hebdomadum effluxum suppurato tumore & injectis plurimis à Chirurgo *Clebergero* clysteribus, 12. fragmenta cranii prodierint, è quibus nonnulla in Museo meo adhuc servo. Sic exeretis successive omnibus particulis Mulier convaluit & diu adhuc in vivis exstitit.

Posterius Grünstadii, in Comitatu Leiningensi, inter Wormatiam & Spiram, se trusit & à Medico illius loci, *Lic. Freüdenbergio*, seqq. ad me perscriptum fuit:

PP. Matrona ex honesta familia oriunda, 40. circiter annorum, decimum gerebat fœtum: horâ autem partus appropinquante nulli dolores genuini, nothi autem quamplurimi sentiebantur & parituram summopere vexabant. Obstetrix & assistentes mulieres de consilio non minus quam auxilio solicitæ me, ut officio defungerer concredito, compellabant. Puerperam igitur in pariendi conatibus ac laboribus per integrum diem versantem tremebundam, labiis facieque pallentem, circa regionem hypogastricum vero intense frigidam, mammisque (quæ antea valde turgebant) flaccescentibus offendi. Refocillantibus illi succurrens

Obste-

Obſtetricem ſitum Embryonis exactiſſimè ut exploraret, admonui, quæ caput jam orificium uteri intraſſe obſervarat. Pellentia ergo adhibui ſimulque Obſtetricem officii ſui admonui, quæ & operam ſuam ritè impendebat, ſed proh dolor! omnia in caſſum! Ol. deſt. ſuccini (quod in tali caſu nunquam me deſeruit) ad guttas xxv. in vino generoſo propinatum ſine effectu fuit. Quid conſilii? hinc inde deliberabatur. Mox in mentem mihi incidit exemplum alius puerperæ, quæ ob ſecundinas craſſiores multa perpeti cogebatur: unde de laceratione illarum artificioſa cogitando Obſtetrix jam aquas effluxiſſe aſſerebat: inde analepticis & pellentibus per aliquot horas continuatis quid humeri valeant, quid ferre recuſent, tentavi. Vix unâ præterlabente horâ horrore percuſſa ſe motum fœtus planè non ſentire conquerebatur patiens, deque latere in latus ſe convertens partum quoque ſaxi inſtar eo dilabi referebat. Ex his & aliis fœtum infallibiliter demortuum judicavi. *Meauriceau* equidem cum *Welſchio*, *Rhumelio* & aliis, qui de Arte Obſtetricia ex profeſſo egerunt, membranulam in interſtitio oſſium cranii flaccidam æque ac ſecundinas ante fœtum excluſas pro certiſſimis & infallibilibus mortui partûs ſignis venditant, ſed falſo. Ego ſanè in primogenito aſt, eheu! demortuo partu ab uxore mea recens nato hanc membranam, quam fontanellam vocant, poſt obitum adhuc tenſam vidi: & Amicus probatæ fidei, in Enchireſibus Obſtetricum verſatiſſimus, νῦν ἐν ἁγίοις, ſecundinas ultra horam ante fœtum excluſas vidit, fœtu tamen adhuc vivô inſequente. Sed ad propoſitum nunc redeo. Mitioribus nihil efficientibus, juxta monitum *Hippocratis Aphor. 6. Sect. VII.* ad ferrum confugiendum eſſe duxi. Aſt pars adſtantium lapidem aëtitem admovendum, pars totum negotium Naturæ committendum aſſerebant: quibus tanquam ex tripode dictis obſecundans puerpera per tres integros menſes beneficium Naturæ fruſtra expectat, quamvis à gravioribus ſymptomatibus immunis res domeſticas more ſolito curaverit. Ab eô verò tempore materia quædam tenuis & ſimul graveolens immediatè infra umbilicum per

ulcus,

ulcus, quod effecerat, effluebat, ut de novo tandem me desuper hoc consulere teneretur. Dixi ingenuè liquamen hoc à partibus carnosis corruptis provenire, sed assensum mihi denegans aliis peregrè habitantibus se credebat, à quibus multa perpessa fuit, nullo tamen ex iis rem acu tangente. Materiæ putridæ effluxus non solum per integrum annum cum spatio trimestri perdurabat, sed & tam adversum tetrumque indies fœtorem spirabat, ut ægræ & adstantibus molestissimus & intolerabilis existeret. Alvus per octiduum contumax nonnisi adhibito prius clystere solvebatur. Tandem immediatè infra umbilicum ex ulcere antedicto duri quidpiam exitum moliebatur, quod dolorem intensum, lancinantem & per abdomen ita divagantem efficiebat, ut afflicta non aliter sibi esse diceret, ac si omnia in abdomine animata sint, quæ umbilicum & intestina mox contrahant, mox extendant. Videns ergo & firmiter sibi persuadens me à vero non aberrasse, spem jam immotam in me collocabat mihique totum negotium relinquebat. Ulcus jamdum lividum inspiciens, observo, quod pars scapulæ partûs retenti & os humeri aliud recipiens exitum moliatur. Quum autem vulneris diameter vix nucis juglandis magnitudinem excederet, ac neque huic, neque reliquis ossibus exitus pateret, res difficultatis plena statim primò sub intuitu comparebat. Misericordia autem Jehovæ, afflictam benignè conservans, de remedio mihi cogitandi specificum quoddam apozema, cujus aliis in literis ad M. T. perscriptis mentionem feci, suppeditavit, quo solo, absque ulla sectione, Matrona nostra 12. hebdomadum spatio in integrum restituta fuit. Modus operandi hujus medicamenti adstantes fere in stuporem dedit. Quamprimum enim unum vel alterum haustulum assumpserat, nescio quas subsultationes in abdomine sentiebat, ulceris, antea exigui & angusti, orificium dilatabatur, livor ejus cum naturali colore permutabatur, alvus indies suo defungebatur officio, ossaque à capite ad calcem ad unum omnia, in figura sua naturali, absque ulla instrumentorum ope, sponte sua, sine insigni cruciatu & dolore, ex ulcere hoc infra umbilicum successivè extracta fuerunt,

runt, nisi quod cranium parte sua convexa ulceris aperturam, obicis instar, claudens sicque reliquis ossiculis exitum denegans instrumento admoto hinc inde prius movendum & circa suturas in partes dividendum partitisque vicibus extrahendum fuerit. Via ita reserata sequebatur placenta uterina, una cum membranis fœtum involventibus & funiculo umbilicali, eodem ex loco, & postquam omnia statim aqua abluebantur, incorrupta omnia & plane intemerata visa sunt. Quodsi jam rarum & curiosum est, quod *Riverius* habet de secundinis in utero retentis & exsiccatis, quodve *Miscell. S. R. I. Acad. Nat.* de secundinis ultra mensem in utero retentis & *Kerckringius* in *Spicileg. Anatomico* de secundinis quarto demum mense à partu incorruptis editis referunt, non minorem, si non majorem, admirationem merebitur easdem ultra annum, extra uterum, in abdomine, citra corruptionis notas delitescere potuisse. Interim sanitati ita restituta (ut videbatur) puerpera nostra, per integrum mensem, quoad actiones in corporis œconomia obeundas, excreta & retenta qualitatesque externas bene se habens jam non de medicamentis, sed alimentis palato acceptis solicita cuticulam curabat. Ast elapso eo novos Morbonæ insultus patiebatur, dum cardialgia ad syncopen usque correptæ ulcus sub umbilico de novo inflammabatur, indeque mox chylus, mox fæces alvinæ effluebant, quibus in tantum emaciebatur, ut cutis vix ossibus hæreret. Advocatus rursus ulceris inflammationi defensivis spirituosis, ne malum eundo serpat, restiti & balsami Peruviani, in embammate quodam medicamentoso propinati, usu fluxum compescui, qui tamen subinde repullulabat. Quid facerem? En singularem & oppido rarum, ab Illustrissimo quodam Comite, ex singulari, qua me Gratiosissimè prosequitur, clementia mihi concessum curandi modum, quem in seq. Casu feliciffime adhibitum vidit: Miles quidam, Magistri Equitum munere defungens, ab Antagonista suo in duello gladio per costas inferiores transfossus erat. Hic decocto nostro, de quo ante jamdum dixi absque ullis aliis, crebrius assumto perfectissimè curatus fuerat. Ad hujus imitationem idem medi-

medicamentum repetii & vix uno vel altero haustu assumto ossicula quædam acuta, in ulcere adhuc relicta, eliminabantur. Omnibus autem expulsis, decoctum ea, qua offerebatur facie, effluebat, quo & dolores qs. absterfi desiêrunt & abhinc ægra nostra instar Phœnicis quasi revixit.

Hisce M. T. benedictioni & providentiæ summi Numinis commendo, cui ut humilimas pro gratia ad curationem concessa gratias persolvo, ita devotis illud precibus supplex veneror, ut curis nostris porrò ex alto benedicat, ut felicem semper sentiat æger opem. *D. Grünstadii è Mus. d.* 1. *Febr.* 1710.

§. 10.

Circa LETHALITATEM VULNERUM UTERO INFLICTORUM negari quidem non potest illa vasis sauciatis, ob hæmorrhagiam incompescibilem, absolutè lethalia esse posse. An verò eadem extra majorum vasorum diramationes utero, dum fœtum gestat, inflicta, tum matri, tum fœtui semper lethifera existant, ut *Bohnius Tr. de Renunciat. vuln. pag.* 395. asserere non dubitat, illud omninò negat Dn. *Joh. Maur. Hoffmannus* in *Disq. C. H. Anatomico-Patholog. p.* 124. edoctus exemplo contrario cujusdam Capucini, Neagori in Palatinatu Superiori à se visi, cujus mater ipso gravida ex vehementi ad bacillum, extremitate acutum, allisione non uterum sibi solum, sed fœtus etiam thoracem sub papillâ dextrâ pertuderat, Matre post consolidationem viva remanente, ut & cicatrice in Religioso relicta conspicua.

Nil dicam jam de

PARTU CÆSAREO,

quem in vivâ matre feliciter cessisse *Roussetus de Partu Cæs. Doringius in Epist. ad G. F. Hildanum, Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 3. *A.* 2. *Obs.* 17. aliique confirmant. Quid quod uterus sine vitæ discrimine exstirpari possit, teste *Rousseto l. c. s.* 4. *c.* 5. *Lan-*

gio Epist. Med. lib. 2. ep. 39. Misc. Acad. Germ. Cur. Dec. 2. A. 9. Obs. 49.

§. 11.

Frequentissima verò in Praxi est

FOETUS MORTUI EXTRACTIO,

quam cum *Celso* inter difficilimas, laboriosissimas & periculosissimas constituit *H. Fab. ab Aquapendente Tr. de Oper. Chir. pag.* 281. Non rarò tamen simplicissimo apparatu perficitur, cum Celeb. *Rolfincius* hamo simplicissimo eandem sæpius exercuerit, qualis in *Fig.* 2. TAB. XIII. ob oculos ponitur. Imo nuperrimè adhuc mihi à Viro magnæ existimationis relatum est, Obstetricem quandam operationem hanc manubrio hamato candelæ pensilis (mit einem Krappen von dem hangenden Licht) felicissimè in actum deduxisse. Cum verò in casibus difficilioribus hæc neutiquam sufficiant; hinc *Cornelius van Solingen*, Embryulcus Hagiensis quondam celeberrimus, varia huic actui destinata instrumenta invenit, quæ ut ante 5. lustra mihi ad oculum ostendit, paulo post in *Embryulcia* elegantissimâ publici juris fecit, quam cum Enchiresibus adjunctis Chirurgicis omnibus Philiatris commendo admodum.



CHI-

Fig. 1.

Fig. 3.






Fig. 2





CHIRURGIÆ MEDICÆ
SECT. IV.
DE
AFFECTIBUS ARTUUM.
CAPUT I.
DE
ARIDURA seu ATROPHIA PARTICULARI.

§. 1.

Perlustratis trium C.H. regionum morbis non minus arduos quosdam artuum affectus aggredimur, qui vel omnibus communes, vel his aut illis membris in specie infensi sunt. Inter priores durus

ARIDURA

nodus est, cui durus est statim cuneus quærendus. Hujus tres species constituit *Felix Würz. Chirurg. Part.* 3. *cap. ultim.* 1. quæ oritur ab effluxione synoviæ, post vulnera & alias læsiones externas. 2. quæ oritur ab obstructione aut induratione tubulorum. 3. ab inundatione eorum & flacciditate, in paralyticis. Primæ intuitu hominem haud absurdè comparat arboribus, è quibus extus sauciatis si humor nutritius effluat, corrumpuntur

primum & mox penitus emoriuntur. Prout ergò aut ſanguis & ſerum, aut exinde conſtans ros, vel gluten nutritivum, vel & fibræ inſimul corruptæ ex hac vel illa parte effluunt, eatenus aridura aut levior, aut difficilior inde oboritur.

In cura, præter dixtam laudabilem, idem ſuadet commune Plebejorum experimentum, quô

Rec. Caput
Pedes
Pulmones
Hepar } alicujus capræ, aut ovis, aut vituli,

hæeque omnia à pilis & impuritatibus aliis adhærentibus liberata coq. in ▽ & vin. ana. p. æ in ollâ novâ, donec carnes ab oſſibus ſecedant, quas rejectis oſſibus in jure antedicto tamdiu coquunt, donec omnia in conſiſtentiam juſculi redigantur: cui membrum affectum, quàm calidè perferri poterit, immittatur, aut cum linteis duplicatis illi applicetur, repetitis his, quamprimum refrigeſcant. Hoc tamdiu continuetur, donec æger ſentiat calorem in parte. Abhinc unguentis convenientibus pars inungatur & ſæpe fricetur.

Alii ut ſingulare remedii genus (quod in Virguncula quadam Giſſena contuliſſe novi) extollunt, ſi pecorum recens mactatorum, aut canum inciſorum abdomini, vel ipſorum ſanguini adhuc calenti & fumanti partes, aut poſt luxationem, aut alio nervorum morbo aridurâ laborantes, immergantur, inibique detineantur, donec refrigeſcant animalis demortui interanea, ſanguisque coaguletur ater; & quamvis reſtitutionem è vitali illô blandulo, noſtroque ideò tam amico, deducant calore, felicius tamen rationem operandi ex corrugatarum ac exſiccatarum partium vaporatione & exin oriunda nervoſarum aliarumque partium relaxatione derivavit *D. Chriſtianus Johannes Langius*, in elegantiſſima Diſput. cui Titulum: *Hominem Aerometrum* fecit §. XLI.

§. 2.

Utrobique autem non omittenda ſunt unguenta, linimenta & alia

& alia topica nervina, ſuccus & ~ lumbr, ▽. articulorum ad extra, ~ formicarum, ~ ⊖ *. Unguent. Agripp. nervinum pingued. hum. vulpin. &c. *Wurzius* ſupralaudatus ſummis laudibus evehit ſuum arcanum O. quod & contra malum iſchiaticum commendat. *Guilielmus Fabritius Hildanus* autem oleum ſuum de ranis præſcribit, cujus præparationem & ingredientia *Tr. de Ichore & Meliceria cap.* 24. tradit. In ejus defectu ſequens linimentum ſubſtituit:

Rec. ♂. Lumbricorum ℥ii.
de pip.
euphorb.
caſtor. ana. ℥i.
gran. junip.
M. F. linim.

Vel

Rec. Axung. equi (Kamfett.)
human.
urſi
muris alpini aa. ʒi.
M. & add. Lumbricorum exſicc. pſ. ℥i.
Euphorbii
Pip. longi
Pyrethri aa. ʒi.
M. F. Linim. quo tota pars affecta, quotidie bis, calidè inungatur, donec ruborem concipiat.

Equidem *Wurzius*, aliquoties laudatus, ab Euphorbio ſimilibusque calidioribus & nimis exſiccantibus abhorret; quod etſi in primâ ſpecie ariduræ, ab effluxo ſynoviâ, locum habeat, attamen, ſi malum ab obſtructione tubulorum aut paralyſi oriatur, contemnendum non eſt, ſiquidem ♂. euphorbii c. frictione optimè contuliſſe novi. Conf. *Grembſius in Arb. hom. ruinos. part. 2. pag.* 210.

§. 3.

§. 3.

Quodsi nimia durities & contractura aliquo in loco partis affectæ adfuerit & transitum nutrimenti & spirituum retardaverit, illa emollienda & resolvenda erit seq. fomento:

Rec. Radicum alth.
lil. alb.
bryon.
ebul. aa. ℥ß
Fol. alth.
malv.
beton.
Flor. calendul.
melilot.
sambuc. aa. Mß.
Sem: lini.
fœnugræci aa, ʒii.
anisi ʒi.

incid. & contundantur omnia grossô modò, pro sacculo interpassato, qui in ▽ coquendus & calidè applicandus est, ter quaterve in die: Post fotum inuncto loco affecto oleo lumbricorum, liliorum alborum, unguent. dialth. empl. de mucilaginibus, vel œsypi Philagrii aut de ranis cum ☿. Convenit & empl. de cicuta; mirum enim in modum resolvit & emollit, teste *Hildano c.l.*

§. 4.

Ubique autem frictiones, cum motu partium, omnino necessariæ sunt, desuper ad inferiora, non vice versa instituendæ. Quodsi ergò brachium contabescat, deorsum illud tendat & onera sæpe portet. Sin femur aut pedes aridura laborent, semper standum aut eundum, magis eo pede, qui afficitur; & quamvis post frictiones aut exercitia tumor aut inflammatio aliqua accedat, nil tamen incommodi pertimescendum, sed potius certa inde reconvalescentiæ spes haurienda est. Idem de formicationis sensu statuendum. Et quamvis insignes etiam in manu pedeque affectis dolores

dolores oriantur, omissis per aliquot dies frictionibus tamen statim cessant, Plura qui hoc de affectu desiderat, adeat *Agricolam in Chirurg. parva pag.* 314. *& seqq.*



CAPUT II.
DE
TUMORIBUS ARTUUM.

§. I.

Aridurae in capite praecedenti expeditae è diametro contrarii sunt

TUMORES ARTUUM

tam humorosi, quam cystici, quorum priores vulgo in Sanguineos, Biliosos, Pituitosos & Serosos dispescuntur.

Inter Sanguineos eminent

SUFFUSIO ET INFLAMMATIO,

quarum prior à sanguine, ob violentias externas, sub cute partium extravasato, posterior ab ejusdem in partibus interceptione & stagnatione oritur, unde rubor, calor, dolor & tumor. Utraque autem praemissis internis, imprimis diaphoreticis & quandoque V. S. externe curatur per medicamenta discutientia, resolventia & dissipantia. Adeoque in SUFFUSIONE à CONTUSIONIBUS

Recip. Rad. Sigilli Salom. ℥i.
Symph. major. ℥ß.
Herb. chaeref. Mii.
Flor. ros. rub. Mj.
Coq. in s. q. ▽. & vin. ad consist. pult.
F. Cataplasm. & imp. cal.

Fff Vel

Vel ▽. ♌. sigill. Sal. c. Spir. ⊖ * cum lint. dupl. sæpè adhibeantur. Chirurgi nostrates frequenter etiam oleosis utuntur, quæ tamen penetrantia & volatilia esse debent, ut facile penetrent, se fibris interponant & sanguinem rarefaciant: v. g.

Recip. ℴℴ. rof. coct.
chamom.
cappar. aa. ʒi
ovorum. ℥ß.
M. inungatur calidè

Abhinc imponunt Emplastrum oxycroceum, & si sanguis maximâ ex parte sit discussus constringentia & tonum fibrarum roborantia addantur:

Rec. Empl. contra rupt. vel
de pell. ariet. q. p.
mal. c. ℴℴ. myrtin. & app.

§. 2.

IN EXTERNIS ARTUUM INFLAMMATIONIBUS, præter interna in *Part.* 1. *sub. Tit. de inflam.* laudata, similia discutientia: mentha calam. chamom. melilot. fl. famb. sem. foenugr. axung. ursi, sterc. columb. capr. ℴℴ chamom. Unguent. dialth. Empl. de melilot. oxycroc. diaphor. Mynf. variaque ex his composita applicantur v. g.

Rec. Pulv. flor. chamom.
melilot.
fambuc.
anethi. aa. p. i.
Herb. chamomill.
fœnicul.
ebuli ana p. ii.
Rad. ebul.
alth.
ireos ana ʒii.

Sem

Sem. fœnugræci. ℥ß.
Coq. in s.q. ▽. ad consist. pult.
addc ℴ℘. chamom.
irini.
melilot. ana ʒi.
M.F.l.a. cataplasma

Vel

Rec. Ungent. dialth.
ol. chamom.
cappar.
irin. ana ʒi.
axung. castor. ʒiß.
M. F. l. a. Unguentum

Vel

Rec. Unguent. Agripp.
Marciat. aa. ℥i.
ℴ℘. chamom. ʒij. M.

Item

Rec. Herb. origan.
calament.
serpilli
Flor. chamom. Rom.
melilot. ana. Mi.
M·F. Saccul. in vino coq. & appl.

Vel simpliciter flor. chamom. coq. in vino & in vesica bubula calidè adhibeantur.

Rec. Empl. diaphor. Mynf. ℥i.
malax. c. ℴ℘. cham.

In subjectis unguenta & emplastra non ferentibus pulveres simpl. illarum c. 🜍. & farin. volat. molendin. vel 🜔ia volat. cumprimis autem ⌢ 🜔 ✱. applicentur.

§. 3.

Quodsi tumores ejusmodi discuti nequeant, sed (ut in FURUNCULIS plerumque necessarium est) ad suppurationem deducendi sint, Barbitonsores helcticis suis & attrahentibus (pressione tamen aëris agentibus) quæ vocant, utuntur, queis materia dispersa colligitur & qs. concentratur, ut suppuratio eò citius succedat.

Talia sunt Emplastrum citrinum (gelber Zug) empl. triapharmacum (vulgo brauner Zug) It. Gummata & exinde constantia emplast. diachylon simpl. & cum gummat. It. Unguent. Basilicon. s. maturativum, quod Chirurgi semper in apparatu suo portatili (in dem Bindzeug) ad manus habent. Hunc in finem etiam cataplasmata fiunt ex melle c. farin. ex lact. vit. ovi & micâ panis albi, vel ex emollientibus herb. & rad. v. g.

Rec. Rad. lil. alb.
alt. aa. ℥i.
Herb. malv.
parietar.
senecion. aa. M. Contus.
Coq. in hydromel. ad consist. pult. add.
Axung. porcin.
℘ lil. alb. aa. ℥iß.
M. F. Cataplasma.

§. 4.

Suppuratione facta tumoreque emollito

ABSCESSUS APERTIO

(ni sponte suâ rumpatur) instituenda est, circa quam operationem cautelæ nonnullæ observandæ sunt, quas omnium optimè inculcat *Nuckius* in *Experim. Chirurg.* 45. *p.* 148. Curandum sc. ut secundum ductum fibrarum carnosarum, idque in loco eminentiori, sed declivi molliorique fiat, sive scalpello, sive cauterio potentiali utamur. Hoc, cauterium sc. potentiale ob seqq. rationes quidam eligunt 1. quod ægris terrorem non incutiat 2. quod tantum sæpe dolorem

lorem non pariat. 3. quod facta ſeparatione apertura inde ſequatur amplior, ſicque materiæ liberior exitus pateat. Parantur autem cauteria illa ex ♆ & ſmegmate forti ana q. ſ. vel

Rec. Ciner. clavel. ℔ß
Calc. viv. ℥ij.
⊖ ⌽.
✱ ana ℥iß

Infundantur omnia in ▽. com. lib. IV. vaſe clauſo ſtent per dies 6. aut 7. quibus elapſis lixivium guſtari poteſt. Si vero ſatis acre non ſit, adde

Cin. clav. ℥iß
Calc. viv. ℥ß. M.

Sin ſatis acre viſum fuerit, decantandum, craſſius verò & terreſtre, tanquam caput mortuum rejiciendum. Decantatum deinde tamdiu coquendum, donec primò in maſſam pultaceam, mox in talem abeat duritiem, ut inde lapilli aut fruſtula formari poſſint, quæ cauteria vocantur & vitro benè clauſo indita in loco ſicco aſſervari debent, ne humidioris aëris attactu liqueſcant. In ⊖ ⌽ locum ⊕. calcinat. alii ſubſtituunt.

Priusquam autem cauterium applicetur, probè obſervandum, an vaſa ſanguifera majora, tendines, aut nervi in ea partè occurrant, quæ ſi ac cauterio potentiali graviter lædantur, funeſta ſymptomata producere poſſunt. Sin vero nihil obſtet, emplaſtrũ agglutinatoriũ perforatum adhibetur, cujus foramini cauteriũ, cauterio plumaceolum, plumaceolo iterum emplaſtrum imponitur: denique faſcia omnibus hiſce ſuperinducitur, atque hoc in ſtatu per 2. 3. quatuorve horas relinquitur. Ubi autem tanto temporis intervallo ſatis profunde pars nondum corroſa fuerit & materiæ nihilominus exitus concedendus ſit, ſcalpello via ipſi aperienda.

Qui vero ſolo ſcalpello uti malunt, ſeqq. rationes in contrarium adferunt. 1. Quia ſecundum longitudinem & profunditatem eo ipſo tanta fieri poteſt apertio quanta requiritur. 2. ipſo inſtanti & momento materia educitur. 3. ſi cauterio potentiali inſti-

 tuitur

tuitur operatio, circa partes glandulofas peculiari vafe excretorio, aut vafculis lymphaticis donatas, ob callofam hifce ductibus introductam oram, lymphæ aut feri ftillicidium fæpe fequitur, quod ab incifione fcalpello facta non metuendum. Tumore fic aperto aut incifo materiaque excreta pro exigentia rei cannula immitti poteft, puri tranfitum præbens: reliqua mundificantibus & confolidantibus expediendo, de quibus in ulceribus & vulneribus.

§. 5.

Quodfi tumor neque refolvi, neque fuppurari poffit, fed

GANGRÆNA

immineat, *D. Joh. de Muralto* præviis internis vuln. confort. fcarificationibus profundis, fomentationibus cum 🜋. camphorato, myrrham, theriacam & ▽.♆. cum ☿♎ rub. prodeffe vidit in *Mifcell. Acad. Germ. cur. Dec. 2. A. 3. obf. 143. p. 285.* Cum enim in hoc affectu obftructis vel compreffis vafis fanguiferis fanguis ad partem aliquam liberè pervenire non valeat, adeoque nectare hoc deficiente emori poffit, hinc volatilibus via illi aperienda & ea vi, qua 🝆 acidos min. mitigat 🜋. acidum peccans in gangræna corrigendum eft, explicante Illuft. *Schræckio in Schol.* Eundem in finem *Craanius in Prax. Med. Reform. cap. 117.* laudat ▽. theriac. camph. & vin. abfinthit. in quo fcordium, aloes & myrrh. macerata, cum linteis fuperponendo. In caufa venenatâ præter veficatoria, theriacam: in fcorbuto antifcorbutica, 🝆 ⊖ * & fimil. præfcribit *Barbette in Op. Chirurg. p. 2. l. 1. c. 14.* Communiffimum verò Barbitonforum levamen eft Unguentum Ægyptiacum, quod præftantiffimum & primarium contra gangrænam dicit *Hildanus Tr. de Gangræna & Sphacel. c. 13.* qui obtecta tota parte Ægyptiaco infuper applicandum fuadet fequens cataplafma, putredini pariter refiftens, humores exficcans doloresque fedans:

Rec.

Rec. Farinæ lupinor.
lentium
fabarum
Lolii
⊖. marini ana ℥iii.
Pulv. summit. absinth.
scordii utriusque
alliariæ
rutæ ana ℥i.
Coq. in oxymelite simplici & F. Cataplasma, refrigerato adde
Aloes
Myrrh. aa. ℥i.
▽. vit. ℥iii. M.

Alii statim in principio adhibent defensivum ejus seq.

Rec. Farin. hord. ℥iii.
Boli Armen. alb. ℥ii,
Pulv. Gallar. virid.
Nuc. cupressi
Cort. granat. aa. ʒiß.
Camph. ʒi.
c. oxymel. F. Cataplas.

Oleosa nocent, ut & pinguia, quæ poros obstruendo transpirationi insensibili hic necessariæ contrariantur.

§. *6.*

*S*æpiusculè mortificata parte tandem

SPHACELUS

accedit, qui nihil aliud, quam membri affecti Amputationem indicat, ne pars sincera trahatur. Qua ratione autem & methodo ARTUUM AMPUTATIO comuniter institui soleat, in *Medicina Nov-antiqua Part. ultim. cap. 6. p. 474.* fusius ostendimus, adeoque non opus esse videtur, ut actum hic agamus, Novum tantum

&

& recentissimè inventum amputandi modum jam addemus, quem primo Scriptor quidam Anglicus, *Jacobus Yonge*, in Epistola *Currui triumphali ex terebinthina* annexa, ab alio Anglo Lowdham nomine sibi communicatum descripsit, postmodum autem non tantùm in Belgio exercuit, sed & in peculiari *Dissertatione Epistolari* de *Nova artuum decurtandorum ratione* fusius prosecutus est *Petrus Hadrianni in F. Verduyn*, Chirurgus Ambstelodamensis quam una cum fig. æneis in compendio exhibent *Acta Eruditorum Lipsiensium* Anni M DC XCVII. *Mens. Mart. pag. 119.* Enchirises à citato Autore adhibitos αὐτόπτης in casu notabili & oppido raro recenset *D. Fridericus Ruyschius*, in *Resp. ad Epistol. Anat. Problematicam XIV. Thesauris Anat.* subjecta. Verba ejus hæc sunt: Juvenis quidam, cui nomen Christianus Veldmet, 16. annos præterpropter natus, nuper ad nostras venit ædes, correptus non solum tumoribus magnis in dextra, verum etiam sinistra manu, uti & in utroque pede eorumque digitis: qui tumores admodum duri, extrinsecus accurate radices cyclaminis, aut potius chrysanthemi Americani radice tuberosa æmulabantur. Hujus mali causam nobis expiscantibus retulerunt ægrotus, ut & anus quædam, ejus Matertera, quod Mater imprægnata impense appetiverat dictas radices Crysanthemi Americani, quas tamen impetrare haud potuerat. Fœtu jam in lucem edito, reperti sunt, ut ajebat anus, exigui tumores in manibus atque pedibus, qui temporis successu in tantam excreverant molem, præsertim in sinistra manu, ut brachium diutius sustinere vix potuerit, imò coactus fuerit dextra sinistram suffulcire. Tandem, cum unus ex istis tumoribus ulcerosus factus emisisset aliquoties multum sanguinis & patiens manus ponderositatem doloresque immanes diutius perpeti haud posset, totius manus exstirpationem nobis proposuit. Nos autem considerатis considerandis annuebamus quidem ejus petitioni, ast verò absque Magistratus consensu variorumque Expertissimorum Medicorum & Chirurgorum adstipulatione operationem non aggressus est Magister *Petrus Verduyn*, auxiliantibus ejus Filio, ut & Genero *Gomaro à Bortel*.

Die

Die igitur constituta ad dictæ manus amputationem præsentes se sistebant Viri expertissimi, *Vlackveld*, *Smedingh*, *Schyn*, *Valentyn*, *la Gme*, *Smit*, nec non exercitatissimi Chirurgi, *Aurick*, *Dentelius*, *Pothyssen &c.* Patiens, brodio confortatus, admodum erat animosus operationemque perpessus est ferè absque ejulatu, ut omnes, qui operationi interfuere, admirati fuerint.

1. Humeri pars superior circumducebatur splenio quadruplicato, super imposito splenio longitudinali lateri interiori brachii & quidem secundum longitudinem, ut hujus & funiculi, seu cinguli constrictorii, ope vasa tutius & minori cum noxa inter operationem comprimi possent.

2. Hoc facto Dn. Smith, Hafniensi, injungebatur cingulum constrictorium bacilli ope leniter & in operatione ipsa fortius contorquere, partim ad sanguinis profusionem inhibendam, partim ut pro tempore brachii stupor excitaretur & dolor arceretur.

3. Ansâ gracili arte circumducebatur cubitus infra juncturam. Hisce peractis Magister *van Bortel*, Gener Magistri Petri Verduyn, partem musculosam sinistrâ arripiens dextrâ cultello ancipiti & mucronato eam perfodit, quam proximè fieri potuit, ad ossa cubiti & radii.

Hæc initio facta latere interiore brachii, quem locum quoque occupabat Operator dictus. Perfossa parte musculosa cultrum ulterius adegit, incisionem continuando, donec sufficere videbatur pro vulneris tegmine, & sic ulterius transversim carnem abscindebat. Porrò Magister *P. Verduyn* cæteram partem carnosam circulariter & celeriter incidebat cultro falcato, ad ossa usque, & periostio abraso utrumque os serrâ dividebat; interim ne caro propendens à cultro aut serra offenderetur, Mag. *Adrianus Verduyn* prospiciebat.

Manu amputatâ & spongia madida rasurâ ossium ablata vulnus,& per consequens utriusque ossis extremitas tegebatur,quidem à dicto Magistro carne propendente & reservata: ast vero propter carnis contractionem, quæ illico fit post incisionem, totum vulnus ex voto contegi haud potuit. Itaque quod restabat vulneris, ut & totius membri amputati truncus, frusto plano fungi orbicularis obducta & contecta fuerunt, superimposita vesica madida, & super eam altera madefacta, quæ priori aliquanto major erat. Hæ binæ vesicæ, ut firmius cuti adhærerent, comprimebantur & stabiliebantur circulariter frusto emplastri conglutinantis, cujus latitudo erat unius unciæ, longitudo autem spithamarum duarum.

Hoc facto tertia quoque vesica madefacta superimposita fuit, hæmorrhagiæ metu. Isthæc præcedentibus longior & eodem modo stabilita altius brachium cooperuit.

Hisce ita munitis lamina concava, splenio quadruplicato intus obducta, membri extremo applicata fuit, ea intentione, ut deligatione peracta, famuli manu lamina comprimeretur truncus, hæmorrhagia inhiberetur & ligaturæ laxius applicari liceret; ut autem dicta lamina cava trunco cohæreret, duo frusta Empl. conglutinantis cruciatim adhibita sunt, ejusdem naturæ ad supra citatum. Hisce peractis & cingulo constrictorio (Gallice *tournequet*) dissoluto, membri extremo applicatum fuit alterum splenium, ex linteo confectum, præcedente majus & crassius, illudque firmatum fuit fascia simplici capite prædita.

Deligatione ita peracta composuit se Patiens in lecto ad quietem: quam ut facilius acquireret, emulsio ex hordeo ad crepat. cocto, sem. cucum. & amygd. præscripta fuit, addita syr. diacodii dimidia uncia. Sub noctem sese mediocriter habenti & alimentum petenti patienti parum dicti brodii exhibitum fuit;& sic sese ad quietem composuit, noctemque transegit satis tranquillam, nullo sanguinis profluvio suborto.

Die insequente brachium bene videbatur constitutum, nullo tumore insigni obsitum: Patiens quoque immunis ab omni febre.

Hisce

Hisce visis consultum duximus patientem ex ædibus Mag. *Verduyn* transferre in locum quietiorem, ubi illum inviserunt *M. van Bortel* & *Verduyn*, qui deligationis exteriora abstulerunt, vulnusque mitius deligarunt, id quod levamen patienti adferebat. Tertia die sub meridiem integra deligatio simul, cum vesicis, ablata fuit invenimusque separationem epidermis s. hydatidem, onustam humore loturæ carnis æmulo, idque parte anteriore juncturæ cubiti, eaque aperta reperimus subsitam cutim nonnihil quoque infectam & gangrænam ulteriorem mentientem; eodem quoque tempore patiens non immunis erat ab omni febre & membri extremitas justo magis tumefacta: Vulnus tamen magna ex parte carne, quæ in amputatione conservata fuerat, coopertum invenimus, sine sanguinis profluvio. Quia autem omnis hæmorrhagiæ novæ metus nobis nondum erat ademptus, in deligationis renovatione non omissus fuit fungus orbicularis, munitus Empl. diapalma, splenio quadruplicato & ligatura convenienti.

4. die pulsum invenimus concitatiorem & vulnus non minus extumefactum; itaque ablato fungo leniter tantum adducebatur caro in amputatione conservata, idque fasciola empl. glutinoso oblinita, vulgo sutura sicca dicta. Porro totum vulnus tegebatur empl. diapalma dissol. plumaceolis ex linteo carpto confectis haud neglectis. Die insequenti, quæ erat quinta ab amputatione, res eodem ferè modo sese habuit, nec febris quoque mitior facta. Itaque eôdem fere modo remissius deligatum fuit vulnus, ast verò eo loco, ubi Gangræna jam prodiit levis; quapropter consultum videbatur cautius prospicere huic symptomati, quam trunci integumento carneo. Itaque lenissimè tantum adducta carne reservata cataplasma ad gangrænam sistendam applicatum fuit. Die insequente vulneri prospeximus digestivo, cataplasmate superimposito. Die autem 7. truncus nonnihil detumuit doluitque, nec patiens à febre immunis, ita, ut magis metueremus abscessum, quam Gangrænam profundiorem, qui tamen haud supervenit. Altera die

eodem modo res ſeſe habuit, excepto quod nonnihil mollior pars tumefacta nobis obveniret. Die autem 9. pejus res ſeſe habuit, quoad truncum: Gangræna verò in pejorem ſtatum erat redacta. Itaque poſt ablutionem, cum ℣. calefacto factam, applicati ſunt plumaceoli tetrapharmaco, cum digeſtivo permixto, illiti, nec non in ℣. humectati, ſuperimpoſito cataplasmate ℣. aſperſo.

10. autem die febris remiſſior facta, trunci vulnus pure cocto obſitum, Gangrænæ tumor quoque minus durus. Hoc tempore nihil immutatum fuit circa deligationem: Patiens verò eodem die prima vice queſtus fuit de dolore pollicis membri detruncati, & præſertim quidem, cum inopinato pollicem extendere conaretur aut mentiretur, non autem cum in animo haberet eum flectere. De cæteris digitis nullæ erant querelæ, illud enim diſtinctè interrogavimus.

Die 11. major ſpes affulgebat, quandoquidem omnia in melius vergebant; pus enim laudabile promanabat de vulnere trunci, tumor diminutus, eſcharæ peripheria humida, cum æquali ſeparatione. In hac renovatione omiſſa fuit cataplasmatis applicatio ſuper truncum, non autem ſupra partem gangræna affectam. Caro autem reſervata, quæ ob ſymptomata ſupra citata haud ſatis erat adducta, & propterea retracta, jam denuo faſciolis Empl. glutinosô oblinitis reducta & vulnus maximâ ex parte coopertum fuit.

Die 12. Patientis ſtatus non erat quidem deterior, ſed vero gangrænam profundiores egiſſe radices videbamus, utpote ſeparatione partim factâ: imo tendines muſculorum non fuiſſe immunes à dictâ gangrænâ, ita, ut variiquoque ſepararentur. Jam à cataplasmatis uſu deſtitimus, dicto loco proſpeximus digeſtivo & carnem reſervatam dictis faſciolis, ut antea, adduximus.

Die 13. Patiens immunis erat ab omni febre, placidè dormiverat, cibum appetebat, truncus carnis adductione maximâ ex parte coopertus erat & quod reſtabat vulneris, applicuimus unguentum *fac totum* dictum, ut cicatrice ulterius obduceretur vul-

nus.

nus. Quicquid autem emortuum & gangræna infectum fuerat sub cubiti juncturam, partim forcipe excisum, partim à naturâ separatum erat, adhibitis plumaceolis unguent. digestivo, basilico permixto, oblitis; diebus insequentibus æque melius se habere cœpit patiens, imò paucis post diebus prorsus fuerunt curatæ dictæ solutiones continui; quin etiam quo magis appropinquarunt earum curationes, eò majores erant querelæ de dolore amputati membri, secus ac *M. Petrus Verduyn* testatur in *Epistolari sua Dissertatione*, sese quidem bis hanc operationem in pede instituisse, idque eadem methodo & quod tales dolores sympatheticos nondum offenderit.

Hæc sunt quæ supra laudato *Ruyschio* in & post exstirpationem observare licuit, qui de cœterô novam hanc exstirpandi methodum concedendam esse dicit, vid. *c. l.*

§. 7.

Ad tumores sanguineos malignos præ omnibus referri merentur BUBONES & CARBUNCULI, Pestis genuina proles. Licet enim in Lue Venerea bubones etiam incommodo sint, attamen vitæ tantas insidias non struunt ac

BUBONES PESTILENTIALES,

qui, si mobiles sint, quandoque etiam discutiuntur: sed præstat & tutius est illos cucurbitulis, aut ventosis, vel rectius vesicatoriis extrahere, aut fixos reddere, & ad maturitatem & suppurationem deducere, addendo semper theriacalia communibus. *D. Barbette in Tr. de Peste* pag. mihi 432. seq. modo eosdem tractabat: Primo statim tempore vesicatorium applicabat, etiamsi vix notabilis tumor esset, neglectis cucurbitulis, quas eò, quod dolorem febremque causentur, bonos æque ac malos humores alliciant, totumque sanguinem magis alterent, omninò rejicit; vesicis post VII. VIII. aut plures horas dissectis imponebat emplastrum magneticum arsenicale, quod summis laudibus extollit & ex *Hartmanno* & *Agricola* ita describit:

Rec. ♂. crudi.
🜍. flavi
Arſenici aa. ℥ii.

ſubtiliſſimè pulveriſata ſepeliantur in phiola, ſubminiſtretur ignis, donec colliqueſcant & colorem rubeum ſubobſcurum induant. Vaſe refrigerato eximo materiam, qui Magnes Arſenicalis venenatus amplius non eſt, ut in canibus cuilibet id experiri licet. Poſtea

Rec. Gummi ſerapini
ammoniaci
galbani
Magnetis arſenic. ana. ʒiii.
Terebinth. lavat.
Ceræ. ana. ℥ß.
⁂. ſuccin. ʒii.
Terr. ⊕. dulcif. ʒi.

Gummata diſſolvantur in aceto vin. forti & per pannum lineum expreſſa bulliendo iterum inſpiſſentur ad priorem conſiſtentiam. Deinde ſeorſim illiqua ceram & terebinthinam & extra ignem agita, donec in ſpiſſitudinem unguenti redigantur. Adde porrò ſupradicta gummata & magnetem arſenicalem, cum terrâ ⊕. & ⁂. ſuccini, & habebis emplaſtrum ad extrahenda (quod ajunt) omnia venena efficaciſſimum. Ejus enim eſt naturæ, ut cuti impoſitum duriori ne veſtigium quidem eſcharæ producat, malignos nihilominus humores largiter adeò extrahat, ut juglandi ſimilis magnitudine bubo, V. aut VI. dierum ſpatio in totum tollatur. Imo in variis ſubjectis robuſtioribus eſcharam neutiquam producit, niſi veſicatorii ope cuticula non ſolum, ſed etiam cutis quædam particula prius corroſa fuerit. In pueris verò & corporibus teneris cruſtam, nullo veſicatorio præmiſſo, per ſe excitare valet.

Cru-

Crustam hanc genuinam veneni extracti sedem dicit Autor modò laudatus, quæ notabiliter crassa, licet cutis superficialiter saltem corrosa sit, quod notatu dignum censet. Hanc enim rationem censet, cur citius multò separetur, quàm crustæ aliæ arte factæ. Horis enim 24. aut 36. effluxis, solius spatulæ auxilio, nulla præcedente scarificatione, absque ullo, aut saltem haud notabili dolore auferri potest, siquidem emplastro tuo antipestilentiali, quocunque etiam utaris, addideris unguenti basilici aut theriacæ aliquid.

Separationem escharæ alias egregiè promovet seq. unguentum:

Reç. Mellis Virginei
Axungiæ anatis ana ℥vi.
Fuligin. camin. ʒvi.
Terebinth. ℥i.
Theriac. ʒiii.
℅. scorpion. q.s.
M. F. Unguent.

Quodsi tumor, crustâ prima ablata, haud sufficienter imminutus sit, emplastro magnetico arsenicali secunda tertiaque vice producatur, procedendo ut ante.

Ulceris tandem consolidatio empl. de minió, albo cocto, diapomphol. aliove exsicc. & cicatrisante absolvatur, hoc tamen observato, ne consolidatio nimis citò fiat & humor malignus in corpore detentus recidivam causetur.

Suppurationem (quæ rarior) si natura intendat, mediis consuetis promoveatur & abscessus phlebotomo, non ruptorio, aperiatur & ulcus tardè curetur, utendo balsamo ♀. terebinth. c. unguent. basil. & theriaca.

Eadem

Eadem ratione tractandæ sunt PAROTIDES pestilentiales, vid. *Ettmüll. in Praxi.*

Pejores sunt

CARBUNCULI

seu pustulæ prominentes atro purpureæ & in ambitu inflammatæ. Interim ex observatione sæpius laudati *Barbette* (qui Constitutioni Pestilentiali ipsemet interfuit) sæpius nonnisi pustula alba atque plana se exhibet, quæ pus bonæ notæ continere videtur, compressa verò sicca omninò est & dura, profundè admodum subjectam carnem consumens. Quandoque vesicula sola, limpido humore repleta, adest, quæ si ante horam 24. non aperiatur, nigredinem acquirit, dissectaque guttas aliquot sanguinis atri exhibet. Nonnunquam hydatides variæ exiguæ albæque se offerunt, hisce exanthematibus malignis etiam accensendæ.

Curantur carbunculi impediendo ne ulterius serpant: quod optimè fit, si circulus circa illos aut linea cum butyro ♁ ducatur, quod non solum progressum ulterioris mortificationis inhibet & in gangræna partem emortuam à sana secernit, sed etiam carbunculum excidere facit. Interim & hic prodest empl. arsenicale & eschara, ut ante, tractanda. Alii ad ferrum & ignem confugiunt, quæ utrobique Chirurgum requirunt expertum.

§. 8.

Ab humoribus sanguineis hactenus expeditis communiter distinguunt

ERISYPELAS,

quod cum HERPETE hactenus à bile deduxerunt: sed rectius ab acido volatili & subtili, cum ⊖.vol. balsamico M. S. febriliter effervescente & in parte quadam cutanea diffuso sanguinis stagnationem promovente, scaturire dicitur ab *Ettmüllero* in *Chirurg. Med. Cap.* I. *Membr.* 3. id quod juvantia & nocentia satis comprobant. In cura etenim, præmissis diaphoreticis internis, externè conveniunt acidum absorbentia, cumprimis Saturnina & creta-

cea.

Fig. 1.



Fig. 2.



cer, quæ non tam bili, quam acido p. n. inimica sunt. Sic *Muysius* erysipelas cruris intra biduum curavit unico lavamento acidum temperante & constante ex ♅. camphorato, lithargyrio, creta & ⊖. prunellæ &c. teste *Obs. VI. Dec. I. Prax. Chirurg. Ration.* Similem virtutem habet Pulv. erysipelatodes Mynf. loco cujus seq. laudant alii:

Rec. Ceruss. p. ii. vel iii.
Myrrh. p. i.
Farin. domest. cochl. aliquot.
Addi m. potest pulv. liquir. M.

Vulgus solam cretam pulveris. aut farin. domest. ope chartæ emporeticæ parti effectæ imponit, idque felici sæpe cum effectu
D. Barbette fomenta quoque laudat madida, v. g.

Rec. Myrrh. rub. pulveris. ℥ii.
Sacch. ♄. ʒi.
Camphor. ℈i.
Op. g. XXV.
Vin. alb. Gall. ℥vi.

madefiant eô lintea applic. & repetantur frigefacta: rectius tn. ♒. vin. aut ♒. ⊖. ✱. substituitur.

Qui à madidis abhorrent, utantur linteo crocato Mynf. An linteum primô Virg. menstruo conspurcatum & ab *Ettmüllero c. l.* tantopere laudatum præ alio sanguine menstruo tantam prærogativam habeat? dubito.

Quantum verò linimenta pinguia oleosa & unguenta noceant, testatur *Hildani Observatio 82. Cent.* I. Ubi erysipelas ♂. ros. inunctum in gangrænam abiit.

In Erysipetate ulcerato, ut & Herpete

Rec. Troch. alb. Rhaſ. ℨii.
Myrh. rubr.
Litharg. aur. ana. ℨi.
Flor ♀. ℨß.
Sarcocoll. ℈ii.
M. F. Linimentum.

§. 9.

In tumoribus pituitoſis, ſeroſis & plus minus flatulentis, OEDEMATIBUS ET EMPHYSEMATIBUS, præmiſſis purgantibus internis, in hydrope alibi commendatis, optimum eſt conſilium, quod *Barbette* in *Op. Chirurgico-Anat. P.* 2. *L.* 1. *c.* 4. ſuadet & in uſu habuit, dum brachiis aut pedibus faſcias longitudine 12. aut 15. ulnarum præditas curioſè circumjici curat, ita ut & ſuperiora verſus adſcendant & deſcendenti humori nullibi collectionis locum concedant. Hoc modo enim partes nobiles roborantur, humores p. n. educuntur, membraque externa ſpatio paucorum dierum ſanitati reſtituuntur.

Ad diſcutiendos autem humores jam impactos & interceptos

Rec. Rad. alth. ℥iii.
bryon.
ebul. ana ℥ii.
Fol. ſalv.
rut. ana. Mi.
ſabin. Mß.
Coq. ex ▽. & Vin. p. æ. Addendo ſub fin. aceti ℥iii.
Contuſ. add. Farin. fab. ℥iiß.
Cin. com. ℥ß.
Stercor. vaccin. ℥i.
⊖. com. ℥ß.
ferm. ℥ß.

℘o. cha-

°o. chamom. ℥iiii.
axung. porc. ℥ii.
M. F. Cataplasma.

Quod etiam prodest, si abscessum minetur. Aliàs hoc in casu empl. diaphoret. *Mynf.* egregium est. Vulgus interiorem cort. sambuci applicat, aut vaporem acet. ex later. candef. adhibet.

Quodsi œdemata hæc, in declinatione morborum, cumprimis febrium (dum ægri rursus strenuè edunt) accidunt, laudatur Geranium Robertianam c. abs. contusum & applicatum. Ejusdem efficaciæ est chelidonium majus recens contusum.

In Hecticorum & Phthisicorum tumoribus pedum œdematosis frustranea sunt omnia, vid. *Ettm. in Chirurg. Med. C.* 3. *Membr.* 1. Tumores lymphatici & serosi tutò etiam aperiuntur, exemplo illius, qui describitur & depingitur in *Miscell. Nat. Cur. Dec. II. A. V. Obs.* 208. *p.* 431. Conf. Fig. 3. TAB. IV. ubi a. est Tumor serosus & lymphat. b. locus apertionis.

§. 10.

Quos melancholicos olim tumores vocabant, non minus ab acido, particulas sanguinis terrestres & nutrimentum proprium extravasatum condensante, oriuntur, quos inter

SCIRRHI

cumprimis eminent, qui præmissis internis per resolventia fortiora ex gummatibus, camphora & ☿. abigendi sunt, è quibus efficax satis emplastrum commendat ante laudatus *Ettmullerus l. c.*

Rec. Suc. cicut. express.
mandrag. ana. ℥iv.
Coq. in tigillo, assiduè movendo, ad extracti liquidioris consistentiam, adde:

Galb. cum acet. sol.
Gum. ammon. c, acet. sol. aa. ℥iii.
Empl. de melilot.
diachyl. simpl.
Tereb. ana. ℥ii.
Croc. Orient. ʒiii.
⊕. *ci. ℥i.
∘°. ♀. fœtid. ʒiß.
Ceræ q. s.

M. F. Empl. applicandum scirrho. Convenit etiam Empl. dia♎. Rul. Empl. de ran. cum ☿. Lam. plumb. ☿. illita.

Scirrhi dolentes & livescentes ut ♋. occult. curandi, nec facile cauteriis tractandi, vid. *Hild. Cent.* 6. *Hist.* 7.

§. 11.

Restant TUMORES CYSTICI,
STEATOMA,
ATHEROMA,
MELICERIS,

quorum hæc materiam melli, illud pulti, istud autem sebo haud absimilem continere solent, vid. *Medicin. Nov-antiq. Part.* 8. *c.* 6. §. 10. Quandoque tamen alia, ab hisce contentis diversissima, in illis observantur. Sic in Meliceride notabili *Miscellan. S. R. I. A ad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 5. *Obs.* 210. *p.* 413. Celeb. *Joh. Mauric. Hoffmannus*, præter materiam melleam, fasciculum pilorum invenit & in *Fig.* 1. TAB. II. ob oculos posuit: in qua

Lit. a. a. a. denotant integumenta capitis cum folliculo resecta & remota.
b. Melleam meliceridis materiam.
c. Fasciculum pilorum.

Alibi, sc. *Ejusdem Dec.* 2. *Ann. VIII. Obs.* 187. *pag.* 484. idem in tumore atheromate simili, qui partui monstroso connascebatur, conspexit catervam corporum glandulosorum, tum majorum,

tum

tum minorum: quibus omnibus anſam dederat appetitus matris inſolitus, quæ tempore geſtationis primo apud Ruſticum vicinum inſignis magnitudinis ventriculum ſuillum, cruore & lardo, uti moris eſt, infarctum (einen Saumagen) conſpexerat & viſi admiratione permota manibus primum in altis elevatis dein depreſſis nares ſibi percuſſerat, unde tumor hic partim albus, partim rubore ſuffuſus vaſculisque plurimis hinc inde excurrentibus prædi- tus infantis natibus poſt partum adhærebat, ut omnia ex Fig. I. & II. TAB. XIV. obſervari poterunt, ubi in Fig. I.

Lit. A. denotat Tumorem.
B. B. Vaſa in eo decurrentia.
a. Pudendum fœmininum.
b. anum.

Fig. II.

a. b. ſunt tunicæ folliculi diſſecti.
cc. d.d. glandulæ plurimæ figuræ ovalis.
ee. ff. reliquæ glandulæ incertæ magnitudinis.
gg. rugæ prominulæ, illis ſimiles, quæ aliâs in tunica nervea ventriculorum occurrunt.

Nec ſemper unicus folliculus in tumoribus illis latet, ſed quandoque pluribus materia continetur. In humero ſiquidem inſigne atheroma triplici folliculo præditum, in Legionis Vice Præfecto la Branche, obſervavit *D. Joh. Pilas*, quod ſuaſu & annuente *D. Zvvelfero* cauſtico quodam feliciter curavit, teſtibus *Miſcellan. Germ. Cur. Dec. I. Ann. II. Obſ. 92. pag.* 167.

Pro tollendis & curandis autem hiſce tumoribus nonnulli quandoque fortioribus diſcutientibus utuntur, imprimis empl. oxycroceo, vel ſeq. *Barbette*:

Rec. Ladan. ℥i.
Myrrh. rubr. ʒiii.
Camph. ʒi. M.

Vel

Rec. Gummi Sagapen.
ammon. aa. ℥ß.
Rad. Pyrethri.
Euphorb. ana. ℈ß.
🜄. citr. ʒiii.
🜍 succin. ʒi.
M. F. Empl.


Ast nisi in primo statim exortu hæc administrentur, postea nihil efficient. Certior est enchiresis Chirurgica, quæ aut sectione, aut causticis perficitur. Illic cutis in forma crucis inciditur, ut in *Fig. I.* TAB. II. videre licet. Abhinc folliculus, una cum materia intus contenta, separatur & à pedunculo, cui adhæret, abscinditur, qui ligandus & corrodendus est, ne malum repullulet. Cavendum autem, ne folliculus rumpatur & fistula, vel ulcus sordidum inde oriatur.

Sin præter expectationem illud fiat, corrosiva adhibenda, quibus solis etiam alii utuntur. Ita tumor ille capitis insignis (quem Talpam, vel testudinem alii dixerunt) ut & alter in cervice in *Fig.* 3. & 4. TAB. II. corrosivo quondam feliciter sublati fuere ab Operatore *Joh. Michaele Sutorio:* qui horrendum quoque illud Steatoma in sinistro humero mulieris rusticæ, ab A. ad B. duos pedes longum, 50. libras pendens & in *Fig.* 2. TAB. XV. depictum corrosivo suo sustulit, referente *B. Joh. Georgio Volckamero* Sen. Præside quondam *S. R. I. Acad. Nat. Cur.* Magnifico, in *Miscell. Germ. Dec.* 2. *Ann. VIII. Obs.* 227. 228.

§. 12.

Pertinent huc NODI atque GANGLION, quæ duo vulgò confunduntur, utut accuratiores hanc inter illa differentiam constituant, quod

NODI


Fig. 1.
Fig. 2.
A

NODI

sint extuberantiæ & tumores ligamentorum circa genua & articulos, Pontificiis in genua sæpe prolabentibus familiares:

GANGLION

autem sint tales extuberantiæ nodosæ in nervis.

Utrobique conveniunt fortiter discutientia & nervina, sicut post purgationem institutam fabricatorem pectinum multis nodis in brachio laborantem seq. se restituisse testatur *D. Wincklerus* in Schol. *Obs.* 316. *Miscellan. Germ. Cur. Dec. I. A.* 3. *p*, 466.

Rec. ℴℴ. limac.
lumbric. terr. ana. ℥i.
lil. alb.
chamom. ana. ʒiß.
verb.
tabac.
samb. aa. ʒi.
cast. ℈ß. M.


Quocum manè & vesperi brachia illinendo ganglia evanuerunt. Vel

Rec. Empl. diaph. Myns.
de ammon. Querc. aa. ℥i.
malax. cum ℴℴ. ♀. fœtid.
M. F. Empl.

Alii laminam plumbeam, sive solam, sive ☿. illitam alligant, vel membro prius c. ∽. vin. camph. aut ∽ ⊖ ✱. perfricto empl. vigon. de ran. c. ☿. adhibent, vid. *Ettmüll. in Chir. Med.*

Mirum verò curandi modum habet *Jobus van Meeckren* in *Observ. Chirurgico-Med. pag.* 294, quô Chirurgus lævâ manu firmiter detinet manum planam ægroti ganglio affectam & tabulæ impositam: dextrâ verò, in formam pugni efformatâ, bis terve ganglion percutit, usque dum illud resolutum notat, vid. *Fig.* I. TAB. IV.

Alii percussionem hanc cum ferula lignea, cujus medio aliquid plumbi infusum, instituunt, apponendo abhinc empl. de ranis c. ☿. & strictam satis ligaturam adhibendo, conf. *Muysius in Praxi Chirurg. Ration.* Dec. 2. *Obs.* 8. *p.* 36. Vulgus sola saliva jejuni hominis indies fricando curat ganglia, loco cujus ℴ℘. Petræ laudat *Binningerus Obs.* 2.



CAPUT III.

DE ULCERIBUS ARTUUM.

§. 1.

Tumoribus suppuratis & apertis succedunt ULCERA, quæ in se vel benigna, vel maligna sunt, temporis autem intuitu in recentia & antiqua dividuntur.

VLCERA BENIGNA ET RECENTIA facile tolluntur, si humor affluens maturetur, caro absumpta reparetur, tandemque cicatrix inducatur. Primum digestiva, secundum sarcotica, & tertium epulotica expediunt. Digestiva fiunt vel simplicissime ex vitello ovi cum terebinthina, quod Chirurgi per excellentiam ita vocant, vel mistis aliis balsamicis, v.g. in seq. *Barbette*

℞. ℴ℘. oliv. ℥ii.
ceræ citrin. ℥ß.
thuris
mastich. ana. ʒi.
vitell. ovi n. i.
Butyr. sine sale q. s.
F. Unguent.

Sar-

Sarcotica pariter è balſamicis & Saturninis acidum abſorbentibus fiunt v. g.

Rec. Lithargyr. præp.
Lapid. calam. præp. aa. ℥ß.
c. ſ. q. ℴℴ. com. & ✠ vin. M. F. Unguentum.

probatiſſimum, cui ✠ partim ob meliorem recluſionem, partim ut facilius acido p. n. ſe jungat, additur. Pertinet huc Unguentum Fuſcum Felic. Würzii, & cum eo compoſitum:

Rec. Unguent. Fel. Wurz. ℥iii.
baſilicon. ℥ß.
Gum. elem. ʒii.
Terebinth. ʒvi.
Colophon.
Myrrh.
Aloes
Maſtich. aa. ℥ß.
Lithargyr aur. ʒiii.
ℴℴ. roſ. q. ſ. M. F. Unguentum ab ante laudato.

Barbette laudatum.

Epulotica & cicatriſantia è pulveribus exſiccantibus, Saturninis & adſtring. fiant, quæ vel ulceri inſperguntur (in ſpecie in iis ſubjectis, quorum cutis unctuoſa non fert) vel cum unguent. gryſ. & diapomphol. in unguentum mutantur. Chirurgi empl. album coctum, aut de ſpermate ranarum, adhibent. *Muyſius* in *Praxi Chirurg. Rat. Dec. 1. obſ. VI.* ex ſimilibus acidum temperantibus placentulam duram craſſamque, ulceribus paulo majorem, format & applicat, & ſi eryſipelas jungatur, linteum quadruplex cum mixtura ex ▽ flor. ſambuc. ſpiritu vini, camphora & ſacharo ♄ imponit. Cumprimis antem in ULCERE VARICOSO, ad compeſcendam hæmorrhagiam, placentam ſupradictam laudat, *Dec. 2. obſ. 6.*

Mirum verò ulceris genus, è quo uno die XXX. ova, humore limpido plena & aliis diebus plura, ſubventaneis columbarum ſimilia, excluſa fuêre, ſeq. injectione curavit:

Rec. Rad. ariſtol. rotund. ʒiii.
Herb. card. benedict.
veronic. ana Miß.
Ocul. ♋. ℥i,
Myrrh.
Aloës ana ʒiß.

Coq. ſecundum artem in vin. Gallico & colatura detur pro uſu. Vid. *cit. lib. Decad. 3. Obſ. 4.* ubi & ætiologiam ovorum illorum reperies.

§. 2.

In ULCERIBUS ANTIQUIS atque SORDIDIS caro putrida excreſcens prius cauſticis & exedentibus eſt tollenda, O. ſc. uſto, ☿ præcip. rub. vel utroque:

Rec. O. uſti ʒii.
☿. ☿. rub. ʒi. M.

Inſperg. paululum, donec carne luxuriante abſumtâ ulcus rubicundum & floridum evadat. Abhinc ſupradicta remedia applicentur.

In malo contumaciori internè Decocta lignorum aliquamdiu adhibita conveniunt, quibus C. Imperiales olim in ſimili caſu lucrabatur Pharmacopœus Grünſtadienſis, in Comitatu Leiningenſi. Poſtquam enim Civis illius loci jam ab aliquot annis ulcus quodammodo depaſcens in cervice geſſerat & in nuptiis illic celebratis inter pocula ſe C. Imperialibus ejus curam remuneraturum ſatis liberaliter dixiſſet, Pharmacopœus absque ulteriori pacto Decoctum lignorum per aliquot hebdomadas illi propinabat & abhinc, adhibitis ſimul externis, ulcus curabat. Rogatus tandem de mercede atque ſoſtro C. Imperiales prætendebat. Civis attonitus renuebat. Re autem ad Dicaſterium delatâ, pluribus Thraſonicam civis ſtipulationem in convivio nuptiali factam jurato atteſtantibus, per ſententiam Judicis ad ſolutionem pretii illius condemnabatur magno promiſſor hiatu.

Omni-

Omnibus his irritis tandem ad Salivationem recurrendum, eumprimis si Luis ♀reæ quædam suspicio adfuerit.

§. 3.

Iisdem etiam medicamentis tractanda sunt

ULCERA MALIGNA

CACOETHEA & PHAGADENICA, in quibus seq. lotionem & unguentum laudat D. *Barbette in Op. Anatomico-Chir. p. 31. lib. 3. cap. 4.*

Rec. Flor. ros. rubr.
balaust. ana Mi.
Fol. plantag. Miß.
Nuc. cupress.
Baccar. myrt,
Cortic. granat. aa. ℥ß.
coq. ex vino rubro.

Lavetur eo ulcus; hinc sequens imponatur:

Rec. Tut. præpar. ℥ß.
Plumb. ust.
Ceruss. lot. aa. ℥i.
Bol. Armen. ℥ß.
Unguent. Ægypt. q. p.
M. F. Unguentum.

§. 4.

ULCERA CARIOSA non minus sunt contumacissima, eumprimis, si malum ab interiori ossium superficie originem ducat, unde dolores lancinantes, cum tumore molliusculo & concolori, quem

SPINAM VENTOSAM

vulgò vocant, cui sæpe succedunt ulcera ejusmodi cariosa & fistulosa, cum cartilaginea partis affectæ excrescentia, febre & macie ægri &c.

In Cura sunt, qui corruptionem corrigere sustinent per Euphorbium, cum ~ ⊕ & ♈. Verum cum *Hildanus* jamdum acidorum noxam observaverit, pluribus vero rationibus demonstraverit *Muysius Prax. Chir. Rat. Dec.* 1. *Obs.* 8. hinc præstat Terebinthina coctione indurata & Ægyptiaco unguento mixta, vid. *Nuckius in Experim. Chirurg. LXVI. p.* 154. ubi seq. quoque fomentationem summopere commendat:

Rec. Rasur. lign. Guajac, ℥iiß.
Cortic. ejusdem ℥i.
Herb. card. bened.
absinth. ana Mi.
scord.
cent. min.
rut. ana Mß.
Coquantur in s. q. ▽. & Vin.
Colat.
Rec. ℥xx. add.
Aq. Theriac. ℥ij.
Mell. rosat. ℥i. M. F. Fomentum,

plumaceolis petiisque madidis calidè applicandum.

Hisce nihil proficientibus ad ferrum & ignem progrediendum. Primo itaque scalpro, si fieri poterit, caries abradatur: vel, si malum in profundo lateat, terebra applicetur. Sublata carie pulveres exsiccantes & callum generantes facto foramini inspergantur. Quando autem dicta instrumenta ob loci angustiam applicari nequeunt, cannula admoveatur, perque eandem ferro seu cauterio ardenti pars affecta inuratur & retracto per eandem cannulam cauterio medicamenta allegata modò applicentur.

Omnibus tandem irritis membrum Spina ventosa affectum aut forcipe aut serra amputandum est, eò quem in §. de sphacelo jamdum inculcavimus, modo.

§. 5.

§. 5.

ULCERA FISTULOSA præ aliis eleganter prosecutus est *Barbette l.c. Cap. V.* quem κατὰ πόδα, quod dicitur, secutus est *Ettmüllerus* in *Chir. Medica.* Sinus illorum aut rectas, aut obliquas, aut simplices aut multiplices constituit, qui utrobique aut in sola carne hærent, aut ad nervum, aut arteriam pergunt; eaque de causa primo exploratio instituenda est, quæ aut stylo, aut candela cerea perficitur. Ille commodior est, ubi fistula ad os penetrat: hæc ubi in carne aut partibus sensibilibus terminatur. Si in sola carne hæreat fistula, illud, quod stylo tangitur, molle est & pus, quod effluit, album, æquale & copiosum. Sin ad nervum pertingat, magnus dolor percipitur, cum exploratur sinûs profunditas, & pus, quod evacuatur, pingue & oleosum est, at in minori copia, & actio illius membri, ad quod nervus tendit, difficilior redditur. Sin ad os penetret, durum quid stylo occurrit, dolor etiam aliqualis adest, periostio nondum consumpto. Sin vero os carie laboret, asperum quid & ad tactum inæquale percipitur, pus effluens nigricat & mali odoris ac tenuis consistentiæ est.

Sin ad venam pertingat sinus, pus fæcis instar egreditur: rubicundius vero hoc est crassiusque, ubi vena erosa. Sin Arteriam penetret, quod exit tenuius est pellucidumque magis, aliqualique cum saltu prodit.

Curatio duplex est, Vera sc. & Palliativa. In priori, præmissis universalibus internis, callus est absumendus, fistula mundificanda & hinc consolidanda. Pro callo absumendo succum chelidonii cum pinguedine vitulina & cera permista, in nosocomio Patavino, cum successu à Dn. *Marchette* adhibitum vidit *Velschius* in *Mißom. Cent. 3. Obs.* 86. Ad mundificationem amplietur orificium turundis è medulla sambuci aut rad. gentianæ, & abhinc infundantur liquores balsamici: Essent. myrrhæ, elix. propriet. sine acido, succus Nicot. c. ♆. ▽. calc. viv. sive sola, sive cum ♆ & ☿ dulc. Vel in malo contumaciori

Rec. Mell. ros. ℥iii.
♐. vini. ℥ß.
essent. myrrh. ʒij.
☿ ▽ edulc. vel
♎ vulg. ʒß. M.

Vel

Rec. Unguent. Ægypt.
☿ ♎. ʒi.
Lixiv. com. ℥iv.
▽. rosar. ℥i.
plantag. ℥iv.
Arsen. ℈i.

Coq. ad consumptionem tertiæ partis: reliquum fistulis illinatur, cumprimis locis callosis, ut absumatur callus.

His irritis, aut ob dolorem minus applicabilibus, ad sectionem syringotomo instituendam, aut ustionem recurrendum, de quibus alibi in fistulis particularibus trium regionum dictum fuit.

Cura palliativa exactâ diæta, decoctis vulnerariis (purgantibus, sudoriferis &c. præmissis) & exteriore fistulæ consolidatione per balsamica perficitur, quamvis recidiva semper pertimescenda sit.

CAP.



CAPUT IV.

DE AMBUSTIONIBUS.

§. 1.

Inter Tumores & Ulcera medium qs. tenent, aut de utrisque participant

AMBUSTA,

quorum tres gradus, seu species, constituunt 1. Fit, si ardor saltem & dolor in parte affecta excitatur ab ambustione &, nisi statim remedia adhibeantur, cuticula à vera cute separatur, aut vesica excitatur, in qua aqua limpida continetur: quæ omnia ab aqua fervente, stramine, stipulis, aut linteis ignitis oriuntur. 2. Si ipsa cutis aduritur, & statim vesicula, sed absque crusta, attollitur, qualem adustionem olea & oleosa, pix, mel &c. ferventia partiq; diutius adhærentia inducunt. 3. Si subjecta quoque caro aduritur, cutis nigra evadit, sensum nonnihil amittit & postquam eschara decidit, ulcus satis profundum relinquitur, ut à metallis liquefactis & quandoque pulv. pyriô fieri solet.

§. 2.

In Curatione pro primo gradu sufficit atramentum statim adhibitum, vel & ☍ ♀ per deliquium, si eo pars affecta leviter tangatur, quia ita pori cuticulæ ac tubuli cutis aperiuntur & acor humorum stagnantium temperatur, ut in se ipso olim expertus fuit *Muysius*, postquam pedem tinctura fervida Coffi ambusserat. Alii partem ambustam statim igni admovent, ut empyreuma per poros expellatur. Pustulæ autem si eleventur, tertio demum die aperiantur, quia aliâs nuda cutis subjacens ab aëre ambiente, ut

&

& à medicamentis nimis dolet, dum tertio die iterum novæ cuticulæ rudimentum adest. Interim diutius apertio protrahenda non est, ne corrosio sequatur.

Cave autem ne partem ambustam statim aquæ frigidæ immergas, unde gangræna & tandem sphacelus oriri potest, ut Civis Megalindani filio olim accidisse novi, qui hac de causa indicis digiti jacturam tulit.

§. 3

In secundo & tertio gradu linimentis ad ambusta opus habemus, quæ simplicissimè parantur, si ℴℴ commun. aut anod. in lixiv. calcis viv. coquantur & in linimentum concutiantur, ad imit. *Ludovici in Pharmac. Mod. sec. applic. p.* 197. Vel si lardum incendatur, pinguedo destillans ∇ ♃. excip. & in linim. agitentur. Vel

Rec. ♃ lotæ.
Tutiæ præp. aa. ℥i.
album. ov. N. i.

Cum aceto destill. & ℴℴ ros. q. s. M. F. Liniment. in mort. plumbeo Escharâ 1. vel 2. die separatâ alia balsamica conveniunt. Sin separari recuset, incisionem ad carnem sanam instituere licet. Gangræna si immineat, aut adsit, curetur more solito.

Digitis manuum vel pedum pluribus combustis linteum mundum, aut lamina plumbea inter partem unam & alteram servetur: quod & in palpebris & labiis observandum.

§. 4.

Quum vero Ambusta ex Pulv. Pyrio frequentissima sint in Praxi, hinc è *Joh. Muys. Prax. Chirurg. Ration.*

CASUM


quendam annectere liceat, qualem & hic Gissæ bis se trusisse memini. Habetur autem in *Dec. IV. obs. 2. p. 4.* verbis ibi: Viro annum agenti trigesimum pulvis tormentarius accensus omnem faciem, cum utraque manu, ambusserat: unde mox rubor ac dolor pro-

provenit atrocissimus, ad quem demulcendum, quod fortè ad manus erat, atramentum imposuit æger. Si conspexisses hoc in statu patientem, Diabolum Te videre affirmasses, nisi cum Æthiopibus Diabolum album Tibi persuaseris: cui opinioni favere videtur *Thomas Browne*, in *Pseudodoxia epidemica*, sacræ scripturæ innixus testimonio, quæ in Apocal. Joh. cap. 19. ℣. 20. dicit, quod Satanæ domicilium sit stagnum ignis ardens 🜍: fumus autem accensi sulphuris, ut Autor modo citatus Philosophatur, crebra experientia teste, dealbat vestimenta lanea, ut caligas aliaque; & sic quicquid in inferno reperitur album esse concludit; sed his obiter dictis transeamus ad id quod res est. Accersitus partibus læsis imposui cæpas cum melle communi contusas, quod medicamentum valde prodest partibus ambustis, in principio adhibitum, si cutis adhuc integra esse reperiatur: nam eâdem læsâ dolor vehemens, inde absque dubio secuturus, hoc medicamentum tunc minimè convenire docet. Postero die multæ vesiculæ per manus ambas vultumque sparsæ in conspectum veniebant, quæ tertiâ à combustione luce forcipe apertæ haud parum aquæ limpidæ fundebant. Tunc sequens cerotum præscripsi:

Rec. Cerussæ
Pulp. rad. consol. maj. aa. ℔i.
Lithargyr.
Lap. calamin.
Minii.
🜖 olivar.
Ceræ ana ℥vi. F. Cerotum.

in cujus confectione notandum, oleo & ceræ prius liquefactæ addi debere pulveres subtilissimè tritos & cribatos, ac ubi hæc fermè refriguerint, intermisceri debere pulpam prædictam, quæ hoc pacto extrahitur: radices sc. prius purgatæ ac in orbiculos scissæ in 🜄. communi coquuntur ad mollitiem, sicque per linteum rarum trajiciuntur.

Hujus ceroti unciis tribus admiſcui tantundem unguenti aurei, cujus deſcriptionem exhibet Pharmacopœia Amſtelodamenſis, atque hoc medicamento lintea ſubtilia ac mollia inuncta partibus læſis imponebantur & ſic ægrotus brevi ſanatus eſt.



CAPUT V.

DE VULNERIBUS ARTUUM

§. I.

Artuum vulnera neque lethalitatis neque curationis intuitu tam ardua ſunt, quam vulnera partium in tribus C. H. regionibus contentarum, cum toto die obſervemus integros artus ſuperſtite vita poſſe amputari.

Dividuntur in ſuperficialia & profunda, hæcque vel carnoſa ſunt, vel cum vaſorum læſionibus & diſſectionibus conjuncta. Utrobique reunio indicatur, quæ citò, tutò & jucunde fiat. Citò fit unio, ſi in VULNERIBUS RECENTIBUS fibræ diſſectæ l. diſſolutæ eadem ratione combinentur, ut antea fuerunt, ita enim vel ſola ligatura, vel ſimpliciſſimo Sutorum emplaſtro, ex pice parato, citra ullum remedium aliud, labia conglutinari poſſunt.

Neque enim in omnibus omnium vulneribus Chirurgorum more ſuppuratio prius per digeſtiva promovenda, ſed in vulneribus recentibus & non adeo profundis (exemtis prius eximendis) ſtatim unio procurari poterit, aerem tantum arcendo, per ligat: emplaſtra, glutinum aut & balſamicorum applicationem, qualia ſunt Balſam. Peruvian. 🜂. tereb. ℴℴ. terebinth. ℴℴ. hyperic. præcavendo ſemper inflammationem. Gallus quidam, *Anel* dictus, vulnera

vulnera suctione curat & hunc in finem in profundioribus antliæ pneumaticæ (de cujus *usu in rebus Medicis Disputationem* olim publicavit *D. Elias Camerarius*) applicationem suadet in Tr. suo Gallico *de modo curandi vulnera per suctionem.* Tutò autem curamus simul, si in VULNERIBUS PROFUNDIS illico V. S. adhibeamus, qua inflammatio & febris vulneraria præcaventur; quem in finem etiam Decocta vulneraria & pulv. ▽tes seu absorbentes ex ocul. ♋, ▽. sig. bol, Arm. & similibus laudantur. Tutius etiam vulnera talia profunda curantur, si non statim arctè uniantur labia, ne his unitis intus suppuratio fiat, & sive fistula, sive caries generetur; quem in finem vulnera nimis angusta sæpe majora & longiora fieri debent, si vel à globulis, vel subtilibus & triangularibus instrumentis (quorum intuitu labia concidentia sanguini extravasato exitum præpediunt) infligantur: quo casu insufflando, turundas immittendo, aut secando illa dilatentur, quo peregrina eximi, & si vas quoddam sanguiferum violatum, illud ligari aut aduri possit. Jucundè tandem curantur vulnera, si cicatrices evitentur aptâ fibrarum combinatione, aut suturis siccis, de quibus alibi, ubi de Fasciatione & Suturis ex condicto agemus.

Remedia hic necessaria, præter digestivum commune & defensiva, potissimum sunt Traumatica, tam interna, quam externa. Illic alcalia tam fixa, quam volatilia & plus minus mucilaginosa, acidum tum enervantia, tum obtundentia fibrasque conglutinantia conveniunt, qualia sunt Herb. & Rad. Vulnerariæ, sanicula, virga aurea, pilosella, hedera terrestris, plantago, alchimilla, vinca pervinca, rad. symph. maj. sigill. Salom. Ocul. ♋. Mumia, Bolus Arm. &c. è quibus Decoct. Vuln. Mixt. Elect. & similia præscribi possunt. v. g.

Rec. Decoct. vulner. Quercetani lib. ii.
Essent. millefol.
hypericon. aa. ʒß.
Syrup. de symph. Fernel. ℥ii. M.

F. Potio pro aliquot dosibus.

vel

Rec. ▽. chærefol.
hyperici aa. ℥iß.
Ocul. ♋. pp. ʒß.
Mum. pulv. ℈i.
Syrup. de Symph. F. ℥i. M.

*

Rec. Conserv. Veron.
rad. symph. aa. ℥iß.
Essent. alchim. ʒii.
c. s. q. Syr. de Symph. F. Elect.

*

Rec. Essent. Veron.
Tinct. traum. D. Mich. aa ʒiß. M.

*

Rec. Unguent. pot. rubr. ℥i.
balsam. Locatell. ℥ß. M.
D. pro aliq. dosibus.

Externe decantata Barbitonsorum Emplastra sunt: empl. sticticum Crollii, empl. de minio vel basilic. empl. de bolo, & probatissimum Empl. Norimbergense, è minio cum ☍ ros. aut com. ad consistentiam empl. cocto, addendo sub finem camphoram. Nonnulli styracem & alia quædam gummata balsamica addentes emplastrum suum miraculosum inde parant, quale D. *Tackio*, Physico Wormatiensi, in arcanis est. Alii ex ☍. hyperici & sim. Balsama Vulneraria conficiunt: quorum vicem simplicissimum ☍. ovorum, è vitellis ad duritiem coctis expressum, felici cùm eventu contulisse vidi.

§. 2.

VULNERA SCLOPETARIA ii, qui castra sunt secuti, præ aliis ritè tractare norunt, unde *Paræi*, *Botalli*, & cumprimis

mis *Tassini* scripta hic commendari merentur, quorum postremus in exiguô tractatulo, cuti Tit. *le Chirurgien Militaire, ou l'art de guerir les playes d'arquebusade*, breviter, sed solidè, vulnera hæc indeque oriunda symptomata curare docet. Res exemplo patefiet, quod *Muysius in Praxi Chirurg. Rationali Dec.* 3. *Obs.* 3. ob oculos ponit, in seq. CASU:

Juvenis XXIV. annorum ægrotabat vulnere cruris per sclopetum inflicto, rotundo, nigricante, ac dolorificô. Globulus plumbeus crus hujus juvenis perforare non potuit, quin illud summè contunderet. Postquam igitur æger ad me venerat, ipsum ad eandem figuram corpus componere jussi, quam habebat, dum vulnerabatur, ac tunc exploratorio plumbeo, imò etiam candela cerea, globulum, quanta potui industria, quæsivi, sed frustrà, quia nimis profundè descenderat seseque absconderat, sic ut extrahi non posset, Si quis autem sit, qui spectare desiderat instrumenta globulis extrahendis idonea, ipse inspiciat *Guil. Fabric. Hildanum, Scultetum* aliosque. Quid ergo hic agendum? sanguis sc. & humores ob contusionem stagnantes & ab acido coagulati per acidum temperantia debebant dissolvi, ut ita circulatio sanguinis & humorum aliquatenus impedita restitueretur, eaque mediante fibrillæ in vulnere hærentes ac planè emortuæ à carne viva separentur, ac vulnus carne nova iterum impleretur ac sanaretur, quòd, non obstante globulo plumbeo in crure remanente, brevi temporis spatio effecimus hoc unguento imposito, ac, superimposito subsequenti emplastro:

Reç. Terebinth. ℥ii.
Vitell. ovi. N. i.
Myrrh.
Aloes ana ʒß.
Ol. ceræ g. x.
M. F. Unguent.

Rec. Empl. diapalm. ℥ii.
Cretæ. com.
Boli. ana ʒß.
♁. diaphor. ℈i.
Ol. ♀. per deliq. ℈ß.
chamom. q. ſ.

M. ſecundum artem & F. Empl. Sed intereà temporis externis medicamentis opem tulimus per interna, ac ægroto loco potus vulnerarii aliquoties dedimus ſcrupulum oculorum ♋. ac corallii albi tantundem.

§. 3.

In VULNERIBUS VENENATIS, globis, ſagittis, gladiis aliisque inſtrumentis intoxicatis, aut morſibus & ictibus animalium rabidorum inflictis, totius corporis ardore, tremore, dilirio, lipothymiâ &c. comitatis, internè æquè ac externè theriacalia ac bezoardica, alexipharmaca, tam generalia, quàm ſpecifica, ſunt adhibenda. Præſcriptis igitur internè ſudoriferis (purgantia n. & S.V. omninò exulent) externè venenum extrahatur, ſeu potius expellatur, attrahentibus, vulgò ita dictis, veſicatoriis, cucurbitulis, cum aut ſine ſcarificatione, & ſi pars læſa non omninò ſit nervoſa, cauteriis actualibus, poſt quorum operationem eſchara illicò abſumenda, ſicque vulnus ſenſum curandum.

E medicamentis expellentibus & partem affectam roborantibus ſeqq. laudat *Barbette*:

Rec. Cæpar. coct. ℥iii.
Ther. ℥ß.
Stercor. caprin. ℥i.
Radic. angel. pulver. ʒiß.
Ol. ſcorpion. ℥iß.
Mell. & cer. q. ſ.

M. F. Empl.

Additis Gummat. & rad ſymph. inſimul conſolidat.

§. 4.

§. 4.

Quemadmodum verò in ICTIBUS SCORPIONUM præter interna extus laudatur ☍. scorpionum in & ICTIBUS APUM & CRABRONUM ipsa insecta conquassata & imposita, conveniunt; ita quæritur an & morsus animalium, cumprimis autem

MORSUS CANIS RABIDI,

Arte Medica curari possit? Negabant illud anno superiori Causidici quidam Leodienses, ad Cameralem Wetzflatiensem Imperialem ablegati, qui à cane rabido demorsos nonnisi per miraculum & Missam Pontificiorum curari posse sustinebant, indeque non vulgare argumentum petebant pro adstruenda veritate Religionis Romano-Catholicæ, cum Hæreticis (quos vocant) idem sit impossibile. Quid verò *Hippocrates*? Non expiationes, inquit, juvant, sed quæ eduntur, medentur & nocent, *Lib. de morb. sacro* §. 10. Alii igitur ad lapidem serpentinum, qui in serpentibus pileatis, cobra de capelos dictis, in India Orient. repetitur, aut exinde paratur, confugiunt, quem celeb. *Ettmüllerus* in *Chir. Med. p. m.* 1860. pariter contra morsum canis rabidi commendat, provocans ad experimenta in *Miscellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 1. *Ann. IV. & V. Obs.* 2. eo facta. Verùm cum hoc in loco lapis ille non tam morsui canis rabidi, quàm canibus à vipera demorsis applicatus fuerit, & non omnia, quæ homini sunt funesta, necessariò bruta simul æqua facilitate interimant: hinc nescio an lapidi huic plus, quàm aliis ab *Helmontio in Tr. In verbis herbis & lapidibus magna latet vis* laudatis, sit tribuendum. Unde cum *Mayernio*, Archiatro quondam Regio Londinensi, in *Syntagm. II. Prax. Tr.* 2. *Cap.* 12. viæ Regiæ insistimus & externè vulneri attrahentia, v. g. Podicem gallinæ, cucurbitulas scarificatas & specif. attractivum Paracelsi applicamus: Internè autem bezoardicis & alexipharmacis sudorem movemus, jungendo specifica, inter quæ duo seqq. remedia Autor modò laudatus non fallere dicit:

Rec.

Rec. Fol. rut. ℥vi.
Allii decorticat. & contuſ. ℥iv.
Ther. Londin. ℥vi. vel Androm. aut Mithrid. ℥iv.
Raſ. Stanni ſubtiliſſ. vel lim. ejus ℥iv.
Vin. Malv. l. alius vet. lib. iv.

Ponantur in vaſe idoneo in cacabum aquæ calentis, per horas vi. vel viii. Col. & exprim. Doſ. ab ℥ii, ad ℥vi. mane horis tribus ante cibum, idque per 9. dies, incipiatque ante 9num à morſu diem. Magma applicetur vulneri & ſingulis 24. horis renovetur. Datur frigidè aut ſaltim egelidè. Beſtiæ datur duplum paulò poſt morſum. Satius autem putat permiſcere ʒi. pulv. ſtanni pulpæ pomi & bolum deglutire, eique ſuperbibere hauſtum infuſionis præſcriptæ.

Vel

Rec. Rad. ſerpentar. Virgin.
Flor. hyperic. ana. p. æ.
M. F. alcohol. Doſ. à ℈i. ad ʒi.

è decocto convenienti, præparato cum ſpecificis. Cani detur à ʒi ad ℥ß. Equo ad ʒii. Hoc certum aſſeritur remedium. *vid. cit, loc.* ubi & alius pulv. ſpecif. quem præter ſtannum ♋. fluviat. cinis & cranium canis etiam ingreditur.

§. 2.

De CURA VULNERUM MAGNETICA, per pulverem ſympatheticum, ex ⊕ in ☉ calcin. & per unguentum armarium ex uſneâ, ſanguine & pingued. hum. c. aliis parato, jamdum egimus in *Medicina Nov antiqua Part. V. cap. 3. §. 5.* cui jungi poterit *Tr.* Comitis *Digbæi* in *Theatro Sympathetico, à B. D. Strauſſio*, Anteceſſore meô, quondam recuſo. Candidum de eâ judicium fert *Dn. Barbette*, dum quisquis, inquit, ſine ſuperſtitione illa utetur, multa medicamentis tribui reperiet, quæ naturæ debentur, adeoque via regia procedere tutiſſimum eſſet.

CAP. VI.

CAPUT VI.

De LUXATIONIBUS ac FRACTURIS ARTUUM IN GENERE.

§. 1.

Ad Luxationum & Fracturarum curationem ſolidam exactiſſima Sceleti & Oſteologiæ cognitio requiritur, quam è *D. Ravii*, Operatoris ante Ambſtelndamenſis, nunc Prof. Lugdunenſis, dictatis propediem, ſi Deo placuerit, in *Amphitheatro Anatomico*, cum *Hiſtoria Animalium Anatomica*, tradituri & in figuris æneis ob oculos poſituri ſumus. Utrobique 1. Extenſio 2. Coaptatio 3. Deligatio & 4. Repoſitio requiritur, ut fuſius in *Parte Chirurgica Medicinæ Nov-antiquæ cap. IV. §. 2.* docuimus. Inſtrumenta ad omnes has indicationes neceſſaria *Paræus* & *Scultetus* habent. Enchireſes ex autopſia magis, quam ſcriptis Chirurgorum addiſcere licet, in quibus exercendis non tantùm ſummam famæ celebritatem, ſed & opum affluentiam ſibi comparavit Ruſticus quidam Batavus, *Magiſter Cornelius* vulgo dictus, qui in domo ſua deligatoria, haud procul ab Amſterodamo ſita, magnam indies luxatorum catervam, undique affluentem, alit & curat. Nobis hac vice ea tantum curæ cordique erunt, quæ in curatione horum affectuum à Medicis præſcribi ſolent diverſimode, prout Luxationes aut Fracturæ vel à causâ internâ, vel à causâ externa oriuntur.

LUXATIONES à CAUSA INTERNA naſcuntur vel à ligamentorum laxitate, vel nutrimento proprio extravaſato, ac inter articulationes oſſium hærente. Inde enim primo gelatinæ, mox cartilaginis & tandem oſſis naturam induendo, & pedetentim incrementum capiendo os è ſinu ſuo expellit: quæ luxationis ſpecies

difficilima & ferè nunquam curabilis ſtatuitur à *Nuckio* in *Experim. Chirurg. XLVIII. pag. 159.*

Interim præſcribenda ſunt ea, quæ coagulum illud gypſeum reſolvere valent, intus quidem dando ſalia volatilia & acriora reſolventia, v.g. Flor. ⊖ ✱, ∾ & ⊖ vol. oſſium humanorum: Externe verò acidum deſtruentia & coagulum reſolventia, 🝆 Petræ, Balſam. Peruv. cum vit. ovi diſſolutum & c. 🜈 rectif. ſubactum, ∾ lumbricorum, 🝆 ♀ fœtid. Emplaſtrum Sticticum Crollii, cum 🝆 Philoſ. malaxatum: vel ſequens *Ettmülleri*, ad imitationem Empl. de pice *Poterii Cent. 2. obſ. 10. 13. 39. & 86.*

Rec. Picis navalis ℥ii.
Terebinthin. ʒii.

liquefactis &, ubi opus fuerit, cum 🝆 Chamomillæ q. ſ. ſubactis adde, ſucceſſivè inſpergendo & benè agitando

Flor. 🜍 ʒii.
Pulv. ſuccin.
maſtich. aa. ʒi.

Miſta inducantur ſuper alutam aut linteum craſſum, in forma quadrata oblongâ, absque ſyndone. Hoc & in malo iſchiadico & eô in caſu, quando ob juſto tardiorem repoſitionem oſſium tale coagulum in acetabulis colligitur, pariter convenit, in quo poſteriori caſu ſimpliciſſimum 🝆 ♀ fœtidum pariter egregium eſt.

§. 2.

In LUXATIONE à CAUSA EXTERNA, poſt coaptationem, ad præcavendam inflammationem, ante deligationem membrum c. partibus vicin. decocto quodam nervino, aut vino calido foveatur. Illic

Rec. Rad. conſolid. major. ʒiiii.
Herb. ſalv.
veronic.
roriſmarin aa. Mi.
Flor. chamom. p. IV.

ſum-

Summit. Hyperic. Miß.
Sem. carui
foenic. aa. ℥i.

Coq. in ſ. q. ▽. ſimpl. Col. ℔iß. add. Vin. infuſ. ſalv. aut hyperic. ℥vi. M.

quo partes luxatæ calidè foveantur, faſciæque & ſacculi imponendi largiter imbuantur, ut fibrarum tonus reſtauretur & M. S. circulus conſervetur.

Alii, ut *Barbette in Op. Chir. Part. 1. cap. 5. p. 20.* hunc in finem Emplaſtris roborantibus & defenſivis, ex Bolo Armen. Sang. Drac. Litharg. Farin. vol. &c. utuntur.

Quodſi autem inflammatio jam adfuerit, antequam Chirurgus aut Medicus vocetur, hæc ante omnia prius eſt ſiſtenda, nec vel extenſio, vel ulla alia operatio locum habet, priusquam illa ſit ſublata. Si enim luxatio inflammata violenter extendatur, convulſio lethalis ſupervenire poſſet. Tollitur autem fomento ſupradicto, emollientibus item, ex Unguent. dialth. cum ♂. lil. alb. & myrthin. It. Empl. diſcutienti ex Colophon. Thur. Maſtich. Sem. 4. carmin. c. Cera & ♂. anethino; quod ultimum etiam dolores ſopit, quibus poſt deligationem & repoſitionem urgentibus deligatio ante 5. 6. aut 7. diem non ſolvatur, aut, ſi neceſſaria videbitur, nonniſi ſumma quiete peragatur.

Tumor œdematoſus nunc ſub luxatione, nunc poſt repoſitionem, ſuperveniens, præmiſſis internis ſudoriferis, externe per ♂ penetrantia v. g. ♂ ♀ fœtid. & oſſium hum. Empl. diaphor. Mynſ. illis malaxatum & ſimilia diſcutitur. Reliqua vid. in *diſp. de Luxat. Noſ. Acad. Cont. N. 9.*

§. 3.

In curatione FRACTURARUM ſimilia à Medico præſcribenda ſunt, ſiquidem & hic ante faſciarum injectionem fomenta ex vino rubro, aut ſpiritu vini, ſive ſolo, ſive cum ∼. lumbric. mixto applicari debent. Ita pariter ♂. roſ. & viol. inungi poſſunt. Vulgo

 cata-

cataplaſmata ſicciora defenſiva (vulgò die Dörrbande) ex Bol. Armen. Sang. Drac. Thure, cum alb. ovorum applicant; ſed cum poros obſtruant, verſatiores Chirurgi Emplaſtra Catagmatica præferunt, quæ *Würzius Part. 2. Chir. cap. 25. p. 228.* ſimpliciſſime ex Reſina alb. Terebinth. & pulv. rad. barb. caprin. coquit, quod præ aliis laudat, cum excrementoſas partium læſarum ſuperfluitates abſumat. *Barbette* autem tempore hyemali applicat Empl. oxycroceum: alio verò quocunque ſeq.

Rec. Maſtich.
Thur. ana ℥ii.
Aloes
Gummi Tragac.
Sang. Dracon.
Boli Armen. ana ℥i.
Lap. hæmatit.
Gypſi uſti ana ℥ß.
c. ſ. q. album. ovi & ℴℴ. roſ.
F. Emplaſtrum.

§. 4.


In FRACTURIS CUM VULNERE partes nec in extenſione, nec poſt eandem aſperè tractandæ ſunt, juxta monitum *Hippocratis lib. de fractur. §. 26.* ſecus ſi fiat, inflammatio & febres acutæ, cum ſingultu & nigritie, ſuperveniunt, *ibid. §. 29.* Os denudatum cute atque muſculis tegatur & quantum fieri poteſt ab aere externo muniatur. Quodſi pars reſtitui nequeat, ſed promineat, forcipe aut ſerrâ tollatur. Labia vulneris ſiccâ potius quam verâ ſuturâ uniantur, impoſitis defenſivis. Ipſum antem vulnus ſuppurantibus, incarnantibus & balſamicis tractandum, juvando calli generationem, per lapid. oſteocoll. ad ʒß. vel ℥i. in Decoct. vulnerar. dandum. Vid. *Muſ. Muſ. Tom. 1.*

Ne verò ſtomacho gravis ſit, *Hildanus* illi cinnamomum jungit, ſequentem in modum:

Rec.

Rec. Lap. osteocoll. præp. ℥i.
Cinnam. elect. ʒiii.
sacch. ℥i. M. F. Pulv. Dos. ʒii.

Sed an & fasciæ applicandæ? Sunt qui negant, cumprimis si comminutio insignis fuerit conjuncta. Alii è contra affirmant, sed rursus diversimodè: quibus & nostrum calculum adjecimus in *Medic. Nov-antiq. Part. Ultim. cap. 4. §. 2.* concedentes fasciationem molliorem, eamque fenestratam in *appendice de Fasc. & Sut. Fig. 1. Tab. Ult.* ob oculos positam, per hanc enim fragmenta, sub comminutione relicta & motu naturæ sub ipsa depuratione ejecta, ope forcipis commodius auferri possunt.



CAPUT VII.
DE AFFECTIBUS LIGAMENTORUM atque TENDINUM.

§. 1.

Fracturis in præcedenti capite expeditis non rarò

LIGAMENTORUM & TENDINUM CONTORSIO

& talis CONTRACTURA conjungitur, qua membrum rigidum & inflexum manet, contra quam Ceratum *Foresti* summopere commendat *Ettmüllerus*, quod post 7. diem fracturæ imponitur & sic paratur:

Rec. Rad. sig. Salom. ℥ii.
alth. ℥i.

Pulverisſ. Coq. ad conſiſtent. pult. cui add. Cer. alb. q. ſ. pro cerato molli,
miſcendo cum ℴ℗ roſar.
myrtill. ana ℥ii.
Tereb. clar. ℥iß.
Unguent. Ægypt.
dialth. aa. ℥ß.
Boli Armen. ʒvj.
Sang. Dracon. ʒiii.
Santal. omnium ʒii. M. F. Cerat.

Muyſius in *Praxi Chirurg. Rat. Decad. 2. obſ. 3.* inſimul applicat Empl. de ran. c. ☿. & partem affectam movere & exercere jubet, ut particulæ p. n. è poris excutiantur.

§. 2.

Pertinet huc LIGAMENTORUM LAXITAS, qua in tantum ſæpe extenduntur, ut luxationi, vel ſubluxationi anſam ſubminiſtrent, quod in malo iſchiadico obſervat *Barbette*, qui præter univerſalia, purgationes & V. S. extus topica roborantia & diſſipantia præſcribit, in ſeq. emplaſtro:

Rec. Empl. ſtict. Crollii ʒi.
ℴ℗. Terræ
Philoſoph. ana ℥i.

M. F. Emplaſtrum ſuper alutam inducendum, quod & in LIGAMENTORUM ac TENDINUM LUXATIONE, quam vulgus Chirurgorum & Carnifices Germanicè das Ader-Verſtauchen vocant, locum habet. Quamvis enim tendines ſemper & ubique oſſibus & muſculis, principio & fine ſint annexi, attamen non tantum ſecundum longitudinem, ſed & ſecundum latitudinem ſæpe numero diſtenduntur & à vicinis partibus quodammodo abducuntur, quæ abductio quidem dolentiſſima, ſed momentanea ferè eſt, ita ut dolorem hunc cum dolore, quem ex denatâ uxore ſentit Maritus, comparaverit *D. Gruhlman in Diſp. Inaug. de*

Luxa-

Luxationum Synthesi in genere §. 28. Obſervavit autem illam in muſculus caput lateraliter flectentibus (obliquis ſc. inferioribus ut & in muſculis tibiæ abducentibus, cumprimis membranoſo, vel faſcia lata, quam vulgo die Hundhinck vocare ſolent. Curatur hæc tendinum luxatio per extenſionem, juxta motum naturalem. Hæc enim genuina eſt ratio, cur in tortura Inquiſiti poſt applicatas chordas à Carnificibus extendantur, imprimis juxta carpos atque cubitos.

§. 3.

De CREPITU TENDINIS ſingularem & notatu dignam obſervationem habet *Muyſius* in *Praxi Ration. Dec. 2. obſ. V. p. 23.* quæ ita ſe habet: Fœmina quadraginta trium annorum,poſt ſolito majorem laborem,in manu dextra paſſa fuit impotentiam ad motum, tumorem & dolorem, ac tendo in manu ſitus, cùm digito premebatur, ſonum edebat. Eſt hic affectus qui in Praxi non rarò occurrit, quamvis à nullo, quod ſciam, hactenus tractatus ſit, quamobrem ego eundem CREPITUM TENDINIS appellabo. Ab inſueto ſc. labore fibrillæ tendinis diſtorquebantur ita, ut humores in circulatione impediti ibidem ſubſiſterent & coagularentur, unde motus impotentia, tumor, dolor, ac tendinis crepitus faciliime deducitur. Metuebam, ne humores in tendine ſtagnantes indies magis magisque coagularentur, & ſic exoriretur tumor, qui Ganglii nomine plerisque notus eſt. Imò formidabam prætérea, ne particulæ quædam humorum ſubſiſtentium reciperentur intra poros fibrillarum tendinem componentium, eosque obſtruerent ita, ut in *Obſ. 3. Dec. 2.* requiri oſtendimus ad contracturam & rigiditatem tendinis inducendam. Quapropter manum Medicam mox adhibendam cenſens 🜄. accendi curavi, hoc pacto, ut vapor inde ſurgens totam manum affectam circumvolitaret, hocque peracto imponi juſſi empl. de ranis cum ☿, atque ita humores coagulati diſſoluti obſtructionesque ſublatæ ſunt,ac ægrota paucis interjectis diebus in totum priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

§. 4.

§. 4.

Agmen claudunt PUNCTURÆ & VULNERA TENDINUM, in Praxi pariter haud infrequentia & ſequentem in modum curanda: In prioribus obſervandum, an apertura ſufficiens adſit, quò ſanies effluere poſſit? Sin minus, vulnus dilatetur, quò & puri exitus & medicamentis applicandis introitus paretur: quod tamen abſque urgente neceſſitate non tentandum, ne dolor exacerbetur. Abhinc ſtatim balſamica & nervina calida inſtillentur, inter quæ 🝆. Terebinthinæ palmam tenet, quo *Paræus* Carolum IX. Regem Galliarum olim curavit, inſtillato in vulnus fervente 🝆 Tereb. cum 🜈. & applicato ſuper totum brachium Empl. diapalm. in 🜊. & 🝆. roſ. diſſoluto, addita faſcia expulſiva. *Galenus* autem ſuo jam tempore piſcatores à ſpinis piſcium compunctos terebinthina ſimpliciſſimâ calide infuſa reſtituiſſe legitur. Ubi metus inflammationis, addatur camphora, v. g.

Rec. 🝆. Tereb. deſt. ℥ß.
🜈. ʒß.
camphor. ℈i. M.

Parallela ſunt Opobalſam. Balſ. Peruv. de Copaiba & ſimilia. Ad dolorem compeſcendum F. cataplaſma è mica panis albi, cum lacte & crocô. Vel

Rec. Mic. pan. alb. ℥i.
Flor. ſambuc.
anethi aa. Mi.
Farin. dialth. ℥iß.
Vitell. ovi N. ii.
Coq. in lacte rec. ad conſiſt. cataplaſm.

Reliqua defenſivis, ſarcoticis & epuloticis, more ſolito, tractanda ſunt.

Si non obſtantibus his cruciatus urgeant & gangræna metuenda ſit, tendo in totum diſſecetur.

In Puncturis inſectorum plumaceolum ſeq. mixturâ madefiat & applicetur:

Rec.

Rec. ꝏ. Tereb.
🜍. ana ℥ii.
ꝏ. ceræ in quo aliquid
euph. sol. ℥i. M.

Huic aliud siccum imponatur & mox instrumento quodam ignito calor & vis medicamenti ad interiora propellatur: quo facto remotis prioribus aliud plumaceolum, unguento Basiliconis ebrium, priori surrogetur & empl. stict. imponatur.

In Puncturis ab animalibus, aut instrumentis venenatis cucurbitulæ aut sine scarific. aut si gangræna immineat, statim scarificatæ applicentur: quibus M.A. *Severinus* cauteria actualia substituit. Antiqui ad venenum extrahendum utebantur suctionibus, per certos homines qui *Psylli*. dicebantur, institutis; vid. *Celsus lib.* 3. *cap.* 27. quales in India Orientali adhuc reperiri ex itinerariorum Scriptoribus *D. Joh. Georgius Kisnerus*, Poliater Francofurtensis in *Disp. inaug. de læsione tendinum* §. 26. refert. Veneno expulso ea, quæ jam ante tradimus, applicanda sunt.

§. 5.

In VULNERIBUS TENDINUM secundum longitudinem sufficit, ut vulneri immittamus oleum terebinthinæ tepidum, fasciaque applicata partes à se invicem distantes approximentur & ad contactum mutuum conformentur, ut eò facilius concrescere possint. Vulnus autem externum V.S. unguentis & empl. solitis curandum est. Interim balsamica vulneraria hîc semper gutta una aut altera oleorum destillatorum, v. g. ꝏ. Tereb. salv. succin. acuenda sunt. Præterea *Ettmüllerus* seq. *Cnöfelii* medicamentum laudat & commendat:

Rec. Exuv. serpent.
Lap. ♋. præpar. ana. q. v.
M. F. Pulv. nervis & tendinibus læsis inspergendus.

Hæc omnia quoque in VULNERIBUS TENDINUM PER TRANSVERSUM & SUPERFICIALIBUS locum habent. Si verò præter expectationem convulsiones, deliria & gangræna (omnibus medicamentis irritis) superveniant, ultimum refugium in totali tendinis descissione quærendum est.


§. 6.

Restant VULNERA TENDINIBUS, per dissectionem transversam & totalem, inflicta, quæ vetustissimi Medici & Chirurgi pro incurabilibus habuere, moti *aphor. Hippocr.* 19. *sect.* 6. ubi nervus præcisus neque augescere, neque coalescere dicitur. Sed aphorismum hunc strictissime de nervis, non vero de ligamentis & tendinibus explicandum esse ipsa testatur experientia, dum Chirurgi nostrates Cultiores & Versatiores per suturam tendinum extremitates ita adducere norunt, ut cura peracta membri illius motus (qui alias post vulneris consolidationem omnino perire solet) salvus & integer conservetur. Nova hæc TENDINUM SUTURA ab Antiquissimis Scriptoribus, *Avicenna* v. g. *Guidone de Cauliaco* &c. quidem commendata & permissa, sed ob pusillanimitatem insequentium intermissa & neglecta fuit, donec à Modernis, *Jobo Mekerano*, *Stalparto van der Wiel*, *Musitano*, *Solingio*, *Nuckio* &c. restaurata & cum felici successu in actum deducta fuerit. Methodus, qua in ipsa operatione utuntur, quodammodo variat. Quædam fit sola fili circumjectione, adductione & ligatione, quam describit *Joh. de Muralto* in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *Obs.* 121. quædam fili per supremam mediamque tendinis partem trajectione, inferiore parte sive tunica illæsa manente: deinde ligatura interposito corio injacta: qua methodo Galli communiter utuntur, prout enchireses ejus fusius describit & in fig. ænea ob oculos ponit ante laudatus *Kisnerus*, circa finem *Disp. Inaug.* & ex eo *D. Spenerus* in vers. German. *Myologiæ Brovvnianæ. Tab. XL.* Quum verò prior admodum dolorosa, posterior vero lacerationi sit obnoxia; hinc *Nuckius*

ckius in *Experim. Chirurg. XLVII.* missis illis tertiam amat, qua parte læsa decenter collocata duobus in locis unamquamque tendinis extremitatem perforat, filumque sericeum cera obductum trajicit: sic interposita suberis aut corii particula extremitatum adductio filorumque strictio certior redditur, nec tendinis extremitates adeo facile, ut in prima & secunda methodo, lacerari possunt. Interim in nimia extremitatum resecti tendinis retractione operationem hanc rejicit & in tendine ex parte dissecto, remanente quadam portione integra, eandem prius resecare & abhinc operationem instituere jubet: nisi forte major pars integra remanserit, quæ resecanda non est.

Operatione finita pulvis terebinthinæ coctæ suturæ inspergitur, vulnerisque deligatio digestivo vulgari, seu balsamo Arcæi instituitur, recte disposito & quieto manente membro affecto, quod licet absoluta cura quodammodo contractum remaneat, progressu temporis tamen extendi & debitis motibus defungi poterit.

Symptomatibus sub operatione fors accidentibus è propriis capitibus quivis satisfacere poterit, de quibus fusius supralaudata *Disputatio Kisneriana, de læsionibus tendinum §. 31. & seqq.*



CAPUT VIII.
DE AFFECTIBUS CHIRURGICIS NERVORUM.

§. I.

Quemadmodum tendines cum nervis, substantiæ intuitu, magnam affinitatem habent, ita omnia quæ in præcedentibus tendinum læsionibus opposuimus, mascule etiam in

PUNCTURA NERVORUM

ſe gerunt, quæ non raro ſub inepta V. S. cum phlebotomo, cui talitrum fortius inprimitur, accidere ſolet, unde dolor immanis pulſatorius, inflammatio, convulſio, atque ſpasmus, & nî tempeſtivè ſuppetiæ ferantur, ipſa mors inſequitur, cujus triſte olim exemplum Philippoli in Signifero quodam Cæſareo, natione Batavo, videre licuit.

Qamprimum ergo ejus rei certiores reddimur, cum *D. Nuckio* in *Experim. Chirurg. XXVII.* applicemus cataplaſma ſupra laudatum ex mica panis albi, croco, lacte &c. vulneri inſtillando ſeqq:

Rec. ℴℴ. Tereb.
hypetici ana. ʒvi. M.

Vel Rec. Ceræ ℥i.
hyperici.
♆. ana. ℥ß.
Euphorb. ʒiß. M.

Vel Rec. Terebinth. ℥i.
ℴℴ. cer. ʒii.
Vitell. ovi. N.i.
Mell. ℥ß. M.

Ut autem intimius hæc penetrare valeant, linteum carptum oleo dicto madidum admovendum, ſpatulaque ferrea ignita tamdiu comprimendum, quamdiu patiens id perferre poterit.

Interim & interne diaphoretica, confortantia & traumatica dari poſſunt, quæ longa ſerie vid. in *Diſp. de Punctura nervorum* Cel. *Wedelii*, Jenæ Anno 1689. habita.

§. 2.

Similia in aliis NERVORUM VULNERIBUS applicat *Barbette* in *Oper. Chir. Part.* 2. *lib.* 2. *Cap.* 8. hac cum differentia, ut ſi nervus ſit detectus, topica magis tepida, ſin vero tectus, calidiora uſurpentur; id quod *Muyſius* quoque in ſeq. CASU, qui *Dec.* 2. *primus* eſt, obſervavit: Juve-

Juvenis XX. annorum, Chirurgiæ operam dans, novaculæ mucrone læsit digitum, indicem dictum, manus sinistræ, circa medium articulum, unde dolor primo non adeo magnus, qui tamen sequente luce in immensum adauctus est, ac præterea totum digitum invasit rubor, ardor & intumescentia, cutisque pallida ac insensilis in locis vulnusculo vicinis separabatur. Vocatus infudi in vulnus ℴ℘. Terebinth. & quidem satis calidum, ut ipsius particulæ in majori motu positæ facilius & altius penetrarent. Imposui præterea empl. sticticum Paracelsi tandemque toti digito, ac etiam manui, cum linteo duplici imposui lavamentum constans ex 🜄. ▽. samb. camphora & ⊖. prunellæ: quibus iteratis & cute, à subjecta carne jam separata, per forficem sublata Iuvenis brevi sanatus est.

§. 3.

In NERVORUM CONTUSIONIBUS, cum vulnere cutis aperto, eadem, quæ in vulneribus illorum modo laudata sunt, conveniunt. Si vero nervus contusus denudatus non sit, contusionem ejus à simplici carnis contusione per dolorem & intensiorem & magis continuum discernere poteris. Sanguis autem congrumatus quamprimum resolvatur, ne suppuratione accedente nervus putredinem incurrat. Hunc in finem *Barbette l. c. cap.* 10. interne ℴ℘. lavend. gutt. ii: Externe vero ℴ℘ castor. lumbr. anethi, rut. cham. rorism. calide panno excepta applicat, quorum vicem quoque gerit seq. fomentum:

Rec. Rad. irid. nostr. ℥ii.
Fol. rorismarin.
majoran.
mentastr. ana. Mß.
Coq. ex vin alb. gener. pro fotu. Vel seq. Emplastrum imponatur:

Rec. Rad. cyclam. pulv. ʒii.
Spec. diambr. ʒi.
☍. castor. ʒiii.
terebinth. ʒi.
Empl. de beton. ℥i.
Mell. Virgin. q. s.
M. F. l. a. Emplaster.

§. 4.

Tandem nervi sæpe pituitoso lentoque humore obsidentur, unde

STUPOR & IMMOBILITAS

partium, in qua præter interna, purgantia & specifica nervina & antispasmodica ex Rad. Pœon. Fol. rorism. Flor. tiliæ, cardam. &c: in vin. generos. decocta & cum syr. de stoech. edulcorata, externè à laudato jam sæpius Autore applicantur seqq:

Rec. Gummi caraniæ ℥ß.
galban. ℥i.
☍. euphorb. ʒiß.
M. F. Emplastrum.

Vel

Rec. Axung. hum.
anseris. aa. ℥i.
☍. terr. ʒiii.
M. F. Linimentum.

quo pars affecta mane & vesperi inungatur, & abhinc imponatur Emplastr. stict. Croll. de ladan. vel diach. c. gummat. malax. cum ☍ ♀ fœtido.

Quoniam verò stupor hic & contractura sæpissime dolorem arthriticum scorbuticum sequuntur: hinc non possum non

CON-

CONSILIUM
D. FRIDERICI HOFFMANNI,
Prof. Hallensis,

ad malum hocce præcavendum & curandum Dn. ab Heffig, Præfecto Grunbergensium, impertitum inserere, quod è vernacula in Latinam translatum ita se habet:

E transmisso Casu & ipsius morbi historiâ, præviâ maturâ deliberatione, perspicio Dominum patientem inordinatâ procul dubio diætâ vitæque regimine, ut & variis animi perturbationibus intercurrentibus, cum intermissâ V.S. sanguinisque ventilatione, plethoram cum cacochymiâ indeque subortum dolorem scorbuticum arthriticum sibi contraxisse.

Quamvis jam affectus hic adeò periculosus non sit, attamen si minus rectè tractetur, facilime contracturam continuè durantem relinquere, sicque hominem in statum miserabilem præcipitare valet; unde in affectu præsenti, aliquamdiu jamdum affligente, ipsa quoque paralysis quodammodo se trudit, eaque de causa eô magis solliciti simus, oportet, ut sufficientibus remediis malo huic obviam eatur. Meo ergò pertenui licet, attamen fundatô judicio, ante omnia eò laborandum, ut sanguis reliquique succi corporis humani valdè corrupti, edulcorentur, circulatio illorum promoveatur, transspiratio ad sanitatem summè necessaria, intemerata conservetur, partesque nervosæ atque membranosæ confortentur atque roborentur.

Ad hæc obtinenda convenientissimum esse judicarem, si acidulæ Selterenses, in viciniâ vestra satis famosæ, dimidia parte lactis caprilli temperarentur & assumerentur. Sumatur sc. una è lagenis illis & urceis, quibus acidulæ peregrè transportantur, repleatur dimidia parte acidularum & dimidia parte lactis, immittatur aquæ calidæ ad exiguum temporis intervallum, ne aqua nimis frigida stomacho incommodet, sicque singulis horis matutinis ebibatur.

batur. His acidulis per 4. septimanarum decursum uti poteris, modò tum ante, tum post hanc curam alvus simul laxetur, cui scopo seqq. pilulæ inservire poterunt, de quibus tribus diebus, principium curæ antecedentibus, vesperi num. XV. assumi poterunt:

Rec. Extract. card. bened. ℈i.
panchymag. Cr.
Aloes rosat.
Opobalsami
Myrrh. elect.
Oliban. elect. ana. gr. xv.
Croci
☽. purificati
Extr. Rhabarb. ana. gr. x.
Mart. croci g. x.
M. F. Pil. ex ℈i. N. xx.

sumantur in jusculo avenæ, aut cerevisiæ.

Omnibus horis vespertinis, dum cubitum it & pilulis non utitur, Dominus dosin pulveris transmissi in ▽. cerasorum nigrorum, assumere poterit:

Rec. Cerussl. ♁.
Lap. ♋. ana. ʒii.
☽. purificat.
Cinnab. nativ. aa. ℈i.
Succin. Præp. ℈ii.
M. F. Pulv. Dos. ℈ii.

Tertiò commendarem indies hora 4. vel 5. balneum è seqq. herb.

Rec. Herb. artemis.
melissf.
sideritid.
serpilli.
origani. aa. M. iv.
Flor lavendul. Mi.
Ciner. clavellat. lib. ß.

Herb.

Hæ herbæ in ▽. simul coquantur, abhinc tamdiu frigidam affundendo, donec balneum omninò tepidum reddatur, in quo Dn. Æger probè tectus ad horam dimidiam. aut 3. quadrantes horæ se immittat & 4. ad lenem sudorem se disponat. Post balneum balsamò vitæ (cujus in relatione mentio est facta, & quod non tam *D. Bartholdus*, discipulus quondam meus, sed ipsemet inveni) prope caminum calidum artus probe fricentur, internè verò ab eô planè abstineatur.

De cætero fugiantur tempore curæ omnia nimis calefacientia & salso muriatica, tabacum v.g. aqua vitæ, carnes fumo induratæ, pisces exsiccati omniaque acida. Cumprimis autem absint omnes affectus animi vehementiores, ira similesque. Loco potus ordinarii decoctum avenæ conveniret & si ventriculo merus aquæ potus gravis esset, quarta pars vini Rhenani, aut alius generosi, illi addi posset &c.

Fridericus Hoffmann Dr.

Decoctum Avenæ.

Rec. Avenæ selectioris lib. iß.
Rad. cichor. mundat. Mi.

Immittantur ollæ, per coctionem prius probè mundatæ: Affundantur aquæ fluviatilis aut pluvialis libræ xxiv. & coquantur per horam dimidiam. Abhinc adjico
⊖. prunell. ℥ß.
Mellis Prussiaci, aut Virginei
optimi cohl. 3. aut. 4.
& coquantur denuò ad 4. horæ partem, postmodum filtrentur, aut per laciniam colentur.

De hoc decocto tribus horis ante & post prandium quartarium bibatur. Tempore prandii atque cœnæ quarta pars vini Rhenani aut Mosellani (sed non acidi) affundi & loco potus ordinarii assumi poterit.

Balsamum Vitæ,

autem supra allegatum ita conficitur:

Rec. ~. rosarum rectif. ℥xvi.
&. anthos
ligni rhod.
majoran.
caryophill.
citri. aa. ʒß.
Bals. Peruv. ʒi.
Moschi. ℈ß.

§. 5.

Referri huc meretur novissimum SPECULUM CURATORIUM PARABOLICUM è ligno, à *Dn. Gärtnero*, Mathematico & Mechanico Aulico Dresdensi inventum, quod, testibus novellis ordinariis publicis *Dresdæ die 7. Octob. A.* 1711. divulgatis, paralysin, apoplexiam, sanguinis stagnationem & varios artuum dolores curare valet, de quo vid. *Musei* nostri *Museorum Part. 3. cap.* 10. §. 5. *p.* 42.



CAPUT IX.

DE LÆSIONIBUS VASORUM LYMPHATICORUM.

§. 1.

Si quicquam est, quod in vulgaribus Chirurgorum commentariis aut neglectum, aut obiter tractatum fuit, illud sane VULNERA VASORUM LYMPHATICORUM sunt, de quibus eleganter pro more suo agit *Nuckius in Exper. Chir. XXVIII.* dum

præter

præter incommoda, inquit, ſvenæſectieni ſupervenientia & paſſim obvia, vaſorum quoque Lymphaticorum vulnera, toties à Chirurgis, in arte cæteroquin peritiſſimis, venæſectionis occaſione læſorum, examinanda erunt.

Inſtitutâ enim venæſectione, præſertim in brachii flexura, lymphæ aliquod non rarò remanere ſolet ſtillicidium, à vaſe lymphatico vulnerato cauſatum, quod omnibus fere Chirurgis, Anatomen & vaſorum lymphaticorum curſum neſcientibus, magnam creavit moleſtiam, idque non tantum in dicta flexura, verum etiam in pede obſervatur, ubi ſaphænæ ſectio inſtituitur, nec non in multis aliis corporis partibus quæ dum vel punctim, vel cæſim, vel quovis alio modo læduntur, lympham ſæpe copioſiſſimā expuunt.

Reliqua ut prætercam, illa ſolummodò notabo, quæ in brachii occurrunt flexura, nec non venæ ſaphænæ quæ ſocia ſunt lymphatica. Ab extremitatibus enim digitorum, tam manuum quam pedum, vaſcula hæc exeuntia in duos tresve abeunt ductus lymphaticos, hederæ in modum, vel etiam rectilineo attactu per latera venarum Cephalicæ & Saphænæ aſſurgentes, metam attingunt.

Hæc autem ut diſtinctius occurrant, vaſorum jam memoratorum delineationem, in *Fig.* 4. & 5. TAB. XII. addendam, neceſſarium duxi, ubi in Fig. A. eſt vena
B. vas lymphaticum.

in Fig. 5. A eſt vena.
B. B. vaſa lymphatica.
C. C. C. Anaſtomoſes vaſorum lymphaticorum.

Si jam fortè contingat (quod Chirurgus etiam dexterrimus evitare non poterit) præter venam ſectam ſimul vas lymphaticum eſſe inciſum, omni ope curandum, ut, quàm citiſſimè fieri poteſt, non modò venæ ſectæ, ſed & vaſis lymphatici læſi vulnus claudatur.

Nihil jam dicam de iis, quæ alii communiter hoc in caſu commendare ſolent, quæque rarius ejuſmodi vulnera, niſi ſumma cum moleſtia, reſtituunt. Suffecerit indicaſſe lymphæ

istiusmodi stillicidium haud difficulter curari, si quamprimum parti læsæ seq. pulveris portiuncula aspergatur:

Rec. Boli Armen. ℥i.
Nuc. cupr. ℨß.
Sang. dracon.
Sem. hyperic, aa. gr. xv.
M. F. Pulvis.

Mox vulnusculum compressula, liquore styptico irrorata, fasciæ ope comprimatur. Neque hoc sufficeret, nisi & altera compressa eodem liquore madida & infra partem vulneratam locata eadem fascia fortius constringatur, ut hoc modò vase lymphatico compresso lympha per aliud vas lymphaticum viam sibi quærendo motum suum absolvat.

Hæc observatio non tantum circa vasa lymphatica jam proposita locum habet, verùm etiam circa alios lymphæ ductus, aliis in partibus occurrentes.

Si verò hisce stillicidium non cedat, ad cauterii actualis applicationem confugiendum erit, quo solo ejusmodi vulnus subinde curatum fuisse experientia constat.

§. 2.

Quod LETHALITATEM VULNERUM LYMPHATICORUM VASORUM attinet, ea, quæ caudici illorum majori, super spinæ vertebras, inter aortam & cavam, cisternam lumbarem conscendenti infliguntur, aut plures eorum ramulos sub hepatis cavo & circa venæ portæ confinium disrumpunt, absolutè lethalibus annumerat *Bohnius* in *Examin. vuln. lethal.* circa finem; quod idem in vulneribus receptaculo chyli & vasis lacteis majoribus inflictis statuendum. Ea autem quæ vasis lymphaticis minoribus, in artubus cumprimis, infliguntur, pro absolutè lethalibus haberi non possunt, licet ariduræ aliisque incommodis occasionem subministrare valeant.

CAPUT X.

DE AFFECTIBUS VENARUM ET ARTERIARUM

§. 1.

Vasis sanguiferis morbi peculiares sunt VARICES ET ANEURISMATA, è quibus hæc arteriis, illæ vero venis sunt infensa.

VARICES

enim nodosæ sunt venarum dilatationes, à stagnante ad valvulas & detenta ibi sanguinis crassiore parte oriundæ, ut egregiè solideque illas describit Beatissimus Dn. *Fehrius*, Præses quondam Acad.N.C.Germanorum, in *Miscellan.* illorum *Dec. I. Ann. VI. & VII. Obs. XXVI. p.* 57. Quamvis autem in variis corporis partibus, etiam in vasis internis, ventre & scroto, imò in pulmonum venis, Hippocrate observante, generari possint, frequentissime tamen in cruribus observantur, cum valvulæ, in ramo crurali fortissimæ imò duplicatæ, sanguini incurrenti validè resistant, explicante *D. Guil. Riva* in *Misc. all. Dec. 1. Ann. 1. Obs.* 18. Nec mares tantùm, ut *Plinius* credidit, hoc affectu tentantur, sed & quam maximè mulieres gravidæ aut succiplenæ, quibus in femore & cruribus illæ sæpius, ultimis gestationis mensibus, admodum molestæ sunt, Obstetricibus die Kinds-Adern dictæ, quæ ex sinistris fœmellas: è dextris masculos promittunt, & præsagiunt; quòd tamen experientiæ minus respondere certum est.

Evanescunt sponte sua, prodeuntibus ritè lochiis post partum. Quodsi autem tempus hoc expectare nolint gravidæ, *Hartmannus*

mannus in Praxi unguentum è butyro majali vel oleo roſaceo cum ſucco ♋. commendat, quod cuidam Matronæ à ſeptimo menſe cum ejuſmodi malo conflictante profuiſſe ſcribit ſupra laudatus *Fehrius c.l.* Confert quoque arcta ligatura, juxta *Riolanum in Enchirid. Anat. p.* 408. internè ſimul dando ſudorifera. Alii venæ cruralis ſectionem laudant; an verò ipſæ varices tuto ſecari & aperiri poſſunt? disquiritur. Videtur quod non, cum ſponte ſua rupta varix obſtrui non potuerit, ſed mortem intulerit, atteſtantibus. *Miſcellan. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Obſ.* 204. Verum cum non tantùm *D. Francus à Franckenau Dec. 2. Ann. 3. Obſ.* 12. in Virgine, ſed & Dn. *Wedelius in Dec. eadem II. Anno IV. Obſ.* 115. tribus aliis exemplis ſpontaneam varicum apertionem ſalutarem obſervarint; hinc nullum video obſtaculum, quò minus aut ſectione, ad imitationem *Hildani Cent. 4. Obſerv. LXXXV. p.*361. aut uſtione cum *M. A. Severino in Chirurg. Efficac. Part. 2. cap.* 37. eædem aperiri poſſint, modò caveatur, ne in ulcus diuturnum degenerent, quale exinde notavit *Horſtius, Obſerv. poſt: pag.* 360. Conferatur & *Sennertus in Inſtit. pag. mihi* 1008.

§. 2.

Plus difficultatis alit ſimilis arteriarum tumor,

ANEVRISMA

dictus, quem communiter à ſanguine in arteria, ob ſtagnationem acrimoniam acquirente, ac tunicam arteriarum internam erodente, deducunt: de quô tamen valde dubitat *Nuckius in Experim. Chirurg. XXIX.* qui experientia edoctus arteriam hanc ſacciformem non ab anteriori ſolùm, ſed à poſteriori quoque parte fore extenſam, niſi oſſa propter duritiem illud impedirent.

Quamvis autem Aneuriſmata minoribus arteriis magis ſint familiaria, negari tamen nequit in majoribus etiam quandoque obſervari, adeò quidem, ut in arteria aorta tale in Lauræ Peronæ cadavere die 31. Martii 1664. in publica Anatome detexerit *Guilielmus*


N
L
M
K
b
A
G
H
I
B
R
P
Q
O
S
X
V
T
C
D
E

elmus Riva, cujus delineatio habetur in *Miscellan. S.R.I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Ann. 1. Obs. 17.* & exinde in *Tab.* nostra XVI. ubi Lit.

A. est Aneurisma duas in partes scissum.
B. Aorta crassa & corde latior.
C. Cor sectum.
a. Partis dextræ aneurismatis protuberantia infra claviculam dextram.
b. Involucra duo, seu foliositas gemina aliis evacuata.
D. Extractorum involucrorum facies interna.
E. In his contentorum externa.
c. Fibræ carneæ ex sanguine concreto involucra texentes.
F. Membranæ tres tendineæ ab extensione externæ Aneurisma continentes.
d. Involucra partis sinistræ aneurismatis ferè integra.
G. Partis ejusdem portio depleta.
e. Concretus nondum in involucro sanguis.
H. Hiatus membranæ internæ crepido.
I. Vacuitas ipsius arteriæ.
K. Aortæ progressus in divortium.
L. Aorta adscendens, duplo naturali grandior.
M. Descendens quadruplo.
P. Auricula dextra quadruplo latior.
Q. Sinistra duplo longior & bifida.
R. Vena arteriosa duplo grandior.
S. Arteria venosa quadruplo.
T. Cordis sectio ad basin transversa.
V. Ventriculus cordis dexter.
X. Ventriculus sinister.
Y. Thoracicus chyliferus turgidus.

§. 3.

§. 3.

Frequentissimè autem talia Aneurismata ineptæ V. S. consectaria sunt, cujus rei notabile exemplum refert illustris Dn. *Fehrius*, νῦν ἐν ἁγίοις, in *Miscell. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. I. Anno VI. & VII. Obs. 26. pag.* 55. ubi tonsor quidam fœminæ sexagenariæ arteriam, pro vena hepatica, in dextro brachio secans malum hoc caussatus fuit: ad cujus feliciorem cognitionem ac curationem *Nuckius* in *Experim. Chir. XXIX.* Aneurisma in verum & spurium distinguit. Per VERUM ANEURISMA intelligit vas ita dilatatum, ut sacciforme reddatur, remanente tamen orificio tam superiori, quàm inferiori aperto, ut sanguinem in motu constitutum quodammodò transmittere possit. Hinc pulsatio utplurimum manifesta percipitur, cutis color naturali similis apparet, manu pressus tumor sensim diminutus evanescit, sed remota eadem statim redit.

ANEURISMA SPURIUM causam agnoscit vas arteriosum venæsectione, corrosione, vel alia quavis ratione ita læsum, ut sanguinis aliquæ particulæ per tunicas læsas exeuntes, inter partes musculosas, vel has inter & integumenta hærendo, tumorem exhibeant, frequenter durum admodum, cum arteriæ pulsu aut obscuro, aut aliquando planè deficiente. Cutis livore notabili sæpè conspicua, tumor hic planiformis magis apparet, sed elevatus minus & tactui vix cedens, ut in aneurismate vero observatur.

Malum hoc, ubi recens adhuc, in principio medicamentis adstringentibus, fasciis idoneis, nec non laminâ plumbeâ fortiter parti affectæ alligatâ, Chirurgi interdum superare solent. Ubi vero notabile jam sumsit initium & operationem ipse patiens desiderat, sequenti modo procedendum: V. S. pridiè instituta ægroque bene locato ministrorum unus arteriam supra tumorem vinculo vel ligamine *Fig. 2. TAB. XXI.* depicto, quo pro lubitu arteriam magis minùsve comprimere valet (Galli un Tournequet, Latini torcular vocant) constringit: mox Chirurgus tumorē lanceolâ simili planè modo, quo abscessus aperiuntur, incidit, incipiendo à parte

à parte inferiore versus superiorem. Aperto tumore sanguineque coagulato eruto, nervus ab arteria, quacum firmiter jungitur, prudentia singulari separandus, vasque arteriosum filo duplicato, cerâ obducto & per acum incurvatam trajecto, probè ligandum. Facta jam ligatura, sanguine & sordibus vacuus locus linteis carptis, liquore stiptico imbutis, vel pulvere adstringente, vel bovista adspersis, adimplendus imposito emplastro, una cum defensivo, fasciatio conveniens instituenda. Secundo vel tertio post operationem die fasciationum fiat deligatio, majorque plumaceolorum pars removeatur, relictis tantum iis, qui in fundo locati erant, ne nova hæmorrhagia curam interrumpat, mox applicatis applicandis, fasciatio ut ante administratur. Quarto quintove die ea quoque adstringentia, quæ hactenus in fundo hæsêre, removere licebit, curandumque porro, ut sarcoticis medicamentis excavatus locus novâ carne adimpleatur. Quæ omnia de Aneurismate brachii intelligenda: reliquis enim in partibus vel nunquam, vel majori cum periculo instituitur operatio.

Totum hoc negotium pariter in CASU quodam ob oculos ponit *D. Joh. de Muralto*, in *Miscell. Nat. Cur. Dec. 2. Ann. 3. Obs. 119. pag. 247.* qui ita se habet: Fœminæ infortunatæ nimium V.S. loco venæ arteria fuit pertusa: derepente vi quadam sanguis ex arteriâ prosiliit & copiosius ejectus est. Occluso vulnere Ecchymosis totum occupabat brachium, magno cum dolore & inflammatione, pulsu existente diminuto & magna partis ad motum imbecillitate. Cataplasma ex hordei farinâ & melle imposuimus, sed irrito conatu: aperiendus erat tumor lancetta & forfice, extrahendaque concreti sanguinis massa: cum hæmorrhagia non nimium urgeret, pulveres adstringentes cavitati inspersi vulnusque emplastro, è bolo & Galeni cerato parato, firmatum & simpliciter deligatum est. Tandem ægra hæc Chirurgo ignaro commissa est, qui escharam adstingentibus in arteria perforata factam immaturam adhuc avulsit, tantamq; sanguinis quantitatem perdidit denuo, ut vix sisti & ægra servari potuerit. Animi enim deliquia supervenerunt & præsen-

rem Medico-Chirurgum requisiverunt, à quo omnibus ex arte administratis duos post menses restituta fuit.

§. 4.

VULNERA VASORUM SANGUIFERORUM majorum, cumprimis internorum, lethalia esse in *Pandectis* & *Novellis Medico-Legalibus* decisum legitur. In Artubus absolutè lethalia non esse (si paucissima truncis maj. inflicta exceperis) vulnera illorum artificialia per Venæsectionem & Arteriotomiam inflicta ad oculum testantur, de quibus pauca adhuc monenda sunt; cum in obesis Artifici sæpe multum negotii facessant.

VENÆSECTIONEM

igitur Dn. *Nuckius* in *Experim. Chirurg. XXVII.* ita administrandam esse docet: Ligatura nec arctè nimis, nec nimis laxè injecta brachioque manu calente fricto, circa cubiti flexuram talumque vena obscurè quamvis in conspectum prodeat, quanta fieri potest circumspectione, secanda. Si verò non occurrat vena, sed in pinguedine abscondita lateat, eam cæco impetu secare non licebit, sed alibi in manu vel pede vena quærenda, ne Chirurgi imprudentia vas vicinum, aut arteriosum, aut nervosum, lædatur.

Si ob mobilitatem suam lanceolæ aciei cedat vena, alia quædam ligatura, infra vulnus infligendum, erit injicienda. Eodem modo procedendum, si ob profundiorem venæ situm inflictum vulnus vulneri cutaneo non respondeat: hocque malum facilius evitari potest, si sectâ venâ extrahendæ lanceolæ mucronem Chirurgus attollat vulnusque cutis hoc modo dilatet & amplius reddat: potissimum si sectio non rectilinea, sed obliqua, quæ ubique præstat, instituatur.

Inter venas secandas occurrit primo frontis, secundo raninæ dictæ, quarum sectiones uti minus necessariæ, sic etiam non satis tuto instituuntur. Si cui tamen volupe fuerit eas secare, collum circumjecta mappa, ex linteo confecta, tantillum constringat,

quo

quo constricto dictum factum venæ distinctius apparent & facilius inciduntur.

Tertio occurrunt Venæ jugulares externæ, quas, si ullam in toto corpore, tuto secare licebit, quia neque nervi punctura, neque tendinum arteriarumque læsio hic metuenda.

Quarto vulgatissimæ occurrunt sectiones venarum brachii, Cephalicæ sc. Basilicæ & Medianæ, Veteribus ita vocatæ, quod partibus particularibus destinatas crederent. Verum invento circulari sanguinis motu hæc opinio exspiravit. Ex his autem tribus Cephalica tutius inciditur, sed minus tuto Mediana, propter subjectum sæpe nervum, aut arteriam, aut musculi bicipitis partem tendinosam. Hoc tamen semper non est metuendum. Sæpe enim eadem sine ullo plane periculo secatur, quod situs ejus tendinis arteriæque aliquando profundior & nervi cursus tantillum aberret.

Quinto Sectiones venarum in manu & pede, Saphæna & Salvatella dictarum, sequuntur, quæ necessitate exigente circumspecte incidendæ. Si igitur Saphæna incidi debet, pes in aquam calentem prius immergatur: quod in Salvatellæ sectione quoque sæpius necessarium est.

§. 5.

ARTERIOTOMIA

Veteribus in Cephalalgia, Mania, Epilepsia, Oculorum Auriumque gravi inflammatione consueta erat. Verum jam temporis exautorata fere est hæc operatio, rariusque in Neotericis occurrunt, qui arteriotomiam instituendam suadent, eam potius, tum ob majorem hæmorrhagiæ, tum Aneurismatis metum, è foro Chirurgico prorsus eliminandam statuentes.

Non tamen desunt Practici & Chirurgi operationem hanc tutò & summo cum successu institui posse sibi persuadentes; idque seq. methodo: Supra temporalem musculum, pone aurem arte-

rias decurrentes ſpongia, aqua calente imbutâ, (abraſo primum capillitio) fovent ægrique collum linteamine aut mappâ conſtringunt, ut ita intumeſcens arteria magis in conſpectum veniat & atramento notata felicius incidi poſſit. Si verò nondum ſatis in conſpectum prodit arteria, aut adſtrictio talis patienti nimis moleſta, ſub axillis ligaturam injiciendam volunt.

Verum cum ſanguinis arterioſi motus adeò ſit impetuoſus, ut vel minimum vulnus copioſum ſanguinem exſpuat, hinc ante laudatus *Nuckius* minus neceſſarium eſſe judicat partes prædictas ligaturis conſtringere, ſed *c. l. Exp. 24.* alios ita procedere docet: Locum ſc. pulſu ſeſe ſatis manifeſtantem, ac, prout dictum, atramento notatum lenta fortius manu incidunt ſanguinisque ſufficientem quantitatem extrahunt: quibus peractis (arteria prius infra inciſionem digito compreſſa) pulverem adſtringentem vulneri inſpergunt: vel emplaſtrum maſtiche obductum, aut ſeq. calidè imponunt:


Rec. Maſtich.
Sanguin, dracon. aa. ℥ii.
Boli Armen. ℥iiß.
Alb. ovi q. ſ. F. Empl.

Mox compreſſulam minorem, dein majorem, tandemque maximam, aliquando plumbi laminam, imponunt faſciamque nodulis aliquot, compreſſulas comprementibus, donatam ſuperinjiciunt, cujus delineationem vid. ap. *Scult.* in *App. Tab. XVIII. fig. 2.*

Cavendum interim, ne nimia conſtrictione ſubſequens aliquando ecchymoſis ſuperveniat.

Hiſce peractis per biduum partem vulneratam obligatam ſinunt: tertio verò die deligationis ſolutionem inſtituunt, ea tamen lege, ut, remoto jam emplaſtro, obligatio de novo, ut ante, ſed paulo laxior, inſtituatur, quarto denique quintove die admota tuto removeri poſſe cenſent.

CAP.



CAPUT X.

DE AFFECTIBUS BRACHII

§. 1.

Absolutis partium similarium læsionibus ad organicas artuum structuras earumque vitia nos convertimus, inter quas Brachium, ex Humero, Ulna & Radio conflatum, agmen ducit, quorum intuitu tum luxationibus, tum fracturis frequenter est obnoxium. E prioribus

LUXATIO HUMERI

sæpe multum negotii facessit Chirurgis, quam *Hippocrates* tantum versus inferiora, alii etiam ad anteriora, fieri adstruunt. An verò sursum quoque luxari possit humerus? de eô ferè dubitat maxima Chirurgorum pars, nixi autoritate *Foresti lib. 9. Obs. 4. in Schol.* Nec ratio illis deest dubitandi, cum processus scapularum anchoriformis id impediat. Quæ forte causa est, cur de diagnosi ejus æque ac curandi modo altum apud Scriptores Chirurgicos silentium observetur. Attamen & hanc versus superiora luxationem quandoque, utut rarò, contingere, testatur

CASUS

notabilis, *Miscellaneis S. R. I. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX. Obs. CLV. pag. 288.* à *D. Joh. Burgio* insertus, qui ita se habet:

Mercatoris famulus, ebrius, ab equo, quo spatiatum ferebatur, excussus in prato statim somno corripitur profundo, & ita sub dio jacet, donec à suis, qui ipsum curru præiverant, & equi, Equitis sui insessu orbati adventu, de emotione ipsius moniti statim eum quæ-

rebant, inveniretur. Concuſſus validè evigilat quidem, ſed nondum à crapulâ liber, fati, quod eum oppreſſerat, planè neſcius, de ſtupore ſaltim ſuorum digitorum manus dextræ conqueritur & Chirothecam, quâ tamen manum adhuc tectam habebat, tanquam amiſſam quærit. Domum delato Chirurgus ſub veſperam accerſitur, qui extenſione factâ in tantos cruciatus & ejulatus conjecit ægrum, ut ulteriorem operationem in craſtinum differre cogeretur. Mane ego ad conſilium accitus, audito caſu, ſtatim quidem de Luxatione humeri cogitabam, cùm verò ſigna Luxationis ad inferiora & anteriora deficerent, autoritate Scriptorum me ſeductum fuiſſe fateor & de diagnoſi morbi mecum ipſe convenire nequivi, præſertim cum neque de modo caſûs alliſionisvè, neque de ſitu corporis in decubitu, quem ſtupefacti omnes non attenderant, informari à quoquam poſſem. Inſpecto ægro, obeſi corporis homine, nullam, ultra claviculam, video vel tango eminentiam: brachium tamen attollere nequibat & quoties illud attollere nitebatur Chirurgus, de dolore intenſiſſimo circa muſculum pectoralem & gemellos ſeu brachiales externos, itemque in flexura cubiti conquerebatur, ut etiam omnem attactum refugeret: quæ loca omnia etiam tumebant & à ſuffuſo cruore rubebant livebantque & in cavitate brachii à coſtis usque ad cubitum corpus aliquod tenſiſſimum percipiebatur, quod muſculi, noni humeri Placentini, uti vocatur à *Brovvn. Myol. p. 49.* tendinem fuiſſe mihi videtur, ob os recedens, quod ſequi nequibat, inſtar chordæ intenſum. Sententiam in re ancipiti præcipitare nolens Chirurgum inungere juſſi linimento nervino læſos muſculos, illorum putans eſſe vitium à contuſione ortum: ægro verò, ob ventriculum gravatum, propino purgans, unde poſt aliquot dies multum dolor & tenſio iſta remittit, motusque brachii ad ſuperiora reddebatur facilior, unde cauſa morbi, nempe læſio muſculorum, qſ. acu tacta videbatur & ſpes reſtitutionis hoc modò obtinendæ oriebatur. Inunximus, fovimus, extendimus, in quantum poſſibile fuit, brachium, quin & ſuppoſita culcitra robur ipſi addere conati ſumus,
nihil

nihil querente per integrum hoc temporis ſpatium ægro, niſi de ſomni defectu, quem tamen ſollicitudini animi, ob privatam cauſam potius, quam dolori adſcribebat ipſe, interim ad anteriora, ſeu pectus, ad poſteriora ſeu dorſum, & ad ſuperiora ſeu caput flectere non poterat brachium, ſed quoties ſurſum tendebat, abduci à pectore humerus, quin illud hunc ſequeretur, ſe non paſſus eſt & ad articulationem humeri cum oſſe ſcapulæ quaſi alliſio ad obſtaculum percipiebatur.

Interim brachium deorſum optimè flecti poterat, adeò, ut de terra ſufferret pondus non exiguum. His ita viſis & collatis ſignis Luxationis deorſum factæ humeri plane contrariis iis, quæ jam recenſui, præconceptam opinionem exui, & luxationem, vel potius, ob prominentiam planè non notabilem SUBLUXATIONEM OSSIS HUMERI SURSUM FACTAM hic ſubeſſe, ſolâ repoſitione curabilem, definivi. Deprecatus torturam æger maluit extrema potius quam illam pati: tandem tamen cum melius rem perpenderet & ab Empiricis paſſim lenius acceptiusvè remedium non acciperet, ſextâ demum à caſu ſeptimana repoſitionem petit & urget, quam invitus licet tam ſero & cum prognoſtico inſtituit Chirurgus, alligato mantili ad os humeri extendens pedentim brachium, dum alius manu forti caput acetabulo cum fragore aptat, tertius autem tres illos motus, quos antea obire nequibat, ſurſum nempe, antrorſum & retrorſum flexo brachio perageret & poſtea modo conſueto curationi ulteriori proſpiceretur. Cùm autem nulla adhuc in membro læſo tabes obſervaretur, factum eſt, licet poſt ſemeſtre demum, ut fotum & unguentis balſamicis & nervinis litum diligentiſſimè brachium ita integritati ſuæ reſtitueretur. Ingenuè errorem meum confiteri volui, ut periculo alieno ſapere diſcant Juniores Practici.

Reliquarum & magis frequentium Humeri, ut & CUBITI, luxationum curationem per Gloſſocomium aliasque machinas, deſcripſimus in *Parte VIII. Medicinæ Nov-antiquæ cap. 4. §. 2.* circa finem: in figuris æneis verò ob oculos ponit *Paræus lib. de luxat.* *cap.*

cap. 22. 23. seq. & *Scultetus in armamentario Chirurgico Tab. XXIII.*

§. 3.

FRACTURAM HUMERI Dn. *Barbette* in *Oper. Anatomico-Chirurg. Part. 1. Cap. 4.* intra 40. dies ita restituit: Brachio ad pectus incurvato mox humerus circa articulationem inferiorem comprehensus deorsum ducatur. Facta huc extensione ossa componantur, sedulò cavendo, ut semper in hoc situ serventur, ne, quod facilè fieri potest, ex eô excidant. Interim hoc simul inculcat, ut post 2. aut 3. deligationem Chirurgus quavis vice brachium in rectum extendat, ne tendines ab humore ad cubitum excurrentes diuturniore quiete contrahantur sicque rigiditas brachii inducatur.

Quodsi tamen CONTRACTURA hæc TENDINUM accedat, spatio 2. aut 3. mensium eandem curare docet, si quotidie pondus ingens gestet æger: Chirurgus verò emollientia, v. g. decoct. intestin. bovis & similia applicet, a ♀. aliisque dissipantibus abstinendo. Hunc in finem seq. Linimentum commendat:

Rec. Unguent. dialth ℥ß.
Axung. hum.
anat. ana ℥i.
🜔 lumb.
lin.
chamom. aa. ʒij.
M. F. Linimentum.

§. 4.

FRACTURAM CUBITI *Hippocrat. Lib. de fract. §. 4. & 5.* restituere docet, quæ diversimode tractanda, prout aut alterum, aut utrumque os seu focile ejus fractum fuerit. Facilior curatu est FRACTURA ULNÆ: Difficilior FRACTURA RADII: Difficilima FRACTURA utriusque focilis, cum extensio fortior tunc adhibenda sit. Quamprimum autem repositio ac deligatio peracta,

peracta, brachium ritè collocetur, ita ut incurvatum pectori imponatur manusque paulò altiorem locum habeat, quam ipsum brachium. Abhinc singulis duobus, vel ad minimum tribus, diebus brachium extendatur, ne humores affluentes justo diutius in articulis detenti ossium coalitum & hinc membri rigiditatem producant. Ita 30. diebus plenariam curationem promittit *Autor* supralaudatus *c. l.*

De CUBITI LUXATIONE vid. *Medicin. Nov-antiqua Part. ult. cap. 4. §. 2.*



CAPUT XI.

DE AFFECTIBUS CHIRURGICIS MANUS, DIGITORUM & UNGUIUM.

§. I.

Cubito mediante carpô adhæret Manus, cujus volam & dorsum format Metacarpus, ê plurimis ossiculis coagmentatus, quæ aut violenta manus concussione, aut expansione emota

LUXATIONEM METACARPI,

(quam das Handvergreiffen vocant) efficiunt, quæ frictione aut & pugno in manum super tabulam expansam ad imitationem *Hippocrat. in Mochlico §. 7.* restituitur, eo fere modo, quem supra in curatione Ganglii ob oculos posuimus.

FRACTURA CARPI & METACARPI est rarissima, nisi officula sint cariosa. CARIES autem (quæ plerumque cum

TUMORE CARPI OEDEMATOSO conjungitur) aut medicamentis exæreticis, aut cauterio actuali ad imitationem *Severini* in *Pyrotechn. Chir. cap. 68.* aut, si Spina ventosa adsit, manus amputatione curanda, quam in figura æneâ sistit *Scultetus Tab. XXVII. Fig. XII.*

§. 2.

Ipsa verò Manus, in tenerioribus, aut à frigore & aëre inclementiore, aut rebus acrioribus, v. g. Lixivio in Lotricibus,

FISSURIS

infestatur, quæ ut Rhagades & fissuræ labiorum oleosis, demulcentibus & balsamicis, ℴ℘. ceræ, unguent. pomat. vel candela sebacea calefacta & inuncta facile curantur.

Econtra in robustioribus & rusticis, ob continuos labores,

CALLI

illic generantur, qui si nimis molesti aut justo majores sint, balneis & fomentis primum emolliri & abhinc pedentim abradi & pellicula una post alteram abscindi poterit.

Quodsi tandem

SIRONES

cuniculos egerint in manibus, sola lotione crebrâ cum aqua fervida comburi, aut ☿ribus enecari possunt; quem in finem seq. sapone lavari possent manus:

Rec. Saponis Veneti ℥i.
☿ dulc. ad extr. ʒi.
Flor. 🜍. ʒß.
ℴ℘. lign. rhod. gr. iij.
M. F. Globulus.

§. 3.

Porrò & Digiti vitiati sui curationem indigitant, ubi primò

DIGI-

DIGITI SUPERFLUI

occurrunt, dum aut ſextus digitus in manibus & pedibus homini connaſcitur, prout *2. Samuel. 21. §. 20.* viri excelſi, 6. in manibus pedibusque digitos habentis, mentio eſt facta, & in *Medicina nov-antiqua noſtra p. 15. Tab. 3. Fig. 2.* pes Æthiopis 6. digitis inſtructus eſt depictus: Aut pollex duplex, inſtar chelæ ♋. (ob appetitum fortè ♋. gravidis denegatorum) illic in prima generatione formatur.

Cura utrobique ſolâ exſtirpatione perficitur, exemplo *obſ. 42. mantiſſ. obſ. Plateri*, quam non tam in recens natis, quàm adultioribus, ob difficilem operationem, ſuſcipiendam ſuadet *D. Joh. Burgius* in *Miſcellan. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Miſcell. Ann. VI. Obſ. LVIII.* Amputationem autem non tam forcipe inciſoria, ut vulgus Chirurgorum facit, aut ſcalpris, ſed novacula, vel ſerra inſtituit *Hildanus lib. de Gangr. aut Sphacel cap. 19.* Novacula quidem parvâ & acuminatâ, ſi in ipſo articulo facienda operatio: Serra verò, ſi extra articulationem.

§. 4.

Aliud vitium eſt

DIGITORUM COALITUS,

ex Matris anſerum veſcendorum appetitu fruſtrato embryonibus quandoque connatus, cujus elegantem CASUM habet ante laudatus *Burgius cit. loc.* qui ita ſe habet:

Natus eſt die 7. Maii An. 1686. infans, cætera ſaniſſimus, hoc ſolo defectu notabilis, quod in dextra manu digitus annularis & minimus, itidemque pollex & index ope ligamenti carnoſi tenuis coaluerant, hoc modo, ut pollex, minor juſto, indicem annexum, ſicut arcum funis incurvat, ad ſe traheret, accreta in medio eorum carnis parte, velut novi pollicis rudimento; in ſiniſtrâ quoque manu pari ratione uniebantur digitus minimus & huic proximus, interjecta ad ſuperiorem articulationem etiam caruncula exigua. Nævum hunc primo aſpectu emendari poſſe non de-

ſperavi, cum unionis inconvenientis vinculum eſſet tenue, nec vaſis ſanguineis majoribus, aut tendinibus, intertextum.

Itaque rem cum Chirurgo aggreſſus non imperito, ſed, ne doloris, ob repetitam unâ operatione ſectionem, ſæpius excitato ſenſu convelleretur infans, ſingulæ diviſioni ſingulum impendimus diem: ubi Chirurgus non aptato prius ligno triangulari, ad imitationem *Plateri Mantiſſ. obſ. 43.* cujus hic neceſſitatem nullam videbamus, non ſcalpello, (quod facit *Hieronymus ab Aquapendente Part. 2. Chir. c. 101.*) ſed uno ictu acuta forfice incidit carnoſum parietem intergerinum, quousque decebat, exciſſis utrobique ſuperfluis digitorum qſ. fundamentis. Ceſſit è voto propoſitum, niſi quod, monente idem *Henr. Roonhuſio Obſ. 10. p. m. 41.* ſollicita magis requirebatur deligatio, ob digitos in novam cohæſionem pronos. Pollex præterea, qualis à principio formationis erat, brevior ſolito manſit indicisque tanta ad eum inclinatio, ut ligaturis aliisque adhibitis remediis ſufficienter ſe coerceri & abduci difficilime paſſus ſit.

§. 5.

Omnium autem frequentiſſimus Digitorum morbus eſt

PARONYCHIA,

de qua integrum & non contemnendum tractatulum conſcripſit *Matthias Glandorpius*, Medicinæ & Chir. D. in quo *pag. 17.* eandem ita deſcribit: quod Paronychia ſit tumor p. n. apoſtematoſus, in principio exiguus & vix conſpicuus, in extremitatibus digitorum, plerumque omnium, ab inflammatione inſigni, nec non à ſanguine ac humore calidiſſimo, venenoſo, fervido, ardenti nitroſoque, intra os & perioſtium, utplurimum contento, cum levi in primis diebus dolore, qui deinde redditur intolerabilis, pulſatilis & pungens: ex quo, præſertim (ut fieri ſolet) in principio neglecto, febres, lipothymiæ, ſyncopæ, vigiliæ continuæ, deliria, nec non caries & putrefactio oſſis, cum ſanie fœtida & ulcere eſthiomeno, deperditiones unguium, non rarò gangrænæ & ſphaceli, ablationesque

vel

vel unius, vel duorum, vel omnium articulorum digiti, quem occupant, & , quod pejus est, totius manus, omniumque pessimum, mors ipsa oriri possunt.

In Cura *Tachenius lib. de morborum principe pag. m. 37.* statim in principio cæcam, quâ tegitur, pelliculam leniter incidit, vel scalpello abradit, quo facto dolorem & pulsationem (ob transpirationem meliorem) illicò cessare asserit. Succrescente verò malo *Hildanus Obs. & Cur. Chir. Cent. 1. Obs. 97.* digitum primo lacte vaccino, in quo flores chamomillæ, melilot. sem. fœnugræci & cydon. incocti erant, aliquantulum fomentat: abhinc superficiem cutis paulatim resecat, donec abrasa cute maculæ quædam rubræ appareant: quibus acie cultelli incisis guttulam unam aut alteram aquæ rufæ sub cute invenit. Illâ evacuata linteum madefactum ▽. vitæ, in qua nonnihil theriacæ dissolutum, applicat. His statim sedatus dolor. Atque hoc unico remedio altero die digitum sanatum fuisse asserit.

Glandorpius ante laudatus, repellentibus nihil juvantibus, præmissa V. S. & purgantibus, quidem ad sectionem etiam descendit, sed, ubi denegatur sectio, missis causticis inconvenientibus, suppurationem suadet, pro qua excitanda seqq. suadat:

Rec. Flor. chamomill.
melilot. ana p. ij.
Summit. hyperici
ivæ arthet. ana Mi.
Flor. violar.
hyosc. ana Mi.

Incisa bulliant in s. q. cerevisiæ

Rec. Pul. alth.
rad. consolid. maj. ana ℥iiß.
Farin. sem. lin.
fœnugr. ana ℥iij.
tritic. ℥iß.
hordei ℥i.

Herb. malv.
hyoſc. ana Mi.
Flor. cham.
melil.
ivæ arthet. ana. p. ij.
Paronych. Mi.

Inciſ. & contuſ. bull. in ſ. q. ▽. com. ad catapl. conſiſt. in fine

add.

Bol. Armen. ℨiij.
Ol. roſ. lumbricat. ℥iß.
lil. alb. ℨvi.
vit. ovor. N. I.
M. pro cataplaſmate.

Novi olim Chirurgum qui ſolo hyoſciami ſemine in lacte decocto, aut ſolum contuſo, malum hoc curare & (ut loquebatur) vermem enecare ſolebat; cui herba paronychia, à ſæpius laudato *Glandorpio* c. l. deſcripta, ſemper addatur.

Verba & characteres, à vulgo hic adhiberi ſolita, Diaboli inſtar fugito, ne Beelzebub per Beelzebub expellas atque cures.

§. 5.

Vulnus, poſt ſectionem in digito relictum, ut alia

DIGITORUM VULNERA

tractetur, quæ non ſtatim conſolidanda, ſed turundis aliquamdiu aperta ſervanda, ne forte caries, gangræna atque ſphacelus præmaturam illorum conſolidationem inſequantur, quod contra *Felicem Würzium* cavet *Hildanus Cent. 4. Obſ. LXXVII. pag. 347. & ſeq.*

§. 2.

Tandem arroſas quoque ungues ſapiunt haud pauca UNGUIUM VITIA, ſive jam à teneris unguiculis & primò ortu, ſive cauſis aliis oriantur. Graviſſimum illorum eſt

UN-

UNGUIUM PTERYGIUM,

quod nihil aliud eſt, quam pollicum ſecus ungues exulceratorum hyperſarcoſis, ſive ex contuſione, ſive reduvia neglecta & ab inflammatione in pus converſa, procedens: quatenus materia nimium acris putriſque diu intus fota & non excuſſa radicem unguis exedit, unguem & os erodit, unde odor gravis & extremi digiti tumor & livor oboritur; cumque ex genere nomarum ſeu ulcerum depaſcentium ſit, hinc cum Paulo per cauteria illud radicaliter tollit *M. A. Severini, Pyrotech. Chirurg. Lib. 2. p. 1. cap. 71.* Ortum autem exinde, vel aliunde

CASUM aut DECIDENTIAM UNGUIS digitali ex cera viridi, ladano, ammoniaco &c.

FISSURAM verò & ASPERITATEM Unguium ſeq. curat. *Barbette Oper. Chirurg. Part. 3. cap. 13.*

Rec. Reſin. ℥ß.
Terebinthin.
Thuris
Maſtich. ana ℥ij.
Sebi hircini
Cer. virid. ana ℥v.
M. F. l. a. Emplaſtrum.

CAP.



CAPUT XII.

DE AFFECTIBUS FEMORIS, TIBIÆ, ET FIBULÆ.

§. I.

Ad ſubditos & bajulos Reipublicæ Microcoſmicæ jam delati oſſis Femoris primò læſiones offendimus, cumprimis autem contumaciſſimam

FEMORIS LUXATIONEM,

quam Celeb. *Ettmullerus* non ſine cauſa omnium curatu difficilimam judicat, in *Chir. Medica cap.* 4. Cum enim os femoris acetabulo ſuo, in oſſe coxendicis, fortiſſimo ligamento alligatum & muſculis robuſtis, nates formantibus & femora inveſtientibus, ſit cinctum, hinc nonniſi à violentiſſima & inſigniori cauſa luxari poteſt, quâ aut ligamentum prorſus diſrumpitur, aut ſummopere laxatur. Si diſrumpitur, conſolidationem non admittit: ſin laxatur, difficilimè priſtino ſuo tono, ob ſitum profundiorem, topica & nervina non admittentem, reſtituitur. Unde os hoc luxatum rarò vel nunquam reſtituitur, cnmprimis in adultis, quibus per totam vitam durantem claudicationem infert; quod magno ſuo malo expertus eſt Princeps quidam Germaniæ, literis & armis inclutus, ad Thermas aliquoties ablegatus.

Quin & in juvenibus omnem ſæpiſſimè curationem reſpuit, cujus rurſus miſerabile exemplum Anno 1676. in puero quodam ruſtico vidit *D. Neſterus*, cui ex præcedentibus coxendicum doloribus, quos ob nimiam partium externarum hybernô tempo-

re

re refrigerationem fortè contraxerat, utrumque os femoris capitibus coxarum sinubus excidit & luxatū est, dextrum nempe extrorsum, sinistrum verò introrsum; unde factum, ut non solùm propter caloris nativi alimentique, ob venarum & arteriarum distorsionem, defectum, abolitamque membrorum nutritionem, utrumque crus & femur contabuerint, dextrum quoque crus, eò quod femoris caput in locum altiorem exciderit, brevius redditum, ut calx terram attingere nequeat, sinistrum econtra, si cum altero conferatur, longius sit: ambo verò ob ἀτροφίαν robore destituta; omnem planè motum atque usum ad standum & incedendum amiserint, ut humi desidere natibusque repere deinceps cogatur, sicut Leprosus ille, cujus meminit *Reinesius l: 2. var. lection, c.* 18. vid. *Miscell. S.R.I. Acad. N.C. Dec. I. Ann. VIII. Obs. XXIV.* adeoque femoris luxatio vix nisi in tenellis infantibus, in quibus ob diuturniorem quietem & fascias instituendas facilius curatur, in integrum restitui potest.

Enchireses, queis aliâs in restit. & extensione femoris utuntur, vid. in *Fig.* 1. *Tab.* XXVI. *Scult. in Armam. Chir.*

§. 2.

FRACTURA FEMORIS eodem plane modò, ut fractura humeri, curatur. FRACTURA PATELLÆ, ipsi annexæ, si per transversum facta, ferè semper incedendi impotentiam relinquit, ob rationes ab *Hildano Cent. V. Obs.* 88. *è Paræo* & aliis prolixè in medium allatas & in figura ænea ob oculos positas. Aliâs verò per longitudinem diffractam & divisā patellam, etiam sine manuum opera, musculorum extendentium sola contractione uniri & intra 20. dierum spatium consolidari *Barbette* in *Oper. Chirurgico-Anatomicis Part.* 1. *cap.* 4. adstruit, qui *cap. seq.* 6. quoque LUXATIONEM PATELLÆ brevi manu curare docet.

§. 3.

FRACTURA TIBIÆ curatur ut fractura ulnæ in cubito. Qua ratione vero TIBIÆ FRACTURA CUM VULNERE à *D. Rauio*, Operatore Ambstelodamensi famigeratissimo, tra-

ctata & curata fuerit, Autor *Itineris Anglicano-Batavi* C. H. *Erndlerus*, *pag*. 129. seqq. recenset: Patientis in commodo scabello locati os fractum mensulæ imponebatur, substrato pedi pulvinare pressius infarcto: tunc læso ab adstantibus firmiter detento pes altera Chirurgi manu circa calcaneum, altera superius in dorso pedis apprehendebatur, ac sensim, quantum ad repositionem sufficiebat, extendebatur. Facta repositione pedi applicabatur primo emplastrum defensivum, circa extremitates fissum, ut firmius adhæresceret: huic imponebatur ligatura ex linteis, ad modum voluminis compacta (ein Buch-Ligatur) quæ ex multis conficitur linteis planis, ita dispositis, ut horum extremum quinque palmarum longitudinem & duarum latitudinem habeat & interiora sequentia gradatim in longitudine & latitudine deficiant, quorum fere sex debent esse numero: in medio consuta lintea hæc circa oras bis fissa sunt & priusquam applicentur, 🜄 madefiunt. Tandem ligaturā hanc & fascias muniebat ferulis, quarum inferior suras ambiens latior erat reliquis lateralibus: illa enim tres pollices, hæ duas saltem latitudine sua exæquabant. Locus Tibiæ superior vulneratus sine ferula relinquebatur apertus. Ferulæ ipsæ tribus fasciis lineis sufficienter constringebantur, mediam primò, deinde superiorem, atque ultimo inferiorem firmando, simulque cavendo, ne strictiori fasciarum applicatione noceamus. Sufficit nimirum strictura, quæ spathæ intrusionem facile admittat. Pro meliori defensione ab injuriis externis pes læsus in pulvinari molliusculo, tribus fasciis firmato, reponebatur. Tandem grabato imponebatur patiens, elevato paulisper pede & ex utraque grabati parte alligato, ne hinc inde moveri ac lædi iterum posset. Post hæc quotidie semel deligatio solvebatur & vulnus ipsum plumaceolis ex filis carptis detergebatur, aliaque fila carpta, melle rosaceo imbuta, imponebantur, modoque jam fusius descripto semper iterum deligabatur: calcaneo, ut ab omni compressione liber relinqueretur, pulvillus ex linteis confectus substernebatur.

§. 4.

FRACTURA OSSIS UTRIUSQUE, TIBIÆ ſc. & FIBULÆ, CUM VULNERE

adhuc plus negotii facesſit: quam tamen feliciter ſanatam *D. Joh. de Muralto*, Medicus in Helvetiá, refert, qui ſeq. de illa CASUM *Miſcellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *Obſ.* 117. *p.* 242. inſeruit: Filius 14. annorum, cum ſociis ludens, tibiam & fibulam dextram confregit, ita ut proſtantia hæc oſſa muſculum Gaſtrocnemium & ſuralem, cum venis quibuſdam, pertuderint. Pes extenſus per miniſtros fortes & in æquilibrio detentus erat, uſque dum utrâque manu Chirurgus membrum comprehenſum ad priſtinam figuram reduxit & impellendo hinc inde, ante, retrò, ad latera, extantes partes in ſuas concavitates & priſtinas ſedes reduxit, quo dolor magna ex parte ceſſavit oſque fractum in ſuperficie æqualitatem adeptum & ſano membro ſimile redditum eſt. Vulneri tum impoſitum ceratum Galeni & deſuper emplaſtrum adſtringens. Deligavit pedem faſcia, tres fermè ulnas noſtrates longa, ter fracturæ circumvolvendo & verſus genu finiendo. Aliam dein faſciam affecto pedi bis circumduxit, verſus malleolum finiendo. Hiſce faſciis impoſuit compreſſas per tranſverſum & juxta membri longitudinem, ut inæqualitas omnis caveatur & deligatio ſuper fracturam firmetur. Præterea compreſſas has epideſmo & ſyndeſmo retinuit & theca chartacea munivit. Tandem pedem directum, ut calcaneus ab omni compreſſione liber fuerit, capſulæ ligneæ impoſuit. Modus hic deligationis per duas hebdomadas continuatus fuit. Poſt inſtituta aſcialis faſciatio, 18. capitum dicta, ob copiam puris & crebram partis inſpectionem. Poſt tertiam hebdomadam in melius profectus eſt æger calloque fractura conglutinata.

§. 5.

Inter TUMORES TIBIÆ gravissimos ferè & curatu difficilimus est

ELEPHANTIASIS ARABUM,

purgantibus & antiscorbuticis, tam internè, quam externè, cum balsamicis, adhibitis tractanda; cui quodammodo similis est indigena Malabaris hypersarcosis ulcerosa pedum, Pircal, vel

PERICAL

h. e. Crassities, Belgis Boombeen, it. Sant Thomasbeen dicta, quia malum est inter Christianos S. Thomæ (quos vocant) haud infrequens, quod in *Miscellan. Acad. Germ. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *Obs.* 13. ob oculos posuit *Dn. Andreas Cleyerus*: breviter verò sed accurate primum descripsit *Dn. D. Kæmpferus*, in *Decade Observat. Exoticarum*, quas è Persia & Indiis redux Lugduni Batavorum pro gradu ventilavit: postmodum autem fusius repetiit in amœnissimis *Amœnitatibus Exoticis, Fasc. III. Obs. VIII. p.* 561. verbis seqq.

Perical, i. e. Hypersarcosis ulcerosa pedum; sive Pædarthrocace, morbus Malabaris vernaculus.

Alter fontis Malabarici partus, tumor est oedematosus, qui corporis partem non aliam, quam pedem invadit; & incremento menstruo ita tandem expandit, ut similem elephantino cruri figuram exhibeat. Indigenis vocatur *Perical*, vel ex linguæ celeritate *Pircal*, i. e. febricitans pes, intellige menstruum pedi affecti erysipelas: hoc enim Medici Brahmenes in catalogo febrium decimam octavam speciem statuunt. Malum frequens onerat Christianos sancti Thomæ, ab Apostolo hujus nominis sic dictos: cujus quod amplexi essent doctrinam crudeliter adeò à paganis

paganis habiti sunt, ut relicta patriâ suâ *Carnatica* (provinciâ Choromandeli) superatoque, quod regiones dividit, jugo montium in Malabariam concesserint, amplius hic mille ac quadringentorum pagorum, totidemque templorum nunc facti possessores. Malum ergo ex Gangeticâ patria transportasse vulgata traditione creditur: inani profecto, nisi credant simul illinc fontes & flumina, mali endemii genitores, transmigrasse. Narrant indigenæ: S. Thomam ingentis molis arborem, quæ portum clauserat, eum elephantibus pagani non possent, zona femoris sui extraxisse: quo facto qui à paganismo ad Apostoli doctrinam transiverint, elephantino pede à Diis gentilibus notatos esse. Advenarum fidem ita hæc occupavit fabula, ut morbum Indi Lusitani *Peju de santo Thoma*, & eorum exemplo Belgæ, Saent Tomas Been appellare non dubitent. Eundem tumorem in pagis *Ceylanæ* ultra Galam, urbem munitissimam Belgicam, tum in *Omera*, Regni Japonici provincia, endemium (quamvis non ita frequentem) offendi, utrobique emergentem, quod fatentur incolæ, ex aquæ natalis vitio. Morbus nunquam artus alios invehit, quam crus alterutrum, raro utrumque, & in eo præcipue imam partem: hanc singulis mensibus cum lunæ incremento phlegmone corripit, qua intra dies aliquot defervente, tumor tamen inflammationis non remittit, sed in carnem vitiosam secedit, ita ut ambitus cruris, cum incremento ætatis, in deformem crassitiem, plus justo (duplo, triplo, aut longe ultra) majorem excrescat; crassitiem inquam inæqualem, œdematosam, duriusculam, aspectu scirrhosam, hic illic, prout os subjectum afficitur, fungosam, ulcerosam & serosa sanie scatentem. Tumor sæpe per extremum quoque pedem ad ipsos usque digitos extenditur, raro ultra suras ascendit, ad genua nunquam pertingit. Mali materiam præbent fontes, non tam Malabariæ universæ, quam regni Cocinensis; sale enim corrosivo abundant, (nitrum ibidem vocant) cujus acredo sanguini viscido juncta partem nutriendam

obſtruit atque vitiat. In cruribus autem hæc tragœdia præ ceteris luditur, quod in illis mali materia gravitate ſua reſtagnet, niſi eadem à cavo ſcroti, eroſis ibidem lymphaticis, intercipiatur; à malo enim omnes illi immunes ſunt, qui hydrocelen fovent. Chriſtianos potiſſimum corripit, quia utplurimum circa montes habitant, quorum aura & aqua ad producendum tumorem majori pollent efficacia. In hoc noſtro affectu vitium contraxiſſe os ſubjectum, nullus vel ex eo dubito, quod omnem illudat medicantis operam & oleum. Ambiguum vero eſt, an os ſubjectum laboret carie, an intemperie tantum humidâ? Rurſus, ſi caries adeſt, an ea communis ſit, id eſt, extrinſecus, læſo prius perioſteo, inducta, an vero intusfacta, à ſucco nutricio in tubulis oſſium ſtagnante, viſcido, acri, acido? talis enim humor oſſis ſubſtantiam terebrat & erodit, eamque inducit figuram, quam ab inæqualitate & fungoſitate Spinam ventoſam, ſeu ventoſitatem ſpinæ appellaverunt veteres: cujus nominis barbariem *Severinus* in opere *de recond. abſceſſ.* caſtigavit, ſubſtitutione vocabuli *Pædarthrocaces*, quod puerorum abſceſſum notat: quia in pueris frequentior affectus eſt, ob molliora oſſa & patentiores in iis tubulos, in quos major alimenti copia defertur, pro augmentatione. Ut me expediam: non ſecavi pedem, nec ſtatum laborantis oſſis definire auſim; perſuadeor tamen, affectum pro Pædarthrocace quadam habendum eſſe, eo quod juniores potiſſimum adoriatur, parcat advenis adultioribus, qui ſolidis cruribus incedentes, nullo pro augmento oſſium nutrimento indigent. Malum etſi tactu durum, aſpectuque nigricans ſit & fœdum, in ſphacelum tamen haudfacile degenerat, adeoque periculo vacat; doloribus quoque vix aliis grave, quam quos menſtrua parit inflammatio; Odioſum tamen & permoleſtum eſt ſuis bajulis monſtroſo pondere, præſertim ſi ulcusculorum ſtillicidiis madeat, prout ſolet inveteratum. Mireris, quam parum in officio impediat operarios, ferendo huic oneri ſic aſſuetos, ut ad præſtandas mercenarias quasvis operas, & ad palmas

quoque

quoque nuciferas excelſiſſimas eadem, atque alii, agilitate ſcandendas, nihil minus ſint idonei.

Qui monſtro hoc gravantur, nullum aliud habent remedium, ex quo levamen hoc cœlo ſentiant, quam quod ab æviternis fonticulis petitur, inurendis circa cruris affecti genua, ſed mox in mali principio, poſt unam aut paucas inflammationes. Hinc frequenter fonticulorum apparatu faſciatos videris hujus regionis Chriſtianos: quo vero non quidem concepta radix extirpatur; ſed pro frenanda tumoris & ulcerum luxurie, ſerum affluens, præfixa quaſi cataracta, ſiſtitur quodammodo & intercipitur. Ab indigenis tamen Medicis curatio totalis, ſaltem in morbi principio, tentatur magis, quam obtinetur; ea methodo: ut primo omnium mittatur ſanguis; tum caput frequenter cum oleis perungatur, præſtante ceteris oleo ejus terræ communi, id eſt, oleo nucum Cocos; deinde corpus pharmaco ſufficienter expurgetur. His præmiſſis quaſi univerſalibus, ad pedis affecti medelam ſe aqua & igne accingunt, ut gemino ſacramento partem maleferiati regenerent. Modum appono, à Medico Chriſtiano S. Thomæ, ex *Samscretico* manuali ſuo, mihi prælectum & communicatum, riſu mehercle quam approbatione digniorem: *Paranda facula eſt ex ſtuppa & oleo Cocos*, quod copioſum præſtat Malabarorum patria; *præſto quoque ſit liquor elicitus ex contritis cum aqua dulci foliis Corveile* (planta eſt fructu grandi, eduli, ibidem notiſſima). *His paratis, pedem repone ſitu elevatiore; poſt, accenſæ facis ipſa, qua flagrat, extremitate plantam pedis tardis ictibus percute, & à ſingulis percuſſionibus eandem aſperge cochleari uno prædicti liquoris; quæ & percuſſio & aſperſio, reciprocandæ ſunt continuo trium horarum ſpatio.* Si hoc exorciſmo ſemel aut bis inſtituto hoſpes tuus non excedat, fruſtra eſſe, ajebat, quicquid ad excutiendum ultra tentaveris. Japonii provinciæ Omura, hoc morbo petiti, (*Kojejas* plebi *Kojaſſi* appellatur) tumorem incipientem liberaliter ſcarificant, & ſic detumet plerumque: ſi redeat affectus, ſcarificationem quoque iterant, non neglecta pro-

tube-

tuberantiarum ustione, *moxa* sua, i. e. lanugine foliorum artemisiæ, instituta: quæ genti huic in omnibus ac levissimis quoque affectibus ita familiaris ac usu recepta est, ac si in verba *Hippocratis* nostri, (quem nunquam legerunt) obsequium juraverint, cum lib. de aff. c. 30. ait: *Si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & constiterit, & medicamentis non fuerit exactus, urito quocunque loco fuerit dolor: urito autem lino crudo. Hactenus Kæmpherus.*

Huic haud absimilem tumorem D. *Christianus Menzelius* olim in Muliere fontem Freienwaldensem invisente, & in *Fig.* 2. *Tab. XVII.* ob oculos posuit: prout totus CASUS describitur in *Miscellan.* modo *cit. obs.* 14 qui ita se habet: Anno 1684. accedebat ad fontem mulier 50. annorum, Sabina Schumacheria, uxor æditui in pago Golzen, cujus cognomen Gütterbock, ut dolorum remissionem aliquam nancisceretur, qui in sinistro pede, monstroso satis, ob tumorum molem in eo conspicuum, per 15. annos perdurarunt. Propendebat ex femore ejus tumor ingens, molem capitis humani superans, quem sequebatur in genu tumor ejusdem quantitatis. Hunc excipiebat alius latus & amplus, suras repræsentans: & huic excrescentiæ aliæ atque aliæ, quæ articulos, malleolos utrosque, dorsum pedis, digitos pedum tumidos & crassos obvelantes præsentabant, adeo ut totus pes tumoribus suis strumosis nihil quicquam cederet strumosis ills pedibus Christianorum S. Thomæ, in Oriente degentium. Misercula (interrogata à me super omnia) contraxerat malum primo matrimonii anno, ex Erysipelate in toto pede sinistro suborto, quod cum negligentia non curaret, rubore pedis diutius persistente & exulcerato, tandem tumores annuatim invalescentes, strumarum in modum, pedem ita monstrose deformarunt, ut ipsa figura ostendit. Ex illo tempore misercula ægre potuit incedere, & juxta incrementa ☽. ingentes dolores (quos à rosione vermium intus latentium deducebat) sensit. Præterea indies gestare linteamina circum inferiorem pedem cogebatur, ob serosum humorem, ei ex cute

ibi

ibi locorum excoriata de nocte effluentem. Hoc pedis statu processit nostra ad fontem, ut incommoda præcipua, auxilio DEI & usu aquarum, à se removeret. Accidit ut eodem die Satellitis Electoralis Uxor, constrictis ex arthritide manibus prætumidis, fontem accederet. Post haustus aliquot aquæ & lotiones artuum perrexerunt ambæ ad concionem sacram: vix concio finita erat, cum ambæ dolorum levamen sentirent &c.

§. 6.

TUMORES PEDUM, cumprimis OEDEMATOSOS, eleganti disputatione olim prosecutus est *D. Henricus Meibomius* P. P. Helmstadiensis, quos iis, quæ in oedematibus curandis generaliter laudavimus, curare licebit.

Quodsi CARIES OSSIS TIBIÆ jungatur iis, solidam ejus curationem, à D. Ravvio in Mechanico peractam, tradit supra laudatus C. H. E. D. in *Relat de Itinere suo Anglicano & Batavo ad D. G. K. A. C. pag* 126. dum die 22. febr. (inquit) visitabat *Dn. Ravv* Mechanicum, qui instrumenta Anatomica & Chirurgica perquam accurate & artificiosissime præparare noverat. Hic in parte superiori ossis tibiæ laborabat carie, quo in loco novaculâ incisionem faciebat *Dn. Ravv*, firmo nisu ad os usque scalpellum adigens, factaque incisione labia vulneris, carnem luxuriantem separando, dilatabat, ut applicando cauterio locus pateret commodus. Osse enim carie infecto fibræ musculorum carneæ in parte cariosa abscedunt & nunquam ossi iterum adnascuntur, nisi caries ablata fuerit. Cauteria autem cum in finem applicantur, ut vascula ossis, cariem nutrientia, exstirpentur: quo facto cariosa pars separatur ultro atque abscedit, pro tempore lucrando à Chirurgo volsella auferenda. Ablata sic ossis parte cariosâ fibræ carneæ felicius adnascuntur & cum osse denuo coalescunt, & tunc sine omni periculo apertura illa carne iterum claudi potest.



CAP. XII.

DE AFFECTIBUS PEDIS IN TARSO, METATARSO, HALLUCE & CALCANEO.

§. I.

Tibiæ & fibulæ immediatè connectuntur TARSUS & METATARSUS, qui utrobique iisdem, quibus carpus & metacarpus (utpote quorum texturam & ſtructuram imitantur) laborant morbis ſunt obnoxii; quos inter frequentes ſatis ſunt

LUXATIONES TARSI & METATARSI,

quas das Fuſsvertretten vulgo appellare ſolent. Oſſicula ſc. illos componentia, aut extrorſum, aut introrſum vergunt, frictione & digitorum compreſſione facile reſtituenda. Graviſſima è contra eſt

TALI & CALCANEI LUXATIO,

quam omnium periculoſiſſimam eſſe dicit *Ettmullerus in Chir. Med. cap.* 4. Hic enim tria calcanei oſſa innominata copioſiſſimis tendinibus junguntur, ipſaque articulatio talis eſt, ut ſede ſua emota vix adeo commode, citra metum inflammationis, convulſionis & aliorum ſymptomatum reſtitui poſſint; quapropter &

VULNERA CONTUSIONESQUE CALCANEI

convulſionem, imo ipſam mortem, inferre poſſe *Barbette in Oper. Chirurgico Anatom. fol. ultim.* teſtatur.

§. 2.


Fig. 1.
Fig. 2.

§. 2.

In eodem calcaneo tempore hyberno

PERNIONES

ſæpe perniciem minantur, tumores ſc. inflammatorii, à ſummo frigore producti. Aliter autem recentes, aliter inveterati ſunt tractandi. Illic frigidis cura auſpicanda eſt, quia frigoris lues frigore pellenda, ut Latinè non minus quam Medice ſcribit *Barclajus*, doctus exemplo Regis. Hunc in finem membra peruſta gelu nive aut glacie fricantur, quo particulæ frigorificæ evocentur. Abhinc ſenſim mollique agitatione articuli vellicandi, quo revocetur ſanguis. In malo autem inveterato potentiora adhibenda ſunt, ſc. ♈. camphoratus, ⁀. lumbr. balſamum nervinum Conerdingii, petroleum, aliaque à *Waldſchmidio* in *Diſp. de Pernionibus pag.* 12. recenſita. Sunt qui cereviſiam in conſiſtentiam mellis excoctam: alii pinguedinem taxi (quam in me ipſo olim proficuam inveni) impenſè laudant: quibus in EXULCERATIS PERNIONIBUS exſiccantia & balſamica addantur, unde ſeq. Emplaſtrum paravit D, *Barbette c. l.*

Rec. Pulv. gallar.
 ariſtol. rot. ana ʒß.
 Minii ʒi.
 ☿. Sublim. gr. vi.
 Lithargyr.
 Myrrh. ana ʒß.
 Camphor. ℈i.
 Thuris ʒiii.
 Ceræ viridis q. ſ.
M. F. Emplaſtrum.

§. 3.

Eadem in DIGITIS PEDIS CONGELATIS laudantur, qui pariter in principio nive fricandi, vel & rapa congelata obducendi, imponendo abhinc empl. ſeq. ab eodem *Barbette* laudatum:

Rec. Axung. porcin.
Ol. olivar. rec. ℥i.
Ceræ alb. ℥ii.
Coq. parum & F. Empl.

quo ipſo quoque alii Digitorum Pedum Tumores emolliri poſſunt è quibus agmen Chirurgiæ noſtræ claudant

CLAVI PEDUM,

digitis illorum & cumprimis halluci ſæpiſſimè infenſi, qui pediluviis & emplaſtris, è pice ſutoria aut aliis compoſitis, primum emolliendi & abhinc ſucceſſive pelliculas (è quibus conſtant) abradendo vel abſcindendo eradicandi ſunt, cavendo ſedulo ne ligamenta aut ipſum perioſtium attingamus, ſicque inflammationem, gangrænam & ſphacelum cauſemur, unde Viros quosdam Illuſtres & Celebres diem ſuum obiiſſe è novellis publicis in *Miſcellan.* noſtris *Curioſis* & *fructiferis de novellarum publicarum uſu & abuſu in rebus Phyſico-Medicis pag.* 571. ob oculos poſuimus.

Eadem cautela obſervetur, quando UNGUIS HALLUCIS SUBTUS CARNE ad cutem ſe recondens abſcindi & effodi debet, quod optime forcipibus inciſoriis, hunc in finem paratis (mit den Nagelzangen) fieri poteſt, interponendo poſt abſciſſionem filis carptis balſamo Peruviano imprægnatis

TANTUM!



CON-

CONSPECTUS APPENDICIS
DE
SUTURIS, FASCIATIONIBUS & LIGATURIS.

OPERATIONES CHIRURGICÆ TUMULTUARIÆ, in casu necessitatis ab unoquovis adhibendæ, sunt

- **I. SUTURA**
  - **SICCA**
    - *emplastris glutin. cum ham. & annul.*
    - *linteis triangularibus.*
  - **VERA**
    - relictis acubus
      - in *cura labii leporini.*
    - extractis acubus
      - Continua
        - *Sartor. Sutoria.*
        - *Pellion. Gastr.*
      - Interscissa
        - *Simplex, pennata & c. bacillis.*
- **II. FASCIATIO, ubi notentur**
  - INSTRUMENT. seu FASCIÆ
    - Simplices
      - integræ
        - *unius* / *plurium* — *capit.*
      - scissæ
        - *Cancri & funda.*
    - Assutæ, ut *ligam. pro herniis.*
  - FASCIARUM applicatio, quæ varia.
    - 1. Ratione modi est vel
      - Æqualis & Circularis.
      - Inæqualis
        - *Ascia, Sima.*
        - Repens
          - *Rhomb.*
          - *Fenestrata.*
        - *Reduplicata.*
    - 2. Ratione usus est vel
      - *Attractiva.*
      - *Expulsiva.*
      - *Separativa.*
      - *Incarnativa.*
      - *Retentiva.*
    - 3. Ratione Partium
      - in Capite
        - *Capitium, Funda.*
        - *Capellina.*
      - in Fronte
        - *Discrim. Scapha.*
        - *Regalis, Solaris.*
      - in Oculis
        - *Oculus*
          - *Simpl.*
          - *duplex.*
      - in Naso
        - *Fossa Amyntæ.*
        - *Accipiter*
      - in Mandib.
        - *Capistrum*
          - *simplex.*
          - *duplex.*
      - in Thorace
        - *Scapularis.*
        - *Cataphracta.*
      - in Scapul. *Stella.*
      - in Mammis, *Fascia Heliodori.*
      - in Humero, *Spica.*
      - in Digitis, *Chirotheca*
        - *integr.*
        - *dimid.*
      - in Man. & Ped. *Stapes.*
      - in Scroto, *Bursa.*
      - in Patella, *Testudo.*
      - in Pede, *Sandalium.*
- **III. LIGATURÆ, quæ fiunt**
  - pilis.
  - filis
    - lineis.
    - sericeis.
    - aureis.
  - laqueis
    - *nautico.*
    - *pastorali.*
    - *lupo.*



APPENDIX
DE
SUTURIS, FASCIATIONIBUS ET LIGATURIS.

§. 1.

Quamvis sufficiens instrumentorum apparatus ad Operationes Chirurgicas expeditius exercendas summè necessarius & proficuus sit, Chirurgum quoque deceat & exornet, si pro casuum & affectuum externorum varietate, ad imitationem *Hildani, Paræi* & aliorum, nova subinde inveniat: attamen in casibus subitaneis, hæmorrhagiis, prolapsibus interaneorum & similibus, sub illorum æquè ac Chirurgorum defectu, sola manuum opera per suturas (quas perperam rejicit, *Paracelsus Chir. lib. 1. Tr. 2. c.* 116. *p.* 13.) fasciationes & ligaturas sæpe vulneratis ab adstantibus succurrendum est. Ut autem eò promptius & comptius illud fiat, haud abs re fuerit, si tres has operationes earumque species paucissimis descripsero &, quantum fieri poterit, in Figuris æneis ob oculos posuero.

§. 2.


§. 2.


SUTURAS igitur quod attinet, communissimè in *siccas* & *veras* distingui solent: quibus forte tertia species, ex utraque *mixta*, posset addi, qualis est sutura tendinum, in TAB. XVIII. observanda. Utraque autem locum habet, si vulnerum extremitates sola ligatura neque conjungi, neque coalescere possint: id quod fieri solet, si partes molliores in transversum disunitæ sint. In specie verò SUTURÆ SICCÆ locum habent, ubi sola cutis est discissa, ut & in aliis faciei vulneribus, ad evitandas cicatrices, elegantiæ & pulchritudini incommodantes. Interim facile relaxantur & sæpe prorsus solvuntur, unde illis rarò utuntur. Quodsi tamen illis uti velimus, linteamina quædam in formam trianguli discinduntur glutine fortius adhærenti immerguntur & postquam ad digiti transversi distantiam in utroque vulneris latere applicata sunt, filis per linteorum angulos trajectis contrahuntur. Alii emplastris glutinatoriis utuntur, annulis aut hamulis instructis, quæ posteriora *suturæ fibulatæ*, seu *hamatæ*, Gallis l'agrafees, audiunt, ut in tribus figuris mediis, num. 1. 2. 3. TAB. XIX. videre licet. Alias suturæ siccæ species sine filis, per linteamina, aut coria sibi invicem inserenda, Chirurgi curiosiores in laciniis majoribus discissis & variis suturis resarcinatis ostendere solent: ad quarum imitationem figuram æneam modò allegatam depingi jussi.


§. 3.


SUTURÆ VERÆ tum ratione applicationis, tum ratione finis & usus rursus suas habent differentias. Prioris intuitu alia fit relictis acubus, alia verò his extractis & abscissis. *Sutura relictis acubus*, aliis *involuta* quoque dicta, agmen ducit inter omnes, quas Tab, XIX. præ se fert & vix unquam locum habet, quam in curando labio leporino. Quamprimum sc. acus fissuræ scarificata labia penetrârunt, circa easdem filum inceratum circumvolvitur sicque omnia illic relinquuntur, ne ab humoribus è naribus defluentibus sutura dissolvatur, sicque labiorum & extre-


mita-



Sutura relictis acub9.


1. Sutura Sicca.



Sutura interscissa.



Sutura Continua.


2


Sutura Gastroraphica.


Sutura pennata.


3


Sut: Cum bacillis.

mitatum agglutinatio impediatur. Conf. ea quæ de cura labii leporini alibi fuere dicta.

§. 4.

Suturæ extractis acubus perficiendæ ſubdividi ſolent in ſuturas interſciſſas & continuas. *Suturæ interſciſſæ* in Praxi receptiſſimæ ſunt, ita dictæ, quod filum toties reſcindatur, quoties acus cutim & carnem penetraverit ſicque fila colligata ſunt, ut ex iſta Figura clarius apparet. Ab antiquis uſûs intuitu communiter *incarnativa* dicitur. Ne verò juſtò plures requirantur & in locis viſui expoſitis cicatrices quodammodò evitentur, hinc olim calamos aut bacillos addebant, quæ vulnerum extremitates comprimerent & unirent, unde *ſuturæ pennatæ* & *cum bacillis* exortæ ſunt, quæ in fine Tab. XIX. ob oculos ponuntur. Interim Chirurgi peritiores has armatas qſ. ſuturas non ſine cauſa rejiciunt, cum pennæ vel bacilli annexi labia vulnerum nimis comprimendo impediant, quo minus ſerum nutritivum ad conglutinationem vulnerum, ad cicatricis aut calli generationem ſummè neceſſarium, ſufficienter affluere queat.

§. 5.

Reſtant *ſuturæ continuæ*, quæ ratione uſus in reſtrictivas & conſervativas diſpeſcuntur, quia ſanguinis effluxum partim reſtringere & cohibere, partim labiorum conjunctionem conſervare debebant, unde omnes & ſingulæ continuata minusque interrupta fili ſerie & circumvolutione inſtituebantur. Priorum ſcil.

Reſtrictivarum ſuturarum, Anteceſſores noſtri V. conſtituebant ſpecies: 1. *Sutoriam*, quæ filum in lateribus labiorum cum acu traducit. 2. *Sartoriam*, quæ filum ſupra labia volvendo progreditur. 3. *Pellionum*, quæ mox ſupra, mox infra labia acum pertundit. 4. *Extus intrantem & intus exeuntem*. 5. *Suturam Celſi* cruciformem, quæ omnes cum labiorum conjunctionem etiam conſervent, hinc alia, *conſervativa* dicta, vix opus habemus

mus, cumprimis eô in casu, ubi multum de substantiâ partium vulneratarum periit.

§. 6.


Ad ultimas has etiam pertinet *Gastroraphia*, vulneribus abdominis & intestinorum dicata, quæ in vulneribus horum majoribus saltem locum habet & cum sutura pellionum convenit. Interim & hæc non unâ ratione perficitur, prout in superioribus, ubi de vulneribus intestinorum actum fuit, jamdum fusius ostendimus. In hac, ut in omnibus aliis suturis, observandum est, ut nodis cum filis effectis plumaceolus aut spleniolum è linteo incerato imponatur & supra hoc fili complicatura instituatur, quo eò facilius solvi & quoties hoc vel illud symptoma requirit, citò relaxari possit. Quin, si filum removere velimus, digitus immediate ad nodum ponitur filumque leniter educitur, ne vulnus recrudescat. Vid. *Joh. Baptista Verduc. Medico Chir. Paris.* in *Scriptis Chir. cap.* 2.

§. 7.

Sutura absoluta emplastrisque convenientibus superimpositis accedat, oportet,

FASCIATIO,

quæ cum ex ipso termino innotescat, fusiore descriptione Logica non indiget. Nobis duo circa eandem hic curæ cordique erunt, sc. instrumenta eorumque applicatio. Priora ipsæ FASCIÆ constituunt, quarum differentiæ vel à materia, ex qua constant, vel à formâ desumuntur. Illic nostris temporibus non tantum è linteis, aut corio, sed & ferro, Antecessoribus nostris hac in parte omninò insolitô parantur, cumprimis in curandis Herniis, in quibus partes situm suum mutantes vix certius & melius compescuntur & in situ suo naturali conservantur, quàm simplicissimo cingulo ex ferro parato, cui in extremitate, lateri affecto incumbente, eaque latiore, pulvillus aut elater herniæ comprimendæ aptus affigitur. Novi olim herniosum Advocatum, qui omnes ferè, quas


Fig. 1
A
E
A
B
D
C
F



Fig. 2


Fig. 3.



Fig. 4.


Fig. 5



Fig. 6


Fig. 7

quas celebrari audiverat, herniarum fascias, decorè sæpe & ad pompam paratas, sibi non sine multo ære comparaverat, ita ut post mortem ejus ab hæredibus ultra xx. reperirentur, variæ inventionis & figuræ. Sed nullam, præter ferream, ipsi paulo ante mortem à me commendatam, laudavit: hanc enim aliquid præstare palam asserebat. Hinc celebris Gallorum Medico-Chirurgus, *D.Verduc*, hanc omnibus aliis prætulit in *Tr.de Fasciis*, Chirurgiæ annexo *cap.* 1. In aliis autem casibus Chirurgicis communissimæ fasciæ ex linteo quodammodò attrito & secundum staminum longitudinem discisso parari solent, quod tamen mundum & ab omni pediculorum seminio immune esse debet, quod in causa est, quod ovulis insectorum, ab humoribus putrescentibus exclusis, sæpissimè vermes sub fasciis generentur: quapropter idem quoque in linteis carptis & tumidis applicandis cavet *Autor* modò *laudatus*, qui eadem de causâ in ligatura infantis alicujus fungos observavit, quum fascia in aqua, ad depurandos fungos adhibita, lota horumque seminio conspurcata fuerit. Fungos enim suo quoque semine specifico instructos esse ad oculum ostendunt fungi minores seminiferi à *Menzelio* in *Miscell. Nat. Cur.* depicti & hic prope Giessam quoque inveniendi.

§. 8.

Reliquæ fasciarum differentiæ, à formâ petitæ, prolixius explicat & in fig. æneis ob oculos ponit Jacobus *Marquius* in *Tr. de fasciis* Gallicè conscripto & reliquis operibus subjuncto. Communissimè in *Simplices* & *Assutas*, vel *Compositas* dispescuntur. Harum effigies cernitur in *Fig.* 7. Tab. XX. quò omnia ligamenta ad hernias curandas referenda sunt. Illæ rursus vel *integræ* sunt, ex unico tractu constantes, vid. Fig. 2. Tab. XX. vel *scissa*, à figurâ mox *fundæ* aut Rajæ, mox *cancri* dictæ, quales sunt fig. 5. & 6. Tab. XX. depictæ. Integræ tandem in *fascias unius*, vel *plurium capitum* subdividuntur, prout vel in una extremitate convolutæ sunt, ut in Fig. 3. vel in duabus in Fig. 4. Omnes hæ fasciæ parti læsæ immediatè applicatæ & sub alis locatæ *Hypodesmi-*

des: Reliquæ autem, ſpleniis v. g. in fracturis ſuperinductæ, *Epidesmides* audiunt.

§. 9.

Ratione applicationis faſciatio dividitur 1. in *ſimplicem* & *compoſitam*, quarum prior rurſus in æqualem & inæqualem diſpeſcitur. *Æqualis* dicitur, quâ faſcia vel una vel pluribus vicibus partem affectam tractu & circumvolutione ſimplici ita circumdat, ut unica videatur circumvolutio, unde & *circularis* audit, prout lit. A. A. & B. in Fig. 1. Tab. XX. videre licet. *Inæqualis* fere 4. fit modis, à circumvolutione variâ petitis, unde 1. Aſcia 2. Sima. 3. Repens & 4. Reduplicata oriuntur. In *Aſcia* (quam & *Dolabram* vocant) circuitus faſciæ ad ſuperiora vel inferiora quadantenus deflectit, ut Lit. C. in Fig. I. Tab. XX. demonſtrat. In *Simia* ſeu *obtuſa* faſciarum extremitates ſeu oræ per obliquas circumvolutiones ſe mutuò tangunt, ut lit. D. in Fig. 1. Tab. XX. oſtendit. In tertia, quæ *Repens* audit, faſciæ ſe minus tangunt, quam lit. E. dictæ figuræ exhibet. Dicata quondam erat inflammationibus: Verùm noſtro ſeculo ejus loco aſcia ſeu dolabra faſciatio, ſed laxior quodammodò, adhibetur. Similis illi faſciatio *Rhomboides* ab allegato ſupra Jacq. de Marque p. 306. Traite de Bandages depicta, ut & *feneſtrata* in Fig. I. Tab. XXI. obſervanda, niſi fors ob duplicem tractum eaſdem aut ad compoſitas, aut ad quartam ſpeciem inæqualem, quæ *Reduplicata* & *inverſa* audit & lit. F. Tab. XX. Fig. 1. formata eſt, referre velis.

§. 10.

Uſus intuitu faſciatio dividitur in Retentivam, Incarnativam & Expulſivam: quibus alii quoque addunt *Separativam*, quæ tamen ſub expulſiva contineri videtur. *Retentiva faſciatio* inſervit ad medicamentorum & emplaſtrorum retentionem, unde non minus ac in faſciatione *incarnativa* (quæ conſolidationi & reunitioni dicata eſt) ipſi parti affectæ involvitur & applicatur. In *Expulſiva* autem faſcia non tam ipſi vulneri aut ulceri, quàm potius viciniæ eorum adhibetur: quod & in partis alicujus aridura

obſervari




Fig. 2.
B
A
A
B


Fig. 1.


Fig. 3.

observari solet. Exemplum talis fasciationis expulsivæ vid. in *Fig. 3. Tab. XXI.*

§. 11.

Hactenus de fasciationibus generalibus. Specialiores differentiæ potissimum à partibus affectis desumuntur, quarum intuitu in Cephalicas, Thoracicas, Hypogastricas &c. dividi possent.

FASCIATIONES CEPHALICÆ

rursus mirè variant, prout aut capiti universo, aut cuidam ejus parti, oculis, naribus &c. applicandæ sunt. Inter priores agmen ducit 1. *Capitium*, Gallis *Couvrechef* dicta, quæ toti capiti circumvolvitur & plerumque è mappula minore Gallicè une serviette nominata & in forma vittæ quadrangularis complicata instituitur. Enchiresin, ex ipsa applicatione clarius addiscendam, eleganter describit laudatus aliquoties Verduckius Tr. de Fasc. cap. 2. Præter hanc 2. *Fundæ compositæ* species est, quatuor aut pluribus appendicibus instructa, quæ valde apta est ad medicamenta, capiti & juncturis applicata, retinenda & in nasi pariter ac labiorum læsionibus quoque egregia est. Basis seu corpus ejus capitis summitati imponitur & appendices dependentes sub mento & in nuchâ firmantur, postqu-m cruciatim prius reciproce sibi imposita fuerant. Antiquissimis verò Chirurgis nunquam non alia fasciatio in capite usitata fuit, quam Galli *Capeline* dicunt, & fascia duorum capitum V. vel VI. ulnas longitudine emetientium instituunt, ita ut instar circuli primum caput ambiat & abhinc in forma crucis reduplicetur: unde & fasciationes illæ, quæ in artuum amputatione trunco, claviculæ item & rotulæ in genu simili ratione applicantur, hoc capelinæ nomine venire sæpe solent. Has & alias fasciationes in Museo Anatomico Lovaniensi capitibus figulinis applicatas Chirurgorum & Medicorum filiis ob oculos ponunt, ut divisiones & enchireses eò facilius addiscere valeant.

§. 12.

Sub V. S. in Fronte triplices fasciationes sunt famosæ, è quibus ea, quæ cuique magis placuerit, eligi poterit: Discrimen sc. Scapha & Regalis. Prima species, sc. *Discrimen*, omnium simplicissima & facilima inter illas est, & ita dicitur, quia per suturam sagittalem eundo caput veluti in 2. partes discriminat & abhinc circulariter frontem ambit. Huic negotio fascia unius capitis, tres circiter ulnas longa, inservit, latitudine eas, quæ in V. S. adhibentur, adæquans, *Scapha* magis obliquè ad ossa parietalia deflectit, & dehinc aliquoties frontem circulariter ambit, sive in anteriore, sive in posteriore parte primum applicetur. *Regalis* ex utraque qs. composita in summitate capitis Crucem Andreæ qs. efficit. Longitudine priorem excedit.

§. 13.

Pro Arteriotomia, in temporibus instituta, novum fasciarum genus invenit Verduckius Gallus, quod *fasciam Solarem* eam ob causam vocat, quod circumvolutiones ejus qs. radios quosdam in capite formant. Applicatur autem sequentem in modum: Recipit fasciam bicipitem, tres ulnas longitudine & pollicem transversum latitudine æquantem. Hanc tempori arteriæ pertusæ è diametro opposito inducit & fasciationem circularem per frontem instituendo nodum supra splenium efformat. Abhinc uno capite infra mentum, & altero supra caput flectendo similem nodum in tempore, ubi fasciatio inchoabatur, format. Supra hosce nodos plures fasciationes circulares, tum ad firmandam priorem ligaturam, tum ad decus illi conciliandum addo: quæ fasciatio robusta satis & sufficiens est ad arteriam comprimendam spleniumque firmandum. Aliâs Arteriotomia hæc, non secus ac venæ præparatæ in fronte sectio, ab Antiquis æquè ac Modernis ad curandam cephalæam summopere laudatur. Quum verò vena præparata ramulus tantum exiguus sit venæ jugularis, hinc neque tantum sanguinis fundit, neque tam præsentaneam opem adfert, ac venæ jugu-

jugularis sectio. Utrobique autem caveatur, ne sub administratione sectionis colli fascia nimium stringatur, sicque circulationem sanguinis intercipiendo caecitas & aphonia inde oriatur, prout exemplum habet Hildanus Centur. 5. Obs. 18.

§. 14.

Fasciatio oculis conveniens aut strophiolo in formâ trianguli complicato, aut fascia unius capitis instructa perficitur. Hâc si unicus tandummodò oculus obducatur, *Oculus simplex*, Galli *l'oeil simple* (quo & *Monoculus* dicta pertinet.) Sin verò bini obligentur oculi, ipsa fasciatio *oculus duplex*, s. *l'oeil double* vocatur. Prior ossa parietalia oblique transit & aliquoties repetita per aliam circularem circa frontem firmatur. Posterior in occipitio incipiens aliquoties infra nares circumvolvitur & abhinc circa frontem pariter firmiter ligatur.

§. 15.

Ligatura, ad V.S. in naribus administratam necessaria, cum eâ, quae supra Discrimen dicebatur, convenit, â qua in eô saltem differt, quod haec fasciatio in fronte desinat, non verò in loco V.S. ut in discrimine. In fractura verò nasi illa fasciatio olim adhibebatur, quae apud Galenum ab Autore *Fossa Amyntae* dicitur. Similis autem erat oculo duplici, nisi quod oculi illa non tegantur. Ast Moderni non sine causa hanc fasciationem, tanquam nocivam & inconvenientem, rejiciunt, quum ossa narium (quorum restitutio indicabatur) magis deprimat. In fractura ergo narium aut nullam, aut talem fasciationem adhibe, qua latera narium, non vero pars superior comprimatur. Quem in finem fasciatio composita nova pro fractura narium est inventa, quae â Chirurgis *Accipiter* vocatur. Forma ejus haec est: Frustum lintei triangularis tantae magnitudinis secatur, ut totum nasi apparatum tegere possit. Apici trianguli exigua sit fascia, quae per suturam sagittalem in occipitium abeat, ut fasciam formet & stabiliat. Sub triangulo alia adhuc fasciola ligatur, quae per malas transeat,

ut

ut ſupra priorem retro caput affigatur. In parte faſciæ inferiori duo adhuc ligamenta minora ſint, 2½ ulnas longa & dimidium pollicem transverſum lata. Hæc cruciatim ſub naribus ſe mutuo ſecantia oblique per malas ad anguli oculi minoris latus tendant. Retro caput formatur K. & aliud ſimile ſub oſſibus narium. Tandem tota faſcia per aliam circularem & frontem ambientem firmatur. Ea autem in regione prope foramina narium faſcia pertundatur, ut reſpirare poſſit. Hæc faſciatio *accipiter* dicitur, quia circumvolutiones ejus ſimiles ferè tractus efficiunt, quales in mitris falconum, ad aucupium informatorum, obſervantur.

§. 16.

Faſciatio mandibulæ inferioris luxatæ *Capiſtrum* vocatur, ob ſimilitudinem quam cum freno & capiſtro equorum habet. Dupliciter autem applicatur: Aut enim unicô tantum capite inſtructa faſcia alteri mandibulæ lateri: aut duobus capitibus inſtructa utrique lateri adhibetur. Prior *Capiſtrum ſimplex*, altera *Capiſtrum duplicatum* audit. Utrobique faſcia caput ambit & ſub maxilla variis circumvolutionibus & dolabris firmatur, ut pars elapſa in ſitu ſuo detineatur.

§. 17.

THORACIS FASCIATIO fere duplex eſt, ſcilicet Scapularis & Quadriga, quam alii Cataphractam vocare ſolent.

Prior, *Scapularis* puta, communiſſima æquè ac facilima eſt, dum mappula (quam Gallicè une Serviette dicimus) perficitur. Recipitur enim mappula aut ſtrophiolum, ſecundum longitudinem trifariam complicatum, & utraque prius extremitate convolutum toti apparatui in pectore ſuperimponitur, extremitates in dorſo aciculis connectendo, ſi in vulneratis deligatio crebrius inſtituenda eſt: in fracturis coſtarum autem extremitates ſutura ſunt connectendæ, quo pectus eò magis comprimatur. Hæc faſciatio per extremitatem aliquam faſciæ capularis firmatur, quæ dimidiæ ulnæ longitudinem & 4. digitorum transverſorum latitudinem habere debet.

debet. Adhæc in medio diffissa est hæc fascia, ut caput inseri & transire possit. Extremitates ante & retro dependentes mappulæ affiguntur, quæ impediunt, ne deorsum labatur fasciatio.

Altera fasciationis pectoralis species, sc. *Quadriga*, in fracturis & luxationibus costarum & sterni laudata, quatuor fasciæ (quæ V. ulnas longa & IV. dig. lata est) circumvolutionibus, cruciatim se intersecantibus, perficitur, unde à similitudine, quam cum ligamentis frenorum in quadriga equorum habet, quadriga vulgò audit. Alias autem *Cataphracta* quoque dicitur, quùm circumvolutiones fasciæ similiter cataphractam Antiquorum præ se ferant, prout è Figura I. Tab. 43. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. apud *Scultetum* in *Armament. Chirurg.* videre licet.

§. 18.

Suas etiam fasciationes peculiares habent partes Thoraci annexæ, Claviculæ sc. Scapulæ, Mammæ & Humerus. In fractura Claviculæ fasciatio mixta ex capitali, s. capeline dicta, dolabra & circulari instituitur, repleta prius cavitate inferiori per splenia. In fractura scapulæ, præmissis præmittendis, applicatur fasciatio, quæ nomine *Stellæ* venit, quum fascia in dorso cruicatim se intersecans suos instar stellæ radios habeat. In Mammis p. n. affectis utimur suspensorio aliquo, quod ab Inventore *Fascia Heliodori* dicitur. Dividitur in simplicem & duplicem, quæ utraque figuram Lit. T. habet. Cingulum sc. sub mammillis pectus ambit, binaque capita (quorum simplex 4. duplex verò 6. gerit) in altum elevata cruciatim supra mammillam applicantur easque, per scapulas tendendo in dorso cingulo affigimus. In Humeri tandem luxatione, repleta prius cavitate inferiore globulo lineo & spleniis, applicatur illa fasciatio, quæ *spica* dicitur ex eo, quod gradus fasciationis stamina spicæ fere referunt. In parte ejus superiori triangulum exsurgit, quod *Geranium* vocare amant.

§. 19.

Fasciationes in Humeri Cubitique fracturis applicandæ vel lippis & tonsoribus notæ sunt. Nec fasciatio carpi adeo difficilis est.

Utrobique partim circularis, partim dolabræ adhibentur. In Metacarpi fracturis similiter proceditur, manum in superiori æquè ac inferiori parte spleniis probe muniendo. In Pollicis luxatione spica locum habet. Pro Digitorum phalangibus prioribus luxatis *Chirotheca cataphractata dimidia*, Gallis *le demi-Gantelet:* pro reliquis vreò phalangibus *Chirotheca cataphractata integra* applicatur. Tandem in Salvatellæ sectione similis fasciatio requiritur, qualis in V. S. Saphænæ vulgo adhibetur, & *Stapes* à figura dicitur.

§. 20.

Pro ABDOMINIS FASCIATIONE inservit etiam *Scapularis*, in antecedentibus descripta. Alias autem sibi ferè proprias exigunt partes genitales, anus & os sacrum. Inter priores in Scroti & Testiculorum læsionibus utimur *Fasciat: Suspensoriis* & quidem duplicibus: Una Gallis vocatur *la Poche*, h. e. *Bursa* vel Saccus, quæ Chirurgis satis cognita & apud illos, qui fascias ad hernias & bubones conficiunt, obtinenda est. Bursa hæc fascia est quatuor capitibus instructa, quorum superiora cingulum præbent, inferiora autem sub femore decurrendo in dorso cingulo alligantur. Melius verò suspensorium est, quod in medietate sui fissura gaudet, sed sutura caret. Hujus capita infra scrotum & inter femora cruciatim inflexa in dorso cingulo alligantur. Omnia autem hæc fasciarum genera, pro pene exerendo, foramine debent gaudere. Ani tandem, Ossis sacri & Coccygis fasciationes figuram Lit. T. referunt, scapulari affigendæ.

§. 21.

Artuum inferiorum, cumprimis Femoris & Tibiæ, fasciationes in quamplurimis cum fasciationibus humeri & cubiti conveniunt. Rotula autem seu Patella præter capitalem scapelinam fasciationem peculiarem sibi vindicat, quæ *Testudo* vocatur. Ad hanc fascia unius capitis requiritur, quatuor ulnas in longitudine & duos digitos

gitos transversos in latitudine habens. Hâc infra & supra rotulam bini ductus circulares formandi & abhinc bini alii in medio rotulæ applicandi erunt. Tandem & spatia à binis prioribus ductibus relicta fasciæ circumvolutione tegenda & hæc ipsa supra genu firmanda est. Infimi autem pedis luxatio fasciationem exigit, quæ *Sandalium* vocatur, eam ob causam, quod totus pes circumvolvatur. Peragitur autem fasciâ tres ulnas in longitudine & duos digitos trasversos in latitudine habente, qua cinguntur primum malleoli & abhinc oblique pedem transeundo circularis applicatur pedi: quo facto cruciatim metatarsus & digiti pedum obteguntur, tandemque fasciatio eo in loco finitur, ubi inchoata erat, aut ad genu usque continuatur. Apta quoque est ad Tarsi-Metatarsi & digitorum luxationes. De fasciatione sub V. S. in pede instituenda necessaria, quæ *Stapes* audit, jam supra actum fuit.

§. 22.

Peracta fasciatione injiciuntur sæpe LAQUEI, qui vel ab usu, vel ab inventoribus, vel à similitudine cum aliis rebus suam denominationem nanciscuntur. Hîc *Carchesia* vocatur, ob similitudinem, quam cum nodo, quo velum supra corbem in navibus bellicis firmatur, habet. Illic *Laqueus Hercules* nomen suum ab Hercule, tanquam Inventore suo, trahit. Istic *Sandalium* vocatur laqueus, quia Antiquiores eô mediante sandalia sua, seu calceos ligneos colligarunt. Antequàmautem laquei injiciantur, partes affectæ primum spleniis muniuntur, ut dolores hac ratione evitentur.

§. 23.

Laqueorum occasione pauca adhuc de *Ligaturis* minoris apparatûs, vel si mavis, levioris armaturæ, agendum erit, quæ aut capillis & pilis equinis, aut filis lineis, sericeis, aut aureis, aut de-

nique funiculis instituuntur. *Pilis* q. & *Capillis* utimur in verrucarum pensilium, exili gracilique radice gaudentium exstirpatione, quatenus nutrimentum, ad partes lege circulationis deferendum, illis intercipitur, sicque verrucæ exarescunt & decidunt. *Filis* lineis aut sericeis, cumprimis rubris, vulgus utitur in constringendis digitis, ad compescendas hæmorrhagias, cumprimis hæmorrhagiam uteri: Aureis autem ad colligendos dentes artificiales, ex ebore aut dente hippopotami paratos, punctum aureum &c. *Funiculos* tandem adhibent in constringendo processu peritonæi, in herniotomia castratoria, in setaceo &c.

TANTUM!



MYRO-



MYROTHECIUM CASTRENSE,
sub expeditione bellica Chiliadis Saxo-Gothanæ, A. 1666. in Hungariam abeuntis, à DAN. LUDOVICI, Archiatrô, instructum.

THECA I.

Ialappii pulveris. lib. I.

Hoc vel solum, vel æquali portione ♀. purioris, vel, quod præstat, ⊖ fixi ♉ti mistum & a ʒß. ad ʒi. datum egregie purgat, sicque ultra 200. doses præbet. Pretium nostro tempore, si per se sumatur, 2. florenis aut 1½. Imperiali veniet: Mixtum autem, per supradicta additamenta, 8. circiter capitatis constabit.

II.

⊖. Vitrioli ℥iv.

Hoc pro una dosi à ℈i. ad ʒß. sumendo 80. personis ad vomendum sufficiet, & 15. circiter albis constabit.

III.

Croci Metallorum vulg. ℥iij.

De hoc 4.5. ad 6.gr. per noctem in haustu vini, cerevisiæ, aut aquæ infusis, aut solum decoctis & abhinc per filtrationem à liquore claro & assumendo separatis, 300. & quod excurrit doses in promptu erunt, quæ vix quarta thaleri parte constabunt.

IV.

Foliorum Sennæ lib. I.

Si sc. quis in Praxi ad illa præscribenda sit adsuetus, ut in casu obstructionum, pro subjectis debilibus, infundi aut decoqui possint. Exinde 20. ad 30. doses suppetunt quæ hoc tempore 2. flor. vel. 1½. Imperiali coëmi possunt.

V.

♀. purioris & splendentis pulverisati lib. I.

pro digestivo ante purgantia, aut aliis scopis: qui à ℈i. ad ʒi. propinatus 150. doses, vix unius capitati pretio venientes exhibebit.

VI.

℥ *diaphoretici lib. I.*

pro excitando ſudore, à gr. XV. ad XX. ſumendum, unde plures quam 400. doſes, 8. circiter capitatis obtinendas habere poteris.

VII.

Pulveris cujusdam *alexipharmaci lib. III.*

de quo ʒi. per ſe, aut cum aliqua ℥ diaphoretici parte, ad excitandum ſudorem dando, 380. doſes, 4. flor. obtinendas, habebis. Parari autem poſſet ex ſeqq:

Rec. Rad. zed. pulv.
Terr. ſigill.
CC. ſin. igne
Sulph. pulv. ana. ℥ix. M.

VIII.

Electuarii Alexipharm: aut *Theriacæ lib. IV.*

de quo pro una doſi ʒi. ad ʒiß. ſumendo 400 doſes, $2\frac{1}{2}$ imperialibus circiter conſtantes ſuppetunt. Ita autem parari poſſet:

Rec. Rad. Zedoar. pulv.
Carlin.
Gentianæ.
Tormentill.
Angelic.
Terr. ſig.
Myrrh. rub. } pulveriſ. ana. ʒii.
Opii ʒß.
Camph. ℥i. ad ℥iß.
Mell. pur. lib. iii.

Vel

Ejus tantum lib. ii. & rob. junip. lib. i.
F. Electuarium, cui.
Pulv. viperini ℥ß. ad ʒvi. admiſceri poſſent.

Florum

IX.

Florum ⊖.✳., semel tantum, d. ritè ♎orum. *lib.ß.*
pro dosi gran. XV. plus minusve sumendo: qua ratione 250. doses inde dispensare poterimus, quæ 6. vel 7. capitatis haud difficulter haberi poterunt.

X.

⊕. *fixi Antimoniati* ℥xii.
quod, si benè præparatum est, salibus fixis, ex herbis communiter parari solitis, in sudore & ▣. pellendis, viaperitiv. &c. fere parilem effectum edens & à ʒß. ad ℈ii pro una vice datum 150. doses, dimidio thalero circiter constantes, continet,

XI.

Pulveris antipleuritici lib. ii.
ultra 400. doses, pro una vice ʒß. ad ℈ii. sumendo, suppeditabunt, quæ vix octo capitatis constabunt, si è seqq. parabitur:

Rec. Dent. apri vel porc. dom.
Ocul. ♋.
Sang. hircin.
♀. citr. pulv. ana. lib. 1. M.

Dentes △. paulatim committantur, donec fuscum colorem acquirant, sic enim facilius pulverisantur. Sanguis autem hircinus cum proprio sero exsiccetur.

XII.

♀. *Citrini subtiliss. pulverisati lib. I.*
ad plures usus in tussi, asthmate, peste &c. pro una vice ℈i. ad ʒß. quamplurimis dosibus par est, vix aliquot bacis emenda.

XIII.

Pulveris alterantis & confortantis lib. IV.
ad curandas febres intermittentes & continuas ardentes, vitia stomachi & lineis, diarrhoeas &c. parandi

℞ Corall. rubr.
Mat. perlarum.
Ocul. ♋. ana. p. æ.

Vel

Vel

Rec. Matr. perlar. part. ii.
corall. rub.
ocul. ♋. ana. p. i.

de quô si ʒß. ad ℈ii. pro una vice detur, 400. doses parare poterimus V. circiter Imperialibus emendis; quamvis & ipsa ingredientia seorsim, proprios in usos, servari & reponi possint.

XIV.

Pulveris Antidysenterici lib. iii.

ad ℈ii. dando, facile 600. doses, 3. circiter aut 3½. thaleris constantes in se continent; parari autem posset ita:

Rec. Pulv. rad tormentill.
corallior. rubr.
terr. sigillat.
nuc. myrist.
croci ♂. adstring. per reverb. parat. ana. p. æ. M.

XV.

Pilularum anodynarum & hypnotic. ℥iii.

quarum unaquævis gr. i. ponderans dosin integram præbet, qua nil operante, aut per vomitum rejecta, secunda vel tertia propinari poterit, in variis doloribus, diarrhoeis, dysent. vomitu, torminibus, agrypniis &c. curandis optimum & decantatum remedium: cujus 600. ad 1200. doses, vix ultra 1. thalerum requirentes, obtinebis, si modo simplicissimè ex ana extracti opii c. ♈. par.
corall, rubr. pulv.
præparentur.

XVI.

Electuarii adstringentis lib. ii.

ex Extr. Rad. Tormentillæ part. i. & Sacchari p. ii. parati, in diarrhoea, dysenteria &c. 300. ad 400. doses, ʒß. ponderantes & 2. circiter florenis habendas, suppeditabunt; è quo per additionem ⦶ aut O & Mellis facilimè gargarismus parari poterit.

XVII.

XVII.

Pulveris ad sanguinem coagulatum lib. I.
in pluribus casibus utiliter à ℈ii. ad ʒi. dando, ultra 150. doses, 2. florenis constantes, continebit. Parari posset ita:

Rec. Pulv. ocul. ♋. præp.
sang. hircin. ritè exsicc.
myrrh. rubr. aa. ℥iv.
rad. zedoar. pulv.
sang. dracon. præp. aa. ℥ii. M.

XVIII.

Specierum pro decocto Pectorali lib. IV.
ad demulcendum & expectorandum in pleuritide, tussi &c. loco syruporum pectoralium, citra fermentationem longinquè non transportabilium, ut & extractorum, non sine magno labore parabilium inservient: è manipulis earum 3. aut 4. in ▽. com. lib. ii. ad tert. decoctis, potum haud ingratum cum melle aut saccharo parando, de quo aliquot cochlearia pro dosi sumi poterunt. Ingredientia, è Pharmacopoliis aut aliunde subinde renovanda, seqq. esse possent:

Rec. Rad. liquirit.
irid. Florent. aa. lib. ß.
Herb. scabios.
tussilagin. aa. ℥xii.
Flor. pap. errat. lib. i.
incis. & cont. M.

quæ 7. vel 8. capitatis circiter coemi poterunt. Inservire simul possent gargarismatibus parandis, si Chirurgus castrensis peculiaribus ad illa speciebus in apparatu suo careat. Facile quoque ad eosdem vel similes usus aliquot libræ passularum & ficuum simul circumvehi poterunt, quorum pretium & in vulgus notum est.

XIX.

⊕. *In cryſtallis lib. iii.*

pro refrigeratione, ad potum ordin. gargariſm. & ſimilia, dimidio Imperiali, aut 1. flor. haberi poſſunt.

Liquida quædam, eaque utilia medicamenta (in diverſis vitris minoribus, juxta ſe poſitis, ad diſpenſationem quotidianam ſervanda) quivis probe diſponere & cuſtodire valebit.

XX.

Spiritus Vitrioli lib. iii.

utpote qui in plerisque morbis, cumprimis ad acidulandam & corrigendam aquam, potui deſtinatam, laudabile præbet remedium: de quo ſi 16. ad 24. guttas (plus minus, prout aut debilior, aut fortior eſt) pro una vice ſumantur, 1200. fere doſes reſtabunt, à 5. ad 6. Imperiales requirentes. Quodſi ad evitandam effuſionem aliasque ob cauſas eundem in forma ſicciori deſideremus, ⊕. *vitriolatum* legitimè paratum ſumi poterit, cujus lib. ß. 500. doſes, gr. vi. ad vii ponderantes præbet & circiter 2. Imperialibus haberi poteſt.

XXI.

Spiritus ⊖. lib. iii.

haud abſimile & optimum remedium, ut ~. ⊕. in febribus, ſiti, nephritide & calculo, debilitate ſtomachi, contra aerem impurum, & ▽. inſalubres, 1200. doſes, guttarum 18. ad 24. quinque cum dimidio, aut ſex Imperialibus emendas, ſuppeditare valent.

XXII.

Balſami 🜍. Terebinthinati. lib. ii.

quod loco præſervativi in conſtitutionibus ſatis notis, à 5. ad 6. guttas: in ipſis autem morbis, aſthmate ſc. peſte, torminibus, infla-

inflationibus ſtomachi, catarrhis frigidis, calculo &c. à 10. 12. ad plures guttas, ſed abſque abuſu, ſi propinetur, ultra 1600. doſes, vix 2. aut 2½. Imperialibus conſtantes, præbebit. Cui peſtis tempore camphora addi & in eo diſſolvi poſſet; & quoniam penetrans admodum & nimis oleoſum eſt, ejus pars 1. cum ſacch. part. ii. in formam elæoſacchari, aut pulveris redigi & habita proportione adhiberi poſſet.

XXIII.

Spiritus ♀. aut *CC. rectif.* ℥xii.

vel de utroque ana invicem commixtorum, ad febres malignas (ſudoriferis ſupradictis ſæpe non cedentes) compeſcendas, aliosque in uſus, cum euphoria adhibendo.

De his 1. aut 2. ſcrupulos, pro una vice, dando 180. doſes in promptu erunt & ſi probè parati ſunt, 3. Imperialibus conſtabunt. Non rectificati longè viliores erunt, attamen utiliter adhuc adhibendi.

XXIV.

Olei cumini vel carui. ℥i.

contra flatus & colicam &c. 8. aut 10. guttas propinando, ultra 100. doſes præbebunt, & optimè deſtillatum dimidio circiter thalero coëmitur.

XXV.

Aquæ Cinnamomi opt. lib. ii. aut iii.

ad confortandos debiles & ſyncopticos 1½. ad 2. Imp. comparari poterunt.

XXVI.

Aquæ Apoplecticæ lib. ii.

è ſolis liliorum convallium & ſpicæ floribus deſtillare ſicque 2. capitatis parare poterimus.

XXVII.

Aquæ Rosarum lib. iii.

aut plures, pro lubitu cujus lib. i pro diversitate locorum, dimidio capitato comparari potest.

Ut adeoque Myrothecium integrum his instructum & pro Chiliade, sive Equestri, sive Pedestri, ad menses aliquot sufficientissimum, omnibus, juxta pretium antedictum, peradditionem calculatis, 53. Imperialium pretio comparari possit: pro Chiliadum copia aut numero per multiplicationem haud difficulter ampliandum.



INSTRUMENTA

Ad Myrothecium Chirurgorum Castrense (zum Feld-Kasten) requisita.


1. Serra major, cum 2. foliis, pro ossibus incid. & amputandis.
2. Duo cultri incisorii majores, pro carne incidenda.
3. Quatuor cauteria majora.
4. Duo cauteria minora.
5. Quatuor scalpra, rasoria s. raspatoria.
6. Tres cultri incisorii.
7. Tres syringotomi.
8. Forfex incisoria major, pro carnibus incidendis.
9. Forceps incis. maxima, pro oss. incidendis.
10. Forceps incis. incurvata { rostrum vulturinum, rostrum corvinum, rostrum psittaceum.
11. Volsella major.
12. Setaceum.


13. Spe-

13. Speculum oris.
14. Attractorium ſ. terebellum acutiſſimum, pro globulis extrahendis.
15. Sipho ſtanneus, cum tubulis neceſſariis.
16. Catheter argenteus.
17. Cannula ſ. pyxis cum acubus.
18. Spatula orichalcea pro lingua.
19. Spatula ferrea pro emplaſtris coquendis.
20. Viginti quatuor ferulæ, ſex ſpecierum.
21. Trepanum mas & fœmina.

Reliqua requiſita.

1. Mortarium minus cum piſtillo.
2. Frixorium ſeu lebes, ex cupro, pro emplaſtris coquendis.
3. Libella major & minor.
4. Ciſtula cum ponderibus medicinalibus.
5. Crepitus lupi ſ. boviſta.
6. Duo tubuli ſeu cannulæ pro clyſteribus.
7. Quatuor veſicæ bovinæ.
8. Spongia.
9. Linteamina varia pro emplaſtris, ſpleniis & faſciis.





NOSOCOMII ACADEMICI CONTINUATIO.

INTROITUS.

Quisquis *refertissima exterorum Nosocomia: S. Trinitatis* Romanorum, *S. Spiritûs* Venetorum, *S. Ludovici* Parisiensium, *Christo dicatum* Londinensium, *aliaque in Belgio & emporiis Germaniæ celebrioribus conspicua frequentaverit, haud difficulter observaverit, illa non inquilinis tantùm & civibus locorum, sed extraneis, tanquam totidem personarum miserabilium asyla, patere & dicata esse. Hunc enim in finem tam liberalibus & divitibus subsidiis aluntur, ut supradictum S. Trinitatis nosodochium à Sixto V. novem mille coronatorum annuo reditu dotatum referat* Sprengerus *in* Roma nova l. 7. c. 2. p. 676.

Quis ergo nobis vitio vertet, si Nosocomium Academicum *continuando non tantum ægros ab exteris observatos, sed & illorum curationes in diversis Germaniæ Academiis, pro Gradu Doctorali ventilatas*

tas, pro complemento totius substructionis addidero: quod Autores illarum eruditissimos & celeberrimos (quorum nomina præ se ferunt) eò minus improbaturos ægreque laturos spero, quò major inde usus in proximum & Rempublicam literariam redundabit. Quemadmodum enim totus mundus nihil aliud quam Nosocomium quoddam est; quod & divites & pauperes, & exteros & inquilinos capit, ita quæcunque hic scribimus, in cunctorum usus tendere debent, ut Paracelsus *eleganter in* Præfatione, libro *suo* Nosocomico *pag. m.* 311. *præfixa, loquitur. Eas autem tantum selegi curas, quarum successum in ipsa Praxi felicem sum expertus, talemque aliis Nosocomium hoc sive lecturis, sive ingressuris, certò stipulari possum. Ne verò quicquam desit, quod ad rem Chirurgico-Medicam pertinere videbatur, præmisi simul* Myrothecium Castrense Ludovicianum, *quò data occasione Practici castra secuturi sciant, quibus medicamentis & instrumentis sibi suisque prospicere & Pharmacothecam ejusmodi portatilem (quam vulgò den Feld-Kasten oder die Fed-Apothec vocant) replere debeant; faxit DEUS, ut omnia feliciter!*

RE-



I.
RELATIO CHIRURGICA PARISIENSIUM DE VULNERE CAPITIS cum FRACTURA CRANII.

Nos jurati Chirurgi Parisienses hisce referimus, quod hodie die 16. Septembris Anno 1697. in ædes Consiliarii Regii vocati fuerimus, ut Rhedarium ejus, Gilbertum Osiam, alias Languedoc dictum, deligaremus. Hic vulnus contusione illatum, idque satis ingens, in osse parietali dextro habebat, quod, ut referebatur ab adstantibus, fissura ligni, summa cum vehementia in caput ejus illapsum, inflixerat, adeò quidem, ut statim attonitus & omni ratione privatus ad terram præpicitatus sanguinem ex auribus æquè ac naribus profuderit. Sub hoc ergò statu cum offendentes vulnus statim deteximus & aperuimus, sanguinem coagulatum, integram fere

ferè pelvim replentem, extraximus & reperivimus pericranium discontinuatum & ipsum cranium nummi uncialis latitudine denudatum fuisse, in quo fissura triangularis, alterum angulum sub sutura sagittali recondens, observabatur. Quò autem ossiculum diffractum extrahere possemus, ob contusam insigniter duram matrem, coacti fuimus trepanationem instituere. Facta abhinc legitima deligatione & secta venâ adstantibus consulimus, ut, quamprimum ad se rediret & mentis suæ compos fieret, sacra cœna ipsi prospiceretur, existimantes ægrum non diu inter vivos superstitem mansurum esse. Signat. Parisiis ut supra. Vid. *Anonymi Ars Relationes Chirurgicas formandi*, è lingua Gallica in Vernaculam translata & Budissini Anno 1713, in lucem edita, *pag.* 66.

CURATIO

è seq. *Disputatione Inaugulari*, â Chirurgo *Thoma Staffardo* Lugduni Batavorum *De Fracturis Cranii* publice ventilata, hauriri poterit.



DISPUTATIO CHIRURGICO-MEDICA INAUGURALIS

De

FRACTURA CRANII.

THESIS I.

Caput in quo continetur cerebrum, ſpirituum animalium domicilium, variis modis vulneratur. Aliquando capillata cutis ſolummodo inciditur, contunditur, cum & ſine vulnere, fractura penetrante, ſuperficiaria, magna, parva, ſimplici, compoſita, læſione membranarum, & cerebri ſubſtantiæ. Vulnus cum fractura penetrante vel parvum eſt, quod cerebrum nec comprimit, nec pungit: vel magnum eſt, quod utrumque facit, vel ſola depreſſio eſt, ut in vaſis æneis, vel ſtanneis, quam craniis infantum aliquando contingere vidimus, etiam ſæpe nullo apparente in capite vulneris veſtigio, cerebrum commovetur & concutitur, cum vaſorum internorum ruptione & variis ſymptomatis.

II.

Dicimus ſecundum Hippocratem quatuor vel quinque eſſe ſpecies fracti Cranii. Prima dicitur Ῥωγμὴ, *fiſſura*, ſeu *fractura.* Secunda φλάσις, *contuſio* ſeu *colliſio.* Tertia ἐσφλασις, *effractura.* Quarta ἕδρη, *ſedes, veſtigium.* Quinta ἀπήχημα, reſonit⁹, *contrafiſſura.*

III.

Prima ſpecies Ῥωγμὴ in rimæ formam finditur, quæ frequens admodum læſio eſt & accidit quoties os calvariæ ſub, loco in quem plaga incidit, læditur; quod cum variis modis fiat, multiplicis etiam generis fiſſura eſt. Alia manifeſtior & latior, alia minus manifeſta & anguſtior, vocatur τριχισμὸς ſeu fiſſura capillaris. Alia longior,

alia

alia brevior eſt: alia recta, alia obliqua. Sunt etiam aliæ rimæ duntaxat in tabula ſuperiore: aliæ utramque penetrant.

IV.

Secunda ſpecies, φλάσις ſeu contuſio, eſt illa ſpecies, quando os contunditur atque intra cogitur & deprimitur, ſine manifeſta ad ſenſum continui ſolutione, quæ tamen neceſſario adeſſe debet. Eſt alia adhuc cranii depreſſio, mollioribus puerorum oſſibus familiaris, fitque ab occurſu rei duræ, ſine ulla fractura. Eſt etiam Camaroſis, ſed rara, fit quando cranii utraque aut alterutra lamina elevatur.

V.

Tertia ſpecies, Ἔσφλασις ſeu effractura, eſt quando os vehementiſſimo ictu labitur, depreſſum eſt, decedit & intrò effringitur.

VI.

Quarta ſpecies, ἕδρη ſeu ſedes, fit quando veſtigium rei læſionem inferentis, vel teli, in oſſe manifeſte relinquitur. Hujus differentiæ, quouſque ſimplex manet ἕδρη, rurſus duæ ſunt; ἐγκοπὴ, inciſio oſſis ſimplex ad formam teli impreſſi; διακοπὴ præciſio, cum pars cranii abſciſſa eſt, & deperdita.

VII.

Quinta ſpecies, Συμφορὴ ſeu infortunium, recentioribus ἀπήχημα, reſonitus, contrafiſſura, eſt cum calvaria per fiſſuram frangitur in alio loco, quam ubi ictus eſt inflictus. Quod tribus modis fieri poteſt: vel enim percuſſio & fiſſura cadunt in unum os: vel fiſſura fit in oſſe alio, quod à percuſſo per ſuturam diſterminatur: vel denique in eodem oſſe, tabula externa indiviſa, interna rimam agit, quæ multoties feſtucas de ſe emittit, meningem ſubjacentem compungentes.

VIII.

Atque ex his fracti Cranii differentiis ἕδρη neceſſario & ſemper conjunctum habet vulnus cutis & pericranii: reliquæ ſpecies non ſemper, ita ut non ſolum à telo, quo vulnus inflictum eſt, dura

membrana noxam acceperit, quin & ab osse soluto quandoque vulnus per tenuem meningem in ipsum cerebrum descendit.

IX.

Fracturæ, cujuscunque sint generis, à causis externis, evidentibus & violentis inferuntur: ut lapsu, ictu, à quovis teli genere, acuto, obtuso, gravi, duro, bestiarum morsu, item valida capitis inter duo obstacula dura compressione, & aliis ejusdem generis multis.

X.

Signa fracturæ præsentis alia sunt conjecturalia, alia sensibus subjecta, quæ nempe digito & oculis malum ipsum subjiciunt. Rationalia à causis calvariam lædentibus, & à vitiatis actionibus desumuntur: nam si ictus fuerit validus, à robusto, atque ægro non prævidente illatus: item si telum obtusum atque admodum ponderosum, fracti cranii vel fissi, vel contusi; sin acutum, puncti aut incisi adest suspicio. Considerandum quoque hic est & ad causas antedictas conferendum erit ipsius cranii robur.

XI.

Adhæc, si capite percussus concidat, obmutescat, si non videat, non audiat, adsit stupor & somnus profundus, rupturam cranii præcessisse existimandum. Augetur mali suspicio, si sanguis per os, aures, nares effundatur, &, ventriculo in consensum tracto, in vomitum erumpat æger.

XII.

Hæc signa non seorsum sed conjunctim considerari debent, & non temere ex uno aliquo, aut paucis ferri sententia debet. Quæ enim à functionibus sumuntur, neque soli conveniunt fracturæ, quoniam commotio cerebri sine fractura hæc habet: neque omni, nam datæ fuerunt fracturæ, in quibus ejus generis vix ulla apparuerunt.

XIII.

Malum sensibus obvium est, si oculis, specillo, vel digitis fracturam agnoscere licet; & quando ita observari non potest, cutis aperienda est, & ulterius plagá diligenter est exploranda, ut postea

postea, ubi de curatione agetur. Nam superioribus signis solis non est acquiescendum.

XIV.

Atque ita patet facillime omnium innotescere ἕδραν. Reliquas differentias difficilius: quippe quæ à contundentibus inferuntur caussis. ξυμφορὴ rarius sciri potest: adesse tamen haud inepte judicabit Chirurgus, si signa memorata adsint, etsi nulla in loco sit fractura: tum & si æger nihil tale cogitans subinde manum, certæ capitis parti, diversæ ab ea, in quam plaga incidit, admoveat: cujus partis caro mollior tum deprehenditur & flaccidior. Alii per Emplastra in hunc finem composita idem investigare docent.

XV.

Quoad Prognostica: in fractura cranii nemo se extra periculum positum credat. Sunt tamen aliæ aliis periculosiores. Læsio quæ fit per incisionem, minus est extimescenda, quam quæ facta est per contusionem. Rimæ quo magis conspicuæ, eo minus periculosæ: angustæ vero semper suspectæ. Exterioris laminæ fissura dutaxat minus perniciosa. Verum periculosior, si & interiorem penetret. Periculosissima, si sola interior divisa fuerit, exteriore salva: vel quando fissura est, & vas aliquod intus in parte, quam ignoramus, rumpitur.

XVI.

Læsiones bregmatis & temporum plus habent periculi, quam in occipitio. Periclitantur etiam vehementius, quibus in ipsas suturas incidit plaga, ob vasorum & membranosorum filamentorum trajectionem, quorum ratione hæmorrhagia major, immanis dolor, febris atque inflammatio excitantur.

XVII.

Magna etiam vulnerum capitis est diversitas ratione loci, temporis, ætatis & individuorum; in quibusdam enim locis à Cheirurgis non satis peritis plurimi restituuntur: alibi vero à peritissimis maxima adhibita diligentia pauci sanantur. Æstate quoque citius intereunt

reunt capite lethaliter vulnerati, quam hyeme. Pueri etiam magis periclitantur. Alii graviſſime læſi non ſine admiratione adſtantium convaleſcunt. Alii pereunt ex levioribus vulneribus, etiamſi recte tractentur.

XVIII.

Atque ex his, an æger ex morbo convaliturus ſit, conjectura prudenter capienda. Judicium tamen præcipue fieri debet è comparatione virtutis ad vim morbi. Deinde ſpectanda ſymptomata, quorum ſi nulla apparent, vel quæ initio adfuerunt, non perſeverent, ſanitas in propinquo eſt.

XIX.

At ſi febris eo tempore, quo finiri debet, ſuperveniat, ſi quæ initio apparuerunt ſymptomata perſiſtant, & nova adhæc ingruant: exempli gratia, ſi circa undecimum, vel decimum quartum diem febris oriatur, & cum febri deliria, vigiliæ, nauſea, anxietates: ſi præterea labia vulneris concidant, ſanies exigua eaque cruda emanet, oſque ipſum denigretur, pernicioſum ſignum. Periclitatur æger, cui aliàs leviſſima quæquæ per carnem muſculoſam vulnera non ſine difficultate ſanata fuiſſe conſtat.

XX.

In curatione is ultimus ſcopus eſſe debet, ut, quod in capite ſolutum eſt, unioni reſtituatur. Verum hæc expedire non adeo promptum, niſi prius extranea, quæ vulneri inhærent, exempta fuerint; niſi hæmorrhagia ſiſtatur, inflammatio avertatur, humores noxii expurgentur, dolores mitigentur, atque adeo oſſis vitium emendetur, & ſymptomata omnia tollantur, fruſtra de vulneris externi & fracturæ conſolidatione cogitabit Medicus: quin potius ſi eam, neglectis reliquis, plus æquo maturaverit, periculo exponet ægrum.

XXI.

Proinde ad avertendum ſanguinis affluxum à loco, ſine mora vena aperienda in brachio, & ſanguinis educendi quantitas viribus ægri, atque ejus qui è vulnere jam effluxit copiâ, menſuranda.

Quod

Quodsi venæsectionem vires non ferant, cucurbitulæ partibus infra caput applicandæ, & per frictionem extremorum sanguinis revulsio molienda.

XXII.

Postea instituenda purgatio per alvum, medicamentis bilem ac serum evacuantibus, quæ præ reliquis ad caput rapi apta sunt. Quo præcipue faciunt syrupus rosarum & violarum solut. pulpa cassiæ, pulpa tamarindorum, myrobalani, infusa & decocta. Possunt etiam in usum trahi rhabarbarum, agaricus & senna; quin & si ista non suffecerint, addi aliquid electuarii de succo rosarum vel rosati Mesuæ: & hæc purgatio per alvum, durante curatione, per intervalla iterari debet.

XXIII.

Si æger purgantia non ferat, injiciatur Clyster, paratus è decocto rad. althææ, foliorum beton. parietar. malvæ, violar. sem. anisi, rutæ, pæoniæ, flor. chamemeli & meliloti, cum electuariò diacathol. & oleis convenientibus. Cum tales clysteres non tantum alvum laxent, sed & mire à capite revellant, frequens eorum usus esse debet, etiam tùm, cùm purgantia præcesserunt. Quem in finem & suppositoria adhiberi possunt, tunc præcipue, quando æger clysteres non admittit.

XXIV.

Neque inutile est, inter initia, & dum febris & inflammationis metus est, propinare fervorem humorum mitigantia, motumque calidorum vaporum in caput inhibentia, ex syrup. rosar. violar. myrtino, granatorum, cum aqua vel decocto hordei, cichorii, endiviæ. Ad quos usus & conservæ è prædictis plantis cephalicis dari possunt.

XXV.

Præmissis ad hunc modum venæsectione & purgatione per alvum, constitutoque legitima sex rerum nonnaturalium regimine, particularis vulneris curatio suscipienda. Quapropter, pilis abrasis, caput totum cum collo inungendum oleo rosaceo & myrtino; deinde

deinde si ex signis supradictis fracturam subesse constet, considerandum an vulnus cutis satis pateat. Quod si fuerit, sectione nulla opus, sed membrana ab osse separari haud difficulter poterit, ad cranium detegendum & modum fracturæ inspiciendum.

XXVI.

At quia rarius ita patulum vulnus Cheirurgo offertur, quandoque & contusio solum sine vulnere, in utroque casu sectione opus est. Aperiatur itaque cutis statim, si non prima hora, tamen primo die, antequam symptomata invalescant; in quartum enim diem sua culpa apertionem Cheirurgus differre non debet. Forma sectionis vulgaris est illa per chiasmum, seu quando lineæ sectionis duæ decussatim se intersecant, ad angulos rectos, vel prope rectos. Quandoque lineæ sectionis se non dividunt, sed tangunt duntaxat angulo non unius generis: idque ita fieri jubet varia quæ offertur vulneris figura, ipsaque, quæ secanda est, pars capitis.

XXVII.

In ipsa sectione musculos temporales, quod vasa habeant omnis generis quam plurima; tum & suturas, ob caussas supra adductas, vitare oportet, nisi summa urgente necessitate, cum periculo præsentissimo alia ratione eripi æger non possit: tum enim ex mente Celsi non adeo refert, satisne tutum sit præsidium, quod unicum est. In hoc tamen casu, ut musculus temporalis secundum ductum fibrarum dividatur, opera danda.

XXVIII.

Discissa in hunc modum cute cum pericranio, & pericranio à cranio diligenter separato, vulnus pulvillis mollissimis impleatur, additis si libet pulveribus cephalicis, qui postea describentur; super his fluxum sanguinis inhibentia imponenda, ex albumine ovi, vel, si id non sufficere videbitur, subigatur albumen ovi cum thure & aloë mollissimisque leporis pilis, ex præcepto Galeni, excipiatur & applicetur. Si nec hoc suffecerit, ad alios sanguinem sistendi modos confugiendum. Non tamen statim compescendus fluxus sangui-

nis

nis in plethoricis; imprimis qui ebrii fuerunt, cum vulnerarentur, vel ira valde excandeſcentes: minuit enim inflammationem. In timidis vero & qui ſanguine non abundant, illico reſtringuendus.

XXIX.

Sequente die, diductis vulneris labiis, & omnibus probe mundatis, os inſpiciendum, ut quæ fracturæ ſpecies adſit innoteſcat; tunc, ſi magna deprehendatur fractura, atque adeo effractura oſſium, fragmenta ſoluta, quæ neque cum cranio amplius, neque cum pericranio, neque cum vaſis cohærent, convenienter demenda. In iis tamen extrahendis nihil violenter ægendum: naturæ potius negotium relinquendum, modo membranæ ab oſſiculis non lædantur: quæ enim membranas pungunt, eorum extractio non differenda. Idem cum extraneis quibuſcunque aliis agendum.

XXX.

At quando, oſſe detecto, nulla manifeſta adparet fractura, in capillaris fiſſuræ ſuſpicione, ex antiquo Medicorum placito, atramenti aliquid oſſi, quamprimum cutis fuerit aperta, affricandum. Ita fiet, ut poſtea, cum os fuerit nudatum, rima, quæ antea latebat, in conſpectum veniat nigro colore ſignata, quam ne ſanies, per hanc aperturam ingreſſa, oſſi ac ſubjecto panniculo labem inducat, radendo delemus.

XXXI.

Obturatis itaque ægri auribus goſſypio, aut carptis linamentis, ne machinæ ſtrepitum ex raſura percipiat, labiis vulneris per pura linamenta contra aërem & ferramentum communitis, ſcalpro his uſibus accommodato, os coloratum, ſecundum longitudinem rimæ radendum, donec rima aboleatur, oſque album & ſanguinolentum appareat. Atque hæc in fiſſura exterioris tabulæ infra meditullium non penetrantis egiſſe ſufficiet. In ipſa operatione aut ferramenta mutanda, quod & ipſe uſus plerumque exigit, vel ſubinde aquæ roſaceæ immittenda, ne attritu longa incaleſcentia os

 cranii

cranii inflamment. Quæ dum fiunt, ex consilio Galeni & illud observandum, ne fissuras longius excurrentes ad finem usque prosequamur.

XXXII.

Peracta rasione ossi cum linamentis siccis pulveres ex desiccantibus & detergentibus, sine morsu imponendi, quales fiunt è thure, myrrha, sanguine dracon. aristolochia, irid. radic. ex quibus pro ratione temporis & subjecti, modo hæc, modo illa usurpanda. Supra linamenta, vulneris curandi gratia, Digestiva è terebinthina, vitell.ovorum & ol.rosaceo locum habeant.Interea dum hæc aguntur, si forsan dolor radendo excitatus inflammationem minetur, commodum erit repetere partium vulneri vicinarum inunctionem per ol. rosar. calidum, vel, si hoc sufficere non videatur, cataplasma ex farina hordei & rosis siccis cum posca applicare. Postea apparente satis pure, fiat detersio, vel melle rosato solo, vel cum præcedente digestivo misto, prout puris major vel minor est copia. Detersionem excipiant sarcotica: pulveres è thure, myrrha, aloë, mastiche, aristolochia & similibus, superimposito emplastro de betonica, vel ex cumino. Tandem carne repleto vulnus obducitur cicatrice, linamentis siccis, corticibus granatorum, emplastro diapalma, vel aliis ejus generis.

XXXIII.

Quod si ex sententia *Celsi* non statim ad ferramenta in quavis fissura venire velis, sed osse intacto curationem per Emplastra cephalica aut pulveres ejus generis inire, faciendum id in casu præcedente potissimum, quando videlicet fissura non penetrat totum Cranium, idque in corpore Euchymo, ubi pravorum accidentium nullus est metus, & loco, ubi vulnera capitis facile sanescunt. Verum cum quousque penetret rima, difficulter ante rasuram cognoscatur, & corpora tam bene affecta rarissima sint, tutius plerumque est adhibere in tempore ferrum, ne postea, supervenientibus gravibus accidentibus, occasio agendi præcidatur.

XXXIV.

XXXIV.

At in fissura utramque laminam penetrante, ad duram usque meningem, quando saniei educendæ non patet exitus, neque dilatari rima angustior, vel scalpris vel aliis ferramentis potest, vel cum dilatatio ista non sufficit, ad perforationem per modiolum, tanquam ad ultimum præsidium, accedendum.

XXXV.

Perforationem utplurimum facimus modiolo ἀβαπτίστῳ dicto, qui in medio habet aculeum vel clavum. In actu perforationis, ferramentum ipsum, nisi cum alio mutetur, in aquam aut ol. rosac. per vices intingendum; postquam vero primam tabulam transiit, clavus eximendus, vel aliud quod sine clavo est, instrumentum substituendum, & cautissime reliqua peragenda, ne qua inferatur noxa duræ membranæ.

XXXVI.

Osse exsecto si quæ festucæ meningi incumbant, tollendæ: superficies item facti foraminis complananda & asperitates relictæ delendæ scalpro lenticulari, vel ejus usûs alio. Membranæ ipsi cum syndone imponendum mel rosaceum, addito, quando dolor urget, pauxillo ol. rosac. ad abstergendam saniem. Dolorisque quoque ratione in meningem instillari potest sanguis turturis, vel columbæ calidus, ex aperta sub alis vena emissus, cui & vis detersoria inesse observatur.

XXXVII.

Cavitas ipsa repleatur unguento cephalico è terebinthina, in aq. betonicæ lota, ol. rosac. vitell. ovor. gummi elemi. Os contegatur linamentis siccis mollissimis cum pulvere cephalico sæpius jam nominato. Vulneri vero cutis ea adhibetur & hæc curatio, quæ modo in rasura cranii tradita est. Dolore sedato & inflammationis periculo remoto, melli rosaceo, quod panniculo imponitur, guttula una atque altera de mistura ex aq. vitæ, vel vino malvatico, cum myrrha, aloë, thure, non incommode admiscebitur.

XXXVIII.

Si quid in cranio non solum fractum, sed & depressum sit, ab osse tamen reliquo non omnino avulsum, id loco suo restituendum, & elevandum terebellis, vel vectibus elevatoriis, prout mali magnitudo vel hoc, vel illud præsidium requirere videbitur. Circa fascias & deligationem externi vulneris omnia ita administranda, ne parte affecta nimium gravata fiat humorum affluxus, dolor & transpirationis interceptio.

XXXIX.

Aër in quo versatur æger, temperatus ut sit efficiendum, declinabit potius ad calidum, quam frigidum; frigidus enim aër capitis vulneribus inimicissimus. Atque ideo convenit, vulnere nudato, labrum prunis candentibus plenum ex adverso collocari, quo vulnus blando colore foveatur. Locus eligatur obscurus, nonnihil ab omni, quantum fieri potest, strepitu semotus. Victo utatur tenui: proinde principio sufficit ægrum alere sola ptisana hordeacea; successu tamen temporis carnes pullorum gallinaceorum & avicularum campestrium poterunt dari, imprimis cum lactuca, portulaca, acetosa, endivia; in mensa ultima cydoniata probantur. Potûs loco bibat aquam hordei, vel cerevisiam tenuem, donec febris nullus amplius fuerit metus: tunc enim moderatus vini usus indulgeatur iis, qui assueti sunt.

XL.

Somnus modum non excedat; diurnus vitetur, nisi nox insomnis præcesserit. Dum pus generatur, decubitus fiat in partem affectam. Animi pathemata vehementiora, ira, metus, omnisque cogitatio intensior, summa opera fugienda. Ne multum loquatur, præsertim primis diebus, neque ad risum incitetur æger. Nocentissima Venus est. Alvi segnities exstimuletur iis, quæ supra posita sunt; idque faciendum eo diligentius, quo magis solet esse familiaris alvi durities ex capite vulneratis.

II.



II.

RELATIO CHIRURGICA PARISIENSIUM

DE

VULNERE CAPITIS CUM RESONITU SEU CONTRAFISSURA.

Nos infra ſubſcripti Medici & Chirurgi Regii Parlamenti Pariſienſis hiſce referimus, quod prævia requiſitione Judiciorum nobiliſſimorum de dato die 6. Febr. Anno 1677. cadaver Bonaventuræ Sergii, Sutoris Pariſienſis, in viâ N. aperuerimus; ubi nobis à Defuncti conjuge & filio referebatur, quod ante 5. circiter ſeptimanas ictum jactu lapidis factum in capite exceperit, a quô intra 14. dierum curſum curatus fuerit: interea verò temporis eundem ſemper nauſeâ ciborum, diſpoſitione ad vomitum & occulto quodam capitis dolore & gravitate laboraſſe, donec die 1. Februarii rigor cum inſequente febri & poſtridie convulſiones & lethargus ipſum

corripuerint: quo in statu ad mortem usque, die hodierno accedentem, permanserit.

Hæc inaudientes cicatricem vulneris examinavimus, quæ optimè se habebat. Remoto verò cranio, sub internarum partium scrutinio invenimus materiam purulentam duræ matri incumbentem, quæ exinde corrupta colorem ex flavo-nigricantem contraxerat. In lamina quoque cranii interiori offendebamus fissuram cum carie, rectà sub vulnere, in latere dextro & parte superiore ossis coronalis inflicto: Lamina verò exterior prorsus illæsa & integra erat.

Exinde concludimus fissuram hanc & humores extravasatos mortem intulisse. *Parisiis* die & anno suprapositis.

CURATIO

& ætiologia contrafissuræ è principiis Mathematicis elegantissimè demonstrata habetur in seq. *Disputatione Inaugurali* Dn. D. *Wagneri*, Mathem. & Naturalium PP. in Acad. Julia, Anno 1708. Jenæ ventilata

DE



DE CONTRAFISSURA
è principiis Mechanico-Medicis.

SECTIO I.

De LÆSIONIS hujus COGNITIONE.

MEMBRUM I.

De ejusdem Existentia.

Quod à multis retro temporibus inter Naturæ Scrutatores non modo, verum & Medicos obtinuit, uti, dimisso sensu, rei cujusdam existentiam manifeste monstrante, multis nihilominus ratiociniorum momentis in subsidium vocatis, eandem in dubium vocarent; illud certe læsionibus, quas in præsenti exponere animus nobis est, non uno accidit tempore.

Jam enim olim non modo magnus illæ naturæ Genius, divinusque Vir, quo elogio à doctissimo *Pavio* ex merito ornatur, *Hippocrates*, verum & *Celsus*, atque alii mox nominandi, oculis suis usurpaverant lugendam illam capitis vulnerum speciem, qua, ab ictu quodam & plaga capiti inflicta, cranium non illo, sed alio in loco fissum fuerat deprehensum, cum subtus extra vasa sua emisso sanguine, in putrilaginem vel jam converso, vel tamen abituro.

Con-

Confirmaverant idem frequentioribus exemplis recentiores, ac præter hæc quandoque talem ſanguinem extravaſatum, ſectione, poſt mortem, inſtituta, alio quam in ictus loco invenerant, tegmine modo dicto oſſeo, ſeu calvaria nihilo ſecius integra & ſine ulla fiſſura obſervata. Unde *Hippocrates l. de cap. vulneribus c. 9.* præmiſſis quatuor capitis læſionum generibus, Fiſſuræ, Contuſioni, Depreſſioni, Telique Sedi, quintum, ſub *Calamitatis*, ſeu *Infortunii* nomine verbis ſequentibus non modo ſubjunxerat: *t. 1. Si vero alia capitis parte vulneratur (quam qua) & ulcus habet homo, & os carne denudatum eſt, quintus hic modus eſt:* verum & ſanationis difficultatem, vel potius impoſſibilitatem, hunc in modum expreſſerat: *& hanc Calamitatem, ubi facta eſt, nulla re iuvare queas. Nam ſi paſſus eſt hoc malum, non eſt, quod ex ipſo exquirere poſſis, an paſſus ſit hoc malum, neque qua capitis parte.*

Et *Celſus l. 8. c. 4. p. 704: Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera ſiderit*; quam læſionem hac inveſtigare nititur ratione: *Itaque ſi graviter aliquis percuſſus eſt, ſi mala indicia ſubſecuta ſunt, neque ea parte, qua cutis disſciſſa eſt, rima reperitur, non incommodum eſt*, parte altera *conſiderare, numquis locus* mollior *ſit*, & tumeat, *eumque aperire. Siquidem* ibi fiſſum os reperiatur; addita, ſi quando operatio fuerit fruſtra ſuſcepta, haud difficilis conſolidationis, ſpe: *nec tamen magno negotio cutis ſaneſcit, etiamſi fruſtra deſecta eſt.*

His, præter *Soranum*, acceſſerunt *Ebnſina*, *Gentilis de Fulgineo*, *Nicolaus Florentinus*, *Io. de Vigo*, *Ambr. Paræus*, *Jo. Andr. a Cruce*, *Anutius Foëſius*, *Pet. Pauius*, *Franc. Plazzonus*, *Hieron. Fabr. ab Aquapendente*, *Jo. Marcus Marci*: obſervationum ſcriptores, *Jo. Schenckius*, *Petrus Foreſtus*, *Nic. Tulpius*, *Ido Wolfius*, *Jobus van Meckren*, *Stalpartus van der Wiel*. & ex recentioribus experti ſſimi medici, B. *Paulus Ammanus*, Cl. *Bohnius*, B. *Jo. Dolæus*, B. *Chriſt. Jo. Langius*, *Dionis* cum aliis quamplurimis.

Contra

Contra hos vero nihilominus insurgunt, & existentiam contrafissurarum infringere laborant *Paulus Ægineta*, *Guido de Cauliaco*, *Dinus de Garbo*, *Amatus Lusitanus*, *Io. Bapt. Carcanus*, *Petrus Tionus*, *Iac. Berengarius Carpensis*, *Gabr. Fallopius*, *Io. Bapt. Cortesius*, & ex recentioribus *Munnincks*, & *Dimmerbroeckius*, variis ratiociniis, desumtis vel a præsentia suturarum, ad inhibendum fissurarum progressum, à natura productarum, ex *Galen. l. 9. de usu partium c.* 17. vel à dispari calvariæ cum vasis vitreis, vel testaceis, cucurbitis siccis, vel aliis solidis, ratione, quas lege, sis, apud *Ambr. Paræum Chirurg. l. 9. c.* 8. *Io. Andr. à Cruce, Chirurg. univers. Tract. 2. l. 1. c. 2. Gab. Fallopium in Hippocr. de vulnerib. capit. c.* 14. *Bapt. Cortesium in eundem p.* 125. *Iac. Berengarium Carpensem de fractur. cran. part. 2. c. 2.*

Recensetur porro a *Io. Bapt. Cortesio*, modo nominato, *cit. loc. p.* 126. tertia classis, medium inter utrosque tenentium, id est, partim affirmantium, partim negantium contrafissuras, ad quam refert *Iac. Berengarium Carpensem*, *Gabrielem Fallopium*, *Io. a Cruce*, & *Franc. Vertumnianum.*

Verum, quemadmodum non diffiteor *Berengarium* & *Gabr. Fallopium* sibi non esse æque constantes, pro affirmativa tamen appositas & graves afferre rationes, imo ipsam experientiam *Fallopium*: ita *Io. Andr. à Cruce* affirmantibus prorsus jungere nullus dubito. Argumentis vero eorundem discutiendis in præsenti haud immorabor, cum horum robur jam tum à *Paræo*, *à Cruce* aliisque, satis sit infractum.

Quin potius, cum præsertim plurima recentiorum exempla, uti dictum, lugendum hoc læsionum genus satis dederint confirmatum, rectissime cum *Paræo cit. loc.* concludo: *Ratum ergo illud est, ex Hippocratis autoritate*, ratione & experientia *confirmatum, alia parte ictum, & alia fracturam esse posse.*



SECTIONIS I.
MEMBRUM II.
DE CONTRAFISSURÆ ESSENTIA.

DE *existentia* harum læsionum certus, ulterius de *essentia* earundem dispicio, quid sibi velint expositurus. Monendum autem in limine statim hujus operæ, *contrafissuram* commodè horum in censu posse venire, quæ Philosophis communia πρὸς ἕν ἢ ἀφ' ἑνὸς, *ad unum vel ab uno* vocantur, seu quæ uni primario, alteri autem non nisi secundario competant, atque hac ratione aliam appellari *proprie*, aliam *impropriè* sic dictam.

Illa erit *fissura ipsius cranii, alio, quam in ictus loco, contingens, à flexione, particularum compagem superante, producta. Hæc* vero, *ruptura vasorum, vel meningum, vel cerebri ipsius, alio quam in ictus loco eveniens, ab eorum, illo in loco, allisu oborta.*

Definitum utrobique est *contrafissuræ*, seu *resonitus* vocabulum, quorum illud ex præpositione seu adverbio & substantivo, hoc ex eodem & præpositione conflatum, quasi dicas, fissuram contra, & è regione ictus opposita, excitatam; sonitum repercussum, resolventem. Quamvis enim, quod prius nomen concernit, uti inferius de contrafissurarum differentiis dicetur, læsiones tales non semper in opposito ictui loco eveniant; cum tamen hæ reliquis observatæ vel priores, vel frequentiores; tum à potiori desumendam & hoc loco judicarunt autores denominationem.

Vocabulum namque *contra* ex terminis ICtorum, contra legem facere, contra fundum piscationem exercere, contravenire; Medicorum contraindicatione, Architectorum militarium contra-

mini-

miniren, contrescarp: notissimisque aliis, contradicere, contra niti, contra putare, contrarium & oppositum denotare, ampla haud eget deductione.

Fissura pariter Medicis rima audit, à findendo derivata, partibus magis duris ac solidis, ossibus, verbi causa, conveniens, quorum unitatem seu continuitatem, non in transversum, sed secundum eorum longitudinem, solutam *fissuram* vocant, uti inferius, sub generis explicatione, dicetur.

Perinde ac illud *resonitus* nomen à *Paulo Ægineta*, & Græcis aliis, ἀπήχημα appellatum, metonymice causam pro effectu allegando, est adhibitum, quoniam, quemadmodum sono accommodis corporibus & angulis allidente echo; sic capite gravius præsertim, percusso, alia quam in ictus parte ἀπήχημα, seu ab echo responsio oboritur, vel minimum est metuenda.

Eodem vero contrafissuræ nomine Medicis quoque veniunt, latius tamen paulo, illæ cranii fracturæ, ubi lamina caluariæ exteriori integra existente, interior nihilominus & quidem eodem in plagæ loco, est diffissa. *Pavius l.c.p.* 79. hanc equidem tertiam nominat *rimarum* speciem, & *rimam cœcam* vocat, & postmodum fusius de hac *p.* 107. sub contrafissurarum differentiis disserit.

Huc & referre poteris illam, quæ in partibus mollibus quandoque contigit, fissurarum speciem, saluis extimis, interiora viscera fissa & dilacerata observata, hepatis à contusione molendini; lienis à verbere ter fissi. Imo & analoga hisce ista læsio, quando à contusione abdominis materni violenta, eodem tamen haud dilacerato, embryo miserandus brachium vel pedem fractum reportavit. Vid. D. *Wedelii Pathol. dogmat. sect.* 1. *c.* 6. *p.* 98. & *S.* 2. *c.* 13. *p.* 413.

Missis hisce, modo memoratis singulis, in præsenti de illis modo dicam læsionibus, quarum, in superioribus, definitiones exhibui. Harum varia apud autores occurrunt synonyma. *Hippocrates c. i.* ξυμφορὰν, (*Anutius Fœsius* ejus interpres ξυμφορὴν) infortunium, calamitatem, quia judicante *Pavio c. l.* vere infe-

 lices

lices ac infortunati ejuſmodi ægri, qui nec ipſi ſciunt, an & quomodo ſint læſi, nec Medicus, aut Chirurgus hac de re ſit certior, niſi cum jam eſt conclamatum.

Paulus Ægineta & alii ἀπήχημα, reſonitum appellarunt, ex rationibus jam memoratis. *Ioh. Andr: à Cruce & Gelmannus oppoſitionem*, cum læſio plurimum in loco plagæ oppoſito ſit obſervata. Galli vocibus *contrafente*, *contrafiſſura*, & *contrecoup. reſonitus*, promiſcue, hoc tamen frequentius utuntur. Germani nominant ein Wiederbruch, Wiederſchlag.

Genus remotum in prima definitione *fiſſuræ* nomen conſtituit. Per hanc intelligimus alteram illam quarti ſolutæ unitatis morbi, fracturæ nimirum, ſpeciem, qua corporum durorum ſeu ſolidorum, oſſium, v. g particulis, ſuis ex locis prorſus expulſis, eadem non in transverſum, ſed ſecundum eorum *longitudinem fracta*, ſeu actu ipſo & in inſtanti, violentaque ratione divulſa redduntur, quarum læſionum accuratam notionem nobis exhibet *D. Præſes* in laudatæ *Patholog. dogmat. Sect.* 1. *c.* 6.

Proximum genus, in eadem definitione, à *ſubjecto* læſo eſt deſumtum, capitis nimirum parte ſuperiore ſeu operculo oſſeo, fornicis in modum extructo, *cranio*, *calua*, ſeu *calvaria*, de cujus conſtitutione pro ſcopo præſenti notandum (1) cranium non ex unico ac continuo, ſed multis oſſibus, id eſt, corporibus, *ſolidis* particulis gaudentibus, eſſe combinatum, in extremitatibus ſerræ ad inſtar dentatis, ac affabre & firmius implexis, quarum commiſſurarum veſtigia ſuturæ vocantur, interdum ſitu, ſtructura, & cohæſionis modo differentes.

(2) Meningem craſſam intra cranium cum contento cerebro è cranio ſuſpendi, propaginibus per ſuturas ad pericranium emiſſis, hisque etiam cum illo communicare.

(3) Plurimis in locis oſſa capitis notabili equidem gaudere craſſitie, diverſis in ſubjectis nihilominus variante, ac triplici ex lamina conflata, duabus oſſeis & media pumicoſa, multisque cellu-

cellulis osseis, hexangulis & quadrangulis, in quibus medulla hæret sanguinolenta, distincta.

Hæc, sicuti nutrimentum ossibus hisce præbet, ita laminarum extima intimam crassitie, hæc vero illam duritie, hineque fragilitate antecellit, adeo, uti hanc ob rationem *vitrea* Medicis audiat.

(4) Quibusdam in locis os magis simplex, tenue, pellucidum, ac durum apparet, v. gr. in bregmate, squamosisque ossium temporibus.

Debilitatem ossium horum modo allegatam (5) multum promovent, tum ossibus occipitis, tum frontis appositi processus, illa erismatum (der Strebe-Pfeiler) ad instar fulcientes; tum capitis circumscriptio, temporum, uti & bregmatis in locis, magis depressa.

Unde (b) attendenda quoque totius cranii figura, non elliptica, sed *ouiformis* magis, diversas apud nationes denuo varians, ac Turcis, Groenlandis, Abissinis, notante *Pauio c. l.* rotunda ac compressa, Germanis contra plerumque productior ac oblongior.

Differentiam porro subjecti læsi *locus* patefacit, dum dicitur fissura cranii, *alio quam in ictus loco contingens. Hippocrates c. l. c.* 11. inquit: Ο'ςέον ἰιτρώσκεται ἄλλη ἰῆς κεφαλῆς, ἢ ᾗ ἰὸ ἔχει ἄνθρωπος καὶ ἰὸ ὀςέον ἐψιλώθη ἰῆς σαρκός.

Horum verborum sensus Commentatoribus æque ac Medicis valde est controversus. *Io. Bapt. Cortesius* enim, quantum ex ejus, obscure satis exposita, mente constat, allegato *l. p.* 119. vult, in omnibus Græcis, sibi oblatis, exemplaribus repertum textus principium ita scriptum: ἰιτρώσκεἰαι ἄλλη ἰῆς κεφαλῆς, omisso vocabulo Ο'ςέον. Unde, cum præter os plures in capite sint partes, tum per aliam *capitis* partem non statim esse intelligendam aliam *ossis calvariæ*, cum potissimum paulo post, sit scriptum: καὶ τὸ ὀςέον ἐψιλώθη τῆς σαρκὸς, *& os nudatum carne.*

De duplici igitur læsione hic disseri, una quando *os* ex vulnere detectum, quo in loco ossis mentionem haberi; altera, quando

quando *alia pars* læditur. Primam esse patentem & conspicuam, alteram vero omnino latentem, textus sine ipsum magis confirmante. Spectaret proinde huc exemplum *Amati Lusitani, cent.*3. *curat.*100. reperiundum, ubi utraque tabula calvariæ integra quidem, ast sub eadem parte intus exporrectæ venæ & arteriæ ruptæ fuere inventæ.

Aliis hoc ἄλλη τῆς κεφαλῆς de *Hippocratis* illa rimarum specie intelligitur, quam *Pavius c. l. p.*79. cœcam seu occultam, ἀπήχημα Græci vocarunt, & quam sub contrafissuræ homonymia in superioribus dedi expositam, quarum recensiones prostant apud *Paræum l.* 9. *c.* 8. *Io, Matthæum relat.* 7. & *Pavium* sæpius nominatum *p.* 108.

Nostra quidem ex sententia *Celsus* scopum propius tetigit, qui *l.*8.*c.*4. locum *Hippocratis* ita vertit: *Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit*, præsertim cum idem vocabulum ἄλλη per *alibi, alia, alio loco* à probatissimis reddatur autoribus, ut ἄλλη τοῦ τείχους, *alibi contra murum*, *in alia muri parte* apud *Rob. Constantinum p.* 95. Unde cum Medicis celeberrimis, superius nominatis, exemplis præterea hodie quamplurimis idem extra omnem dubitationis aleam ponentibus, per *aliam* hanc capitis *partem* intelligendam existimamus *diversam*, ita, ut os, inter hanc & plagæ inflictæ locum interceptum prorsus sit integrum, sive in opposito, sive ad latus, sive extrinsecus & in calvaria, sive intrinsecus & sub calvaria, de quo in secunda dicetur definitione, iste fuerit.

Quid enim quæso obstat, quo minus *Hippocratem* ex *Hippocrate* explicemus, atque ex ejusdem *l.c.*13. elegantem locum proferamus sequentem: *Quæcunque vero illabentia in caput tela ad os vulnerant, ex his id, quod ex altissimo loco illapsum est, & minime ex plano, & quod durissimum ac obtusissimum, & grauissimum ac minime leue est, & quod minime acutum ac molle: hoc & ruperit os, & contuderit: & maxime sane periculum est, ut os hæc patiatur, cum & hæc fiant, &* è directo adversus telum (κατ' ἀντίον)

os

os sauciari contingat. Qua de re, quando asserit *Hippocrates*, recensitas ossis rupturas dictis ex causis quasi necessario fieri, quandoque vero & id contingere, uti *è directo*, è diametro, & ex opposito *adversus telum*, adversus locum plagæ, seu ictus teli os saucietur, inde, quomodo clarius Contrafissuram indicare potuerit idem, non videmus.

Quanquam vero summus Vir hoc in textu partem intelligat plagæ oppositam, notanter tamen addit *contingere*, non semper idem evenire. Unde salva manet & superior ejus sententia, *alio* quocunque, quam in ictus loco, evenire hoc posse infortunium, nullumque ex hoc iis est præsidium, qui ad producendam Contrafissuram requiri semper partem stricte dictam oppositam judicant.

Egregie hoc in loco mentem divi Senis assecutus est *Fallopius in exposit. lib. Hippocr. de vulner. cap. c.* 14. circa finem hujus capitis, cujus textui B. *Ammannus disput. de resonitu*, paucis quandoque verbis interspersis, majorem insuper affudit lucem. Unde ex *ejusd. c.* 2. § 5. *Fallopium* de hoc ἄλλῃ seu *alibi Hippocratis* ita scribentem sistemus: *Per illam particulam* (ALIBI) *non intelligimus præcisè & semper partem oppositam, sed distantem à loco affecto, & quamvis per* aliam partem *possimus oppositam aliquando intelligere, non tamen præcise & semper, verum etiam aliam capitis partem ejusdem ossis: potest enim esse, ut contrahatur rima in parte alia, quam ubi contunditur os, hac ratione, quia superficies in medio robustior est, quam in extremis, & ideo potest contingere, ut percutiatur frons in media parte, & fiat rima in alia parte ejusdem frontis, hac de causa dico, quod* per aliam partem *non possimus semper & præcise partem oppositam intelligere, quoniam pars opposita est una, at, si Hippocrates loqueretur de parte præcise opposita, non esset periculosum, quia sciremus, quod in parte opposita esset rima, cum videremus, symptomata & partem affectam non habere læsionem: verum Hippocrates scripsit, quod hoc non potest sciri ab ægro, & sic, per aliam partem, intelligimus interdum vel* stricte oppositam, *vel etiam* non nimis distantem ejusdem ossis,

& ha

& hæ partes(ante sectionem) *non cognoscuntur*, quia nescitur, an læsa sit pars magis in uno, quam altero extremo.

Differentiæ, quam dedimus, enodatio nos porro ad illas manu quasi ducit operas, per quas in Contrafissuræ *notitiam* est deveniendum. Unde tum illa signa, quæ ipsi cum reliquis cranii tam fracturis, quam fissuris intercedunt, *communia* inde dicta, veniunt lustranda, tum quæ pressius eandem manifestant, ac *propria* audiunt, inquirenda & eruenda. *Sensus* ergo, quoad fieri potest, primo consulendi, quæ vero recondita magis, intimiusque latent, solerti & prudenti ratiocinio indaganda.

Visu namque usurpanda (1) læsionis *instrumentum*, si adsit, ejusque *substantia*, an sit corpus durum, lapis, lignum, ferrum, glans plumbea; an molle, pyrum, vel pomum immaturum, *quantitas*, an longum, breve; *moles*, an leve, ponderosum; *figura*, an asperum, læve, an rotundum, angulatum, an acutum, obtusum. (2) Eadem & *auditu* adhibito percipienda; *lædens* an sit vel fuerit juvenis, senex, an robustus, debilis, an ira commotus, animo tranquillus (3) *locus*, ex quo læsio processit, an ex altiori, an depressiori; an fuerit distans, vel propinquus. (4) *impetus*, an fortior, vel remissior; (5) *via impactus*, an directa, vel obliqua. Ferro enim longo, ponderoso, angulato, quando robustus & juvenis, cominus fortiter & directe caput petiit, quis ibi non gravem læsionem augurabitur?

Atque, cum cætera sint notiora, tum de ultimo & via impulsus, quod directus magis lædat obliquo, elegans est ratio mechanica, impulsus obliqui corporis A. fig. 1. TAB. VIII. in corpus obvium DC. magnitudinem esse ad illam ejusdem corporis impulsus recti, uti sinus AD anguli incidentiæ ACD ad radium AC.

(6) *Corpus delicti* vocandum, vulnerati nimirum ætas, robur vel debilitas, ac conformatio, tum totius, tum capitis. Unde *loci læsi* lustrationem instituturus Chirurgus, caput, num pileo vel mitra; num densa vel rara cæsarie obtectum, vel prorsus depile, prius consideret.

Dein,

Dein, *Hippocratis* gravissimo ex præcepto, videndum, num sit in osse calvariæ robusto, an debili, densa vel tenui cute obtecto. Num capilli à percussione diflecti, num vulneri immersi, redeuntesque erecti. Illud enim ossis denudati, hoc læsi signum.

Partes porro cranio *superpositas*, cutem ac carnem, imo pericranium, in loco, quem color mutatus, vel tumor, vel divulsio ostendet, lustret, factaque incisione, pro situ plagarum, diversa, modo sub forma X, vel T, modo N, aut V. (de quibus evolvendus *Dionis* tractatus Gallicus, *Cours d'operations de Chirurgie*, inscriptus, hocque demum anno editus *p. 344.*) singulas, lege artis, removeat. Illarum læsionem minora, hujus autem graviora symptomata concomitantur, inferius statim nominanda.

Visu ulterius & *tactu*, oculis & manibus exploret, num vulnus cum contusione insigni conjunctum. Intueatur ipsum cranium, ejusque ex levitate aut asperitate, nisi à suturis hæc ipsa proveniat, de calvariæ vel continuitate, vel fractura indicet, adhibito cumprimis specillo convenienti, non nimis tenui, nec acuto, nec nimis pleno. Fissura si oculò haud pateat, tum partem, leniter derasam, medicamento nigro *Hippocratis*, seu atramento scriptorio Chirurgorum illiniat, ubi, si vel capillaris adsit, eadem in conspectum veniet, insinuata localiter tinctura.

Deprehensa sic fissura, num per omnes cranii laminas penetret, vel deradendo, vel ita explorabit, jubens, uti vulneratus spiritum cohibitum, qua poterit contentione, sursum adigat. Humiditas vel sanies cruenta si per rimam egrediatur, de eo nullum amplius dubium. Locum vero idem potius habebit apud vulneratos, & mentis compotes, & dolorum cruciatibus haud adeo afflictos.

Invenies apud Chirurgos plures adhuc operas, verbi causa, dum vel per funiculum, sub dentibus vulnerati, manibusque Chirurgi, fortiter eundem extensum pulsantis; vel per dentium, baculo vel ferro, seu spatula, administratam pulsationem; vel per testarum, nucum avellanarum aut juglandium, dentibus tenatam

comminutionem, cranium, num, & quo loco, fractum sit, dijudicare conantur. *Hippocrates* ipse jam dudum hæc tetigit in *Coacis*, *c.3. t.374.* ubi, an sit os fissum, nec ne, sic judicare oportet, *inquit*, adhibendo mandendum utraque bucca caulem asphodeli, vel ferulam & reliqua. Vid. *Duret. comment. in h. l. p. 412.* ubi plura & egregia habentur. Verum, infidis forte his, eventibusque contrariis suo de valore dejectis operationibus, agenda sua committere, recte cum *Bereng. Carpensi* & *Paræo* inconsultum judicat B. *Meibomius*, rebus humanis ac Academiæ Juliæ cum aliis celeberrimis viris intempestive ereptus, in eruditissima *de læsionibus cranii à causa externa violenta* dissertatione.

Fissura inventa, præcipue patentiori, partes etiam cranii *internæ* inspectandæ, considerateque observandum, num sanguis extra vasa emissus ibidem, vel extra, vel intra meninges hæreat; num hæ integræ, vel disruptæ, verbo, quousque læsio pertenderit, cunctaque sedulo, atque ita tractanda, ne Chirurgum vel Medicum quidquam fugiat, quod & læsionem ipsam magis manifestet, atque insimul è salute vulnerati esse queat.

Unde porro, lustrato plagæ loco, (hæc enim opera reliquas eapropter antecedere debet, uti, quale sit læsionum genus, constet, omnem moveat lapidem, quo *signa* contrafissuram *specialius notantia* eruat. *Celsi* itaque *lib. 8. c. 4.* de hoc monitum observet, inquientis: *Si graviter aliquis percussus est, si mala indicia subsequuta sint, neque ex parte, qua cutis discissa est, rima reperitur, non incommodum est*, parte altera *considerare*, *num quis locus* mollior *sit*, *&* tumeat, *eumque aperire.*

Jungat eidem *Hieron. Fabr. ab Aquapendente*, qui, præter hæc, *Oper. chirurg. part. I. l. 2. c. 15. p. m. 100.* observationes, ex praxi deductas, nominavit sequentes, quibus contrafissuram in parte contusioni vicina factam concludit: (1) vulnus ea parte, qua respicit os fractum haut sanari, in aliis vero cicatrice obduci. (2) Ex eadem parte tenuem quendam ichorem exire. (3) Saniem hanc copiosiorem, quam pro ratione magnitudinis vulneris, adesse.

(4)

(4) Carnem mollem, laxam, hebetem, & flaccidam ex ea parte ſubcreſcere. (5) per intervalla febriculam accedere. (6) ſtylo immiſſo, cutem à cranio ſeparatam reperiri.

Nec inutile erit, ex præcepto *Guidon. de Cauliaco* & B. *Chr. Joh. Langii*, *Operum*, hujus, *Chirurg. c. 5.* capiti, ex toto prius raſo, circumjicere maſſam quandam farinaceam, vel unguentum ex albumine ovorum & maſtiche factum, applicatisque linteaminibus calidis (quod ipſum non præcipit *Guido*, ſed per diem dimittit, contra ea vero tunc *ſiccum* conſiderat locum) obſervare accurate, ex *humida linea* relicta, in reliqua maſſa perfecto exſiccata, ubi, & qualis ſit illa fractura. Quem indagandi modum B. Vir certiorem judicat ipſa ſola ſymptomatum, ſcotomiæ, vertiginis, vomitus bilioſi &c. conſideratione.

Et, quemadmodum hic humida linea attenditur: ita *Franc. Arcæus de recta curandorum vulnerum* ratione *lib. 1. c. 5.* pileolum ad *Bertapaliæ* mentem, ex ceræ citrin. thur. ſandal. ana ℥ij. tereb. acet. fortiſſim. & farin. fabar. a. ℥j. invicem ſubactis formare, & capiti, abraſis capillis, extendere jubit, hocque per aliquot dies relicto inſpicere, & ex *parte* ejus *exſiccata* fracturam deliteſcentem credere. Huic tantum tribuit Chirurgus, uſu & exercitio multo alias præſtans, ut *certam experimenti rationem* vocet *p. 41.*

Alii cum eodem *Bertapalia* idem tale ex thuris, ceræ, ladani a. ℥iij. mixtis componunt. eademque ratione applicant, ſicque cum *Paræo l. 9. c. 8.* contrafiſſuræ dignotionem, de qua deſperat *Hippocrates*, exquiri poſſe exiſtimant. Tentari hoc poterit minimum, quando ſanies nondum eſt generata, vel hæc potius anteverti, & præſumptive pejora quævis argui debent.

Inprimis vero non tantum ex ægro præter ea, quæ viſu deprehenderis, jubente *Hippocrate cit. libro*, ſciſcitandum, *qualiter & quo pacto vulneratus*; id eſt, num in ipſo percuſſionis momento ſtridorem quaſi oſſis fracti perceperit, unde & experimento illo in *Coacis l. c.* inquirit, num ipſi os aliquod ſtrepere inde videatur &c.; verum & probe obſervandum, quemnam capitis locum ſubinde,

& constanter magis, contrectet. Quando enim, sive delirans, sive mente haud captus, manum uni eidemque loco semper admovet; tum vel ibi calvariæ fracturam, vel vasorum subtus latentium rupturam subesse, minimum suspicandum, quis dubitet, pensitatis præsertim pluribus, eandem læsionem coindicantibus circumstantiis?

Unde ab *Ebnsinæ* temporibus, ejusque autoritate, idem inter signa hæc admodum invaluit, adeo, ut de eodem non incongrue scribat *Joh. Bereng. Carpensis de fract. cran. part. 2. c. 1. p. m. 13. Hoc apparet in quocunque, quod, ubi est aliquis dolor, patiens ipse statim succurrit, saltem cum manu. Et hoc omnibus est notum: non mirum ergo est, si* Avicenna *posuit tactum cum manu pro signo læsionis loci, cui applicatur manus, sive æger sit in bono intellectu, sive non, & non saltim succurrit manu, etiam caput hinc inde movet, quærens lenimen.*

Neque vero soli sensuum indagini ac judicio hæc ipsa committat Chirurgus & Medicus, verum & *ratiociniis* ingeniosis statim lustret actiones læsas, *symptomataque* tum *præsentia*, v. gr. vertiginem, caliginem, collapsum, obmutescentiam, vomitum adsumtorum ac bilis, sanguinis ex naribus, ore, vel auribus effluxum; tum posthæc *supervenientia*, febrim, deliria, convulsiones, epilepsiam, paralysin, apoplexiam, torporem ac carum. Verbo, singula conjungat, ex signis seligat pathognomica a communibus, omnibusque inter se collatis agenda, & ad medelam spectantia, determinet, nullo non tempore grave illud Medicorum monitum: OMNIA SUSPICARI, & NUSQUAM TUTA FIDES, animo revolvens.

Quid si κατ' ἄρσιν procedendo contrafissuram, ejusque locum inquirat, atque, haud sese ostendentibus *Hippocratis* læsionum capitis summis generibus, *fissura, contusione, depressione* ac *sede teli*, præsentibus nihilominus actionibus læsis *contrafissuram*, seu vasorum tamen ruptiones sub cranio concludat?

Haud

Haud equidem nos latent dubia, tum contra communium, tum priorum ſignorum valorem, ab Autoribus hinc inde in medium prolata. Unde, ut, creſcente præter opinionem ſchediasmate, de primis ſaltim contrafiſſuræ notis ex *Celſo* depromtis nunc dicamus, haud procul invenies, cum *Paulo* objicere & interrogare paratos: Quid ſi nihil tumoris aut mollitiei alter quidam locus oſtendat? ex *Celſi* cerebro, haud læſionum inſpectione, hæc enata, cum *Corteſio*, cogitantes.

Verum contrarium patebit ex obſervationibus binis egregiis anni 1690. *Dionis* Chirurgi Gallorum primarii, quas *cit. libr. p. 339. ſeqq.* inſertas exhibet. Ex ictus nimirum loco in coronæ regione, trepani ope, eduxerat ſanguinem, uſus tamen rationis viro ex lapſu vulnerato haud redierat. Tertio proinde, poſt hæc, die in occipite *tumore* obſervato, trepano locum etiam ſubjecerat, ſanguinem ibidem inventum exemerat, atque ſic deliriis ſtatim profligatis eundem ſucceſſive ſanitati reſtituerat. Perinde ac contrafiſſuram ex *tumore* loci recte judicatam addit, in infante novem annorum, globo, ſub trunculorum luſu, percuſſo, regionibus hujus & ictus admodum vicinis.

Singulis ergo recenſitis ſignis pathognomicis memoriæ mandatis Chirurgus accedat, & quænam ſe ex iisdem offerant, probe obſervet. Ita vero rectiſſime, uti credimus, ſibi conſulet, neque, juſto longius expenſis hujusmodi difficultatibus magis conturbatus, timidus ac agendorum ignarus reddetur. DEUM enimuero devote invocanti, methodi medendi gnaro, ac ſolerti indagatori, ſæpius in arena proficua ſeſe offerent ſignorum argumenta; auxilium contra vel paucas in horas dilatum percuſſum in perniciem vitæ potius deducet.



SECTIONIS I
MEMBRUM III.
De
CONTRAFISSURÆ CAUSA.

Quemadmodum pro contrafissurarum existentia diversa contulerunt symbola Autores, sic & in earundem causa alleganda iidem variant. Quidam cum *Hieron. Fabr. ab Aquapendente Oper. Chirurg. part. prior. l. 2. c. 14.* ad aerem cranio inclusum confugiunt, existimantes, ipsum ex ictu commotum totam cranii substantiam peruagare, in parte opposita allidi, renitensque os illud findere.

Jo. Andr. a Cruce quamvis *Chirurg. universal. tract. 2. de vuln. l. 1. c. 3.* remotas & procatarcticas, de instrumentis nimirum lædentibus differens, nonnisi explicet: capite tamen præcedente modo motum vehementem reflexivum, modo pressius, tum agitationem aeris, tum substantiæ spiritu abundantis, in caluæ cavitate contentorum, nominat.

Perinde ac *Gabr. Fallopius* in *expos. Hippocratis de vulner. cap. c. 14.* &, qui ejus sententiam laudat B. *Ammannus cit. loc. c. 1. §. 5.* & *cap. 2. §. 1.* agitationem spiritibus, intra corpus contentis, ab ictu communicatam, inque parte opposita duplicatam accusat. Nec displicet *Fallopio* huic conjungere ipsius caluæ constitutionem, quando *eodem cap.* verbis superius allegatis inquit: *Potest esse, ut contrahatur rima in parte alia, quam ubi contunditur os, hac ratione,* quia superficies in medio robustior ast, quam in extremis.

Inclytus Mathematicus ac Medicus quondam Cæsareus *Jo. Marcus Marci*, in suo de *Proportione motus, figurarum rectilinearum & circuli quadratura ex motu tractatu, part. 4. de percussionibus cap. de contrafissura,* duo allegare, inque his suum, hac de causa, assensum

firma-

firmare videtur, (1) figuram cranii sphæroidem, (2) impulsus, ad majus intervallum destinati, violentiam.

Verba ejus sunt sequentia: An ergo dicendum, in figura cranii,, sphæroide sitam esse causam? quod partes ab extra pressæ magis sti-,, pentur, magisq; resistant divisioni; à centro autem facto motu, à se,, invicem diducantur? Ita enim fornices onera videmus sustinere &,, contra niti; quod si à parte interna seu cava urgeantur, fatiscere ac,, dissolvi. Cum ergo cranium in modum fornicis sit reductum, non,, facile a plaga ab extra incidente dissolvi potest; parte vero opposi-,, ta, quia impetus extra fertur, estque centro perpendicularis, nihil,, mirum, dissolvi illam continuitatem. Accedit, quod impulsus, facto,, principio motus à plaga, non conquiescit in parte opposita; cujus,, violentia ad majus intervallum destinatur. Cum itaque reflecti sit,, necesse: & pars sinistra dextrorsum, hæc sinistrorsum abeat; in illa,, motuum contrarietate, partibus à se divulsis, accidit fissura.,,

Ut vero de causis allatis breviter nostram dicamus sententiam: prima, de commoto intra cranium existente, ac concluso, inque partem oppositam fortiter allidente eamque frangente aere, nulla est; cum nulla fiat ejus compressio, & quantum pars cranii percussa introcedit, tantum inter locum ictus & oppositum sita intermedia extravertitur. Exempla phiolæ percussæ, & in opposita fractæ, non probant quod est probandum, cum aeris circulatio ibi haud sit impedita. Unde nulla compressio, nullaque inde fractura poterit oboriri.

Dicta hæc optime confirmat experimentum, à Doctore ac Professore Medico *Ernesto Henrico Wedelio*, filio D. Præsidis natu maximo, hisce diebus, hanc in rem, institutum, obtenta campanula ænea, cui fundus, ex tornatoris incuria, prorsus erat excisus. Suspensa hæc ex filo, prout *Fig. 2.* TAB. VIII. monstrat, itu redituque aeris sic liberrimo, malleolo percutiebatur aliquoties in *a*. Hoc facto in loco ictui opposito *b*. statim aderat contrafissura. Unde ictu uno adhuc, uti pateret, quorsum se fissura esset extensura, absoluto, etiam in loco ictus, prorsusque diametraliter duas in partes campanula diffindebatur. Expe-

Experientia à montibus vel turribus per aerem scissis huc quoque minus facit, quandoquidem is ibidem coarctatus, per spiritus autem subterraneos valde elasticos, uti naturam ars in cuniculis (denen Minen) est imitata, valide expansus, non potest non, carceris impatiens, obstantia quæque disjicere. Agitatio vero spirituum, intra corpus contentorum, quæ *Fallopii* erat sententia, symptomatum potius, contrafissuræ comitum, quam ipsius contrafissuræ causa existet.

Joh. M. Marci tandem rationes, quamvis propius scopum feriant, dum in figura cranii & impulsu illato causam quærunt, aliqua tamen egent & explicatione, & ad causam contrafissuræ proximam deductione, tum ex ejus *Othosophia* seu *impulsus philosophia* petendis, tum nostris ex placitis facile supplendis.

Qua de re CAUSAM contrafissuræ primi generis IMMEDIATAM ac *proximam* in *flexione*, *compagem particularum cranii superante*, collocamus. Enimvero cranium, ut *membr. II.* dictum, ex particulis constat, inter molles ac duras medium quasi locum obtinentibus, quæ alias ab Autoribus *solidæ* vocantur, fluidis, quæ nullam habent consistentiam, oppositæ.

Dictæ hæ particulæ cohærentes ac conjunctæ, cum non undiquaque se contingant, sed innumeras cavitates, quas, cum omnia sint in Mundo hoc plena, materia quædam subtilis ac agitatissima perluit, interspersas habeant, possunt, expulsa tantisper illa, comprimi, atque ad se propius accedere. Quoniam vero materia illa, recepto nunc in scholis nomine *æthereа* appellata, istis cavitatibus, tanquam totidem carceribus inclusa, reluctatur, fit, ut particulæ cranii, sub hac compressione, instar machinæ, resiliant, renitantur, ac reagant, indeque corpus constituant, quod compressibilibus, seu *elasticis*, accensetur.

Inde porro illud efficitur, uti, quotiescunque cranium, accepto ictu ita *inflectitur*, ut particulæ ejus solidæ aliquem quidem motum ac transpositionem patiantur, ex suis tamen locis haud prorsus expellantur, sed ad priora redeant; caput, communi cum solidis ac du-

ris corporibus ratione, dum ætheris, per ictum suis e porulis ejecti, alterni reditus illud vibrant, *tremere* ac concuti incipiant.

Redibit tamen pristinam ad figuram ac statum cranium, nulla oborta fissura, quando præcise potentiæ comprimenti *æqualis* erit resistentia compagis partium ejus solidarum. Ictu autem priori vel statim aliquoties, cessante nondum pristino capitis tremore, repetito, vel fortiori, *flexionem*, partium cohæsionem *superantem*, efficiente, inflicto, præsto erit *fissura*, particulis suis ex locis longinquis, ac ultra earum elaterem, quasi specialem dimotis.

Sufficit enim nobis in præsenti illam particularum cohæsionem ac compagem, sensibus obviam, nominasse. Nec attinebit summorum virorum disceptationes, an a vi magnetica *Archimedis* ac *Borelli*, glutine quodam vel hamulis *Gassendi*, funiculo *Lini*, gravitate ac pressione ætheris *Bernoullii*, seu undecunque veniat illa, facere nostras; quamvis, ut verum fateamur, ultima, peculiari de *gravitate ætheris* tractatu a B. Viro ingeniose admodum ostensa, reliquis palmam reddere dubiam videatur.

Ita namque in via regia artis cultorem deducunt, nec in compitis, jamtum satis frequentibus, eundem errare permittunt verba *patholog. dogmat. Wedeliana Sect. 2. c. 13. p. 407.* de hac solidorum divulsionis causa solide, atque ex legibus mechanicis prorsus concludentia: *Quæcunque partes solidas, naturaliter* indivulsas, *quoque modo præternaturaliter* divellere, *&* à se invicem separare *possunt, illa in genere causæ sunt solutæ unitatis. Nihil enim aliud sunt morbi, quam species divulsionis, ut fiat* διάςασις τῶν συμφύτων μερῶν, *connatarum partium divisio.* Jam vero *flexio* in locis contrafissuræ contingens *fortior*, quam uti compages particularum illud ferat, hoc efficit: Ergo erit causa immediata ac proxima contrafissuræ.

Quicquid autem *flexionem* illam producere valebit, hoc ipsum CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS nomen merebitur. Est igitur illud extra omne dubium *ictus*, seu *impulsus*, alio quam contrafissuræ in loco, capiti impressus. Dicit hic ac denotat validam non minus, imo validiorem particularum cranii solidarum com-

pressionem, ita tamen *limitatam*, ut nulla ibidem fiat actualis earundem ab invicem divulsio. Dum enim nonnisi de contrafissura agimus, facile patet, ad nos non spectare illos casus, ex placitis nostris æque, ac haud difficulter, exponendos, ubi a vehementiori ictu locus uterque validius inflectitur, indeque finditur, oborta sic fissura cum contrafissura.

Oritur nominatus *ictus* in illa actione, quæ *percussio* vocatur, à corpore quodam *extrinseco*, ac *impellente*, violenter contra caput adacto. Causa igitur mediata hæc denuo aliam, *aliunde* venientem, PROCATARCTICAM Græcis dictam, supponit. Viso proinde corpore *impulso*, patiente, agentique resistente, lustrandum porro *impellens*, agens, resistens illud vincens, atque in motum abripiens.

Corporum nempe *impellentium* nomine veniunt omnia illa, quæ unitatem vel continuationem cranii reddere possunt quovis modo solutam, qualia sunt non tantum omnia solida ac dura, verum quandoque & mollia. Notatu enim dignum Magnif. D. *Slevogtius* in egregia sua de *cranii carie* dissertatione recenset exemplum, ubi pirum immaturum, ex alto, in dextrum syncipút, pueri octennis, projectum, hujus & insecutæ mortis causa extitit. Longum nimis foret, totidem ex recensionibus sistere læsionum hæc instrumenta, lignea, lapidea, plumbea, ferrea, aliaque, in ministerium iræ ac vindictæ, imo hinc cædium sæpius, uti furor arma ministrat, adhibita, quorum variantes rationes jamtum sub signorum, in quantum ad illa faciebant, recensione, fuere pensitatæ.

Visis hinc causis singulis, conjectura haud difficili erit assequenda ratio, qua excitata ac in motum deducta procatarctica, tandem contrafissura oboritur. Siquidem exempli loco considerato fuste, communi admodum armorum genere, talibus in diffidiis arrepto, certum est ex rationibus mechanicis, in unaquaque ejus particula contineri impetum, adeo, ut si in motu avellatur, ipsa mobile impellat. Jam vero, quoniam partes fustis percutientis sunt cohærentes, ea propter totus impetus cogitur in illud extremum fustis, quod

quod mobile impellit. Quo longior ergo fustis, eo plures ejus partes impetum, in se continentes: Ergo eo fortior impetus, in ejus apicem a pluribus collectus. Unde, fuste longiori exceptas pilas lusorias, ad majorem distantiam excuti notissimum est.

Fustis proinde talis in caput obvium violenter impulsus, eidem suum erat communicaturus motum. Ante vero quam totum hoc cedat, prius cedit pars, cum, ex corporum constitutione, & quoniam nullum datur solidum infinitæ duritiei, constet, numquam impelli posse ac cedere totum, nisi prius cedat ejus pars.

Jam multo gravior foret læsio, si fustis talis immediate in solidam calvariæ substantiam adigeretur. Provida ergo utilitatum natura cranium cute, crassitie insigni, & eo voluit fine investitum, ut vim fortuitorum facilius eluderet, dum non firmum & rigidum, sed molle & cedens obstaculum offendentibus iisdem vis ictus non parum frustratur, ac postea continenter, ab illa mollitie & partium flexibilitate imminuitur, cumprimis si in caput immittatur fœcunda ac frequenti cæsarie, pileoque vel mitra densioribus munitum.

Ictu ergo, seu plaga inflicta, partes capitis, seu cranii potius, de quo nobis est sermo, hanc substinentes, utpote propiores, non modo *prius* moventur reliquis tanquam remotioribus, verum & *fortius*, plusque virium impenditur hunc in locum, quam reliquas partes; cum in circumjacentes distributus, magisque dispersus impetus, non possit non fieri magis remissus. Id quod minus observarunt, neque cum legibus motus concilianda posuerunt *Fallopius* & alii quidam, locis superius allegatis affirmantes ictum reflexum recto longe esse validiorem.

A loco igitur plagæ ad sequentes & oppositas partes, uniformiter difformiter, uti loquuntur autores mechanici, fit impetus propagatio, & quidem propemodum momentanea. Dico vero *propemodum momentanea*, cum impossibile sit, ut eodem instanti, in quo extremitas capitis, tanquam corporis cujusdam concreti, percutitur, simul agitentur omnes ejus partes.

Quamvis itaque cranii particulæ solidæ in loco ictus majorem patiantur compressionem, majoremque inde motum ac transpositionem, verbo, figuræ mutationem; nihilominus non ibidem, sed alio in loco contingit fissura, idque non modo ratione *figuræ*, verum etiam, & quidem magis, ratione *texturæ*.

Atque, cum regularia sint mensura irregularium, ponamus primo figuram cranii perfecte circularem, *a b c d, fig. 3.* TAB. VIII. dein, texturam ejus uniformem, & tertio, æqualem quoque, accepto in *d.* ictu, in singulis circumferentiæ partibus vim impendi. Hoc posito, majorem effectum exhibebit impetus illis in locis, ubi majorem producere poterit *figuræ mutationem*, id est, in quatuor verticibus *a b c* & *d.* Unde, ictu in *d* inflicto, ex figura circulari, fiet *elliptica* redderturque eadem in *e* & *f.* acuta, in *g* & *h* obtusa, ibi extra circumferentiam promotis, hic intra eandem reductis terminis. Hac ratione mutata figura, facilis erit tum in verticibus axis majoris *e* & *f*, tum in minoris *g* & *h* fractura, ultra compagem & elaterem earum, uti supra dictum, dimotis ejus particulis solidis.

Atque hæc, ex percussione solidorum, figuræ mutatio tam certa est, ut experimentis hodie facile constet, vel a minimo eam produci posse ictu. Sonus enim, quem statim reddunt, idem satis confirmat, qui produci non posset, nisi repetitis ex vibrationibus ætheris corpus tremere, id est, figuram pristinam sæpius mutare inciperet. Adeas insuper *Borellum*, qui libro eleganti *de vi percussionis p. m. 205.* experimentis in statera factis, dedit demonstratum, ab ictu perexigui corporis, pondus nihilominus vastum fuisse aliquantisper concussum ac sublevatum.

Quocirca, ne ullum, de hac figuræ, in solidis, ex percussione, mutatione restet dubium, en aliud ab Illustri, ac supra omnem laudẽ posito Dn. *Leibnitio* gratiose nobiscum communicatum, ac *fig. 4.* Tab. VIII. delineatum: Annulũ majorem ferreum diametri quatuor pedum (quo major, eo melius res succedit,) tribus funiculis in *a b c* alligatum, ex unco *m* ita suspensum curavimus, uti situm teneret horizontalem. Deinde globulum æneum *e* ex alio unco *f* filo

filo ſic demiſſum dedimus, uti interiorem annuli oram in *e* ſtricte contingeret.

Singulis ita quieſcentibus, in *g*, diametraliter huic oppoſito, exterius annulum percuſſimus. Hoc impulſu ſtatim annulus ellipticus factus globulum æneum *e* verſus nos excuſſit, eadem prorſus ratione, ac ſi ex oppoſita parte in loco *e* extrinſecus fuiſſet ictu exceptus annulus. Fieri illud haud potuiſſet, niſi partes annuli *g* & *e* introrſum, *h* & *i* vero extrorſum fuiſſent adactæ.

Pro eodem confirmando, uti inventis facile eſt addere, duos adhuc globulos ex ejusdem conclavis laquearibus uncis *k* & *l* ita filis ſuſpenſos demiſimus, uti annulum in verticibus *i* & *h* extrinſecus ſtricte attingerent. Cunctis iterum quieti datis, annulum in loco *g* denuo percuſſimus, & ſtatim globus *e* verſus nos, globus autem in *i* dextrorſum, alter in h ſiniſtrorſum excutiebantur, indicio manifeſto ex ictu axem *h. i* elongari, alterum vero *e.g* abbreviari, & ſic annulum figuram ellipticam induere. Notabilis quoque erat tremor diu durans, & globulos per aliquod temporis ſpatium pulſans. Quod ſi annulus non ictu, ſed manu leviter ſuo ex loco verſus *e* dimovebatur, figura adeo ſalva, globuli ſinguli quieti remanebant, amotis ita locis annuli ſingulis a globulis ſuſpenſis in *e. h* & *i*.

Judicabimus nunc ex hiſce, quid contingat in cranio *fig. 5.* TAB. VIII. non rotundo, ſed oviformi, primo, ſolius reſpectu figuræ. Hoc ipſum in occipite *a* figura ſphæroide ampliori, in fronte ſphæroide arctiori: in temporibus autem *c* & *d* depreſſa magis, eſt circumſcriptum. Ex quo patet, cranii fornicem anteriorem conſtrictum injuriis hoſtilibus, quas adverſa facie excipiunt fortiores, magis expoſitum, validius reſiſtere, præ poſtico ampliore. Valde debiliter autem depreſſæ temporum regiones idem agunt. Unde non mirum, ictuum etiam, vel ab antica, vel a poſtica parte exceptorum, vehementiam, in has facile exonerari partes, obſervatasque in iisdem frequentiores contrafiſſuras. Quorſum & multum confert *textura* oſſium cranii, in illis temporum, & in bregmatis locis tenuis & fragilis magis, uti jam ſuperius fuit annotatum; in fronte ac

occipite fortior, & præter hæc appositis processibus, tanquam anteridibus, fulcita.

Si proinde figura texturaque craniorum non tantum per transversum & horizontaliter, *fig. 5.* verum & per longitudinem seu perpendiculariter *fig. 6.* imo & oblique sectorum inspiciatur, singula probe conjungantur, & expendantur, patebit ratio, quare, fronte icta integra, fissum sit occiput, aliis in casibus non hoc, sed vel bregma, vel os aliquod temporum; icto bregmatis osse sinistro, qua lambdoidi jungitur, fissum syncipitis os dextrum prope bregma, quales & variæ aliæ contrafissurarum historiæ occurrunt apud superius nominatos, tum observationum scriptores, tum Medicos, ibidem evolvendæ, & adductis ex principiis nostris facile explicandæ.

Siquidem, exempli causa, accepto in occipitis latere dextro *e* ictu, illa pars introrsum flexa equidem, non vero ob robur fissa, idem cranium in locis *f* & *g* ob singulorum ossium continguitatem, validamque in suturis implicationem, extravertit, nec ibi tamen, ob laminarum robur, fractum deprehensum fuit. Ast in opposito magis ictui loco, ac tenuiori, solidoque temporum osse è contrafissura apparuit, introflexo eodem facile oborta.

Contra vero accepta, frontis in parte dextra *h*, plaga, nec hæc, nec opposita occipitis in *i* introactæ equidem, ob firmitudinem tamen haud fissæ fuere; sicuti nec locus *g* extraversus, eandem ob causam. Verum os idem temporis *c* debilius, quamvis haud oppositum, sed quarta circiter parte distans extra actum, fissuram fuit passum. Perinde ac percusso *fig. 6.* vel osse frontis *a* vel occipitis *b* nullum horum, vel ictum excipiens, vel oppositum fuit fractum, sed fissum deprehensum modo os bregmatis sinistrum in *c*, modo dextrum, extra coacta, & ob eorum, in his locis, extremitatem, fortius concussa atque inflexa.

Idem hoc nobis in testarum fragmentis majoribus pluribus accidit, in museo superius laudati Doctoris ac Professoris Medici, *Wedelii*, eodemque præsente, malleo percussis, quorum unum, quo-

quoniam dicta, de bregmatis ossis contrafissura, egregie illustrat, *figur.* 7. exhibet. Malleo nimirum leviter percussa testa in *a* tremorem ejus undique tactu explorabamus, fortissimum in apice *c*. Unde, validiore subictu, ibidem potius, quam aliis in locis, oborturam fracturam, edicebamus. Respondebat eventus, siquidem, facto eodem, in *b* diffringebatur. In alia tali testa idem contingebat, cum repetitis statim, nondumque à priori pulsu cessante tremore, ictibus, quamvis minus fortibus, eandem exciperemus.

Progredimur ad contrafissurarum DIFFERENTIAS, quas ad octonarium numerum adscendentes recenset *B. Ammannus Disp. de resonitu alleg. cap. 2. §. 5.* facile tamen contrahendas. Nimirum, ut statim ab exordio hujus argumenti allatam præsentibus denuo accenseam, contrafissura alia erit in capitis partibus *continentibus*, cranio nimirum, alia in *contentis*, vasis nempe, tum meningum, tum cerebri ipsius. Illa vel est in *propinquo* plagæ inflictæ, dum v. gr. os idem frontis in sinistra parte percutitur, finditur in dextra, aut osse bregmatis sinistro icto, finditur syncipitis os dextrum prope bregma; vel in *remotiore* aut *opposito* loco, dum osse occipitis percusso finditur vel bregma, vel frontis illud.

Utraque denuo vel fissuram exhibet, unam tantum laminam, sive internam, sive externam, vel utramque penetrantem. Imo & casus dantur, ubi salvis prioribus, intermedia medullaris læsionem est sortita sanieque inde orta ac febri, longo demum post tempore vitam vulnerati cum morte commutarunt.

Tandem & contrafissuræ cum fissuris occurrunt, id est, non tantum locus alius, sed & locus plagæ fissi fuere deprehensi, quoniam fortior ictus non modo locum ictus, verum & alium, præsertim debiliorem, validius inflexos indeque fractos dedit. Illam vero contrafissuram, ubi in loco ictus, lamina calvariæ externa integra, interna fuit fissa, imo quandoque testas & fragmenta, meninges, vel cerebrum ipsum, pungentia emisit, ad nos non spectare, superius jamtum est dictum.

SECT.



SECTIONIS I.
MEMBRUM V.
De
SECUNDA SPECIE CONTRAFISSURÆ.

Quandoquidem plura, in superioribus jam recensita, considerationem hujus læsionis adjuvant, tum singula hujus cognitionem concernentia membro præsenti dabimus breviter expedita, visoque ejus *definito*, de *genere* ejusdem *remoto* dispiciemus. Hoc denotat *rupturæ* vox, secundus nempe *solutæ unitatis* morbus, atque *divulsionis* species, in qua parietibus, tum membranarum, tum vasorum, his intertextorum, in sua unitate solutis, actuque ipso divisis, divulsis, ab invicem sejunctis, quod vehunt, fluidum extravasatur.

Utut enim ruptura, herniarum exemplo, quandoque in sensu latiori pro laxatione, eamque consequente dilatatione, accipiatur; stricte tamen disruptionem, actu factam, indigitat. Unde hac ex causa, & quoniam hæc denominatio (quod denuo D. *Præses pathol. dogm. Sect. I. c. 6.* gravissime innuit) partibus magis mollibus, continentibus, hisque iterum potissimum internis, salvis & illæsis, externis, est conveniens, *rupturæ* nomen usurpavimus.

Proximum autem *genus* a *subjecto* non minus est petitum, *vasis* nimirum vel *meningum*, vel ipsius *cerebri*. Vasorum appellatione intelligimus quoscunque tubulos, *fluidum* quoddam vehentes, sive id sanguinis, sive lymphæ, sive his adhuc subtilioris cujusdam in censu veniat, quosque tum meningibus, tum cerebro ipsi artificiosissime videmus interspersos.

Nec

Nec etenim sola *fibrarum*, ex quibus meninges sunt contextæ, divisio gravem hanc pareret noxam, utpote sæpius a Chirurgis, pro eximendo sanguine subtus iacente, data opera incisarum, verum eadem horum vasorum dilacerationi, indeque effuso eorum liquido, venit adscribenda.

Differentia porro eadem est cum priori, *alius* nimirum *locus*, *quam is, qui ictum excepit*, ex genere facile limitandus, intelligendusque non partium *continentium*, & cranii, sed *contentorum*, & subtus latentium, vel meningum, vel ipsius cerebri.

Locus autem hic ex signis superioribus, jamtum memoratis, mutatis mutandis, erit investigandus, atque inprimis, cum is ad interiora magis secesserit, symptomatum ratio habenda. Unde, verbi causa, ex vertigine, caligine, obmutescentia, vomitu adsumtorum, ac bilis, labes nervoso generi illata: ex sanguinis per nares, os ac aures eruptione ruptum in interioribus vas quoddam sanguiferum: ex inflammationum signis, vigiliis contumacibus, febribus, deliriis, convulsionibus &c. invicem se consequentibus, fluidorum in putrilaginem vergens status, concludenda.

Perinde ac dolorem, v. g. pungitivum, ac fixum indicante ægro, atque oculorum rubedinem, singultus, vomitus, passiones colicas & similia, ostendente eodem, de meningum læsionibus erit cogitandum. Locus etiam hic considerate notandus, si cui frequentius manum admoveat.

Sic & remotive denuo hæc magis patefient, quando nec æger ossis, tanquam fracti, stridorem, sub percussione, perceptum indicabit, nec cranium, ex monitis superioribus, denudatum, fissuram ullam monstrabit. Quemadmodum de hisce, læsiones internas manifestantibus signis, fusius & distinctis capitibus agit *Berengarius lib. cit. part. II. c. 3. 4. 5.*

Causa immediata nomen *allisus* tuetur, facile concipiendus, & exemplis, vel mollium in solidis continentibus, vel undarum adversus littora agitatarum illustrandus. Duo ergo ad allisum hunc producendum concurrunt: (1) Corpus *solidum*, & quadantenus

durum, *ad quod fit allisio*, osseum nimirum calvariæ tegmen, in quo cerebrum, pellibus suis investitum, tanquam in vase; seu, ut pretiosissimæ merces in suo involucro, est reconditum. (2) Corpus *allidens molle*, ex particulis, aliquam tamen consistentiam habentibus, indeque resistentibus, coagmentatum, meningum nimirum, cum cerebri haud exigua mole, multisque vasorum tubulis intercepta, inclusa.

Duo hæc corpora, cum sint diversæ admodum texturæ, tum facile est judicatu, facta *percussione*, quæ denuo, ex dictis *membr. III. causæ mediatæ* fungitur vicibus, indeque in motum abrepto vase calvariæ continente, quid contingat.

Sua enim in figura, ex demonstratis nostris, mutatum, atque intus, & sic retroflexum cranium particulas suas solidas, tanquam totidem cuneos, in fibrosam, ac mollem meningum & vasorum ejus substantiam adigit, vim quoque illatam, per hanc, ulterius ad cerebri vasa propagat, illorumque unitatem ea ratione solvit, uti fluidum, quod vehunt, cujusque partes jamtum in continuo versantur motu, suis terminis ac alveis evolvatur, aliasque cavitates occupans, στάσιν concipiat, stagnet, ichorescat, gravissimorumque malorum causa existat. Ideo namque requirebatur continuitas, ut fluida, alienis terminis contineri solita, proprio nescia, alveis suis contenta, legitimo ordine & motu possent contineri, æque ac moveri.

Hujus tandem contrafissuræ non alia est *differentia*, quam quod, pro ratione plagæ inflictæ, alia *levioribus*, medicamentisque accommodis citius amovendis, alia *gravioribus*, pericula graviora, imo vitæ ipsius discrimen, minitantibus, sit stipata symptomatibus.



SECTIONIS II.
DE CONTRAFISSURÆ CURATIONE
MEMBRUM I.
De
EJUSDEM PROGNOSI.

Quoniam graviſſimo *Celſi l. 5. c. 26.* ex monito, prudentis eſt,„ hominis, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attin-„ gere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius pe-„ remit; deinde autem, ubi gravis metus, ſine certa tamen deſpe-„ ratione eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe,„ ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur:„ ea propter commodum erit, ipſi curationi præmittere conſiderationem de ejusdem *difficultate*, ſeu expendere, quomodo contrafiſſuræ *prognoſis* ſit formanda.

Hoc ergo in negotio denuo ad rem pertinebit, divinum audire *ſenem* loco illuſtri *L. de Loc. in Hom. c. 45.* ubi ſub titulo fracturis capitis præmiſſo: *ſiquidem* ſcribit, *os fractum fuerit & contritum, periculo vacat, & curare oportet hinc humectantibus medicamentis. Sin rumpatur & fiſſura fiat, periculoſum eſt.*

Singula quaſi accurate obſervanda monet, in *prædictione* & & *curatione*, ſuo tunc tempore in uſum vocata. Vulgaris quippe fractura quæcunque, habito nempe ad alia reſpectu, haud adeo pernicioſa, vel lethum inferens eſt, modo non negligatur. Aſt fiſſura, & gradu majori contrafiſſura, revera *infortunii* loco habenda, &, tanquam ad ſtygias umbras miſſura, timenda.

Patebit autem hæc prædictio magis, ſi primo læſionum *genus, ſubjectum* & *cauſam* graviſſimam luſtremus. *Fiſſura* hæc concuſſio-

nem, conquaſſationem, extravaſationem infert, eamque utplurimum ſummam. Quot verba igitur, tot momenta periculi longe maximi: inde ſpiritus, humores & pori ipſi ſuos experiuntur ac patiuntur manes, totique machinæ ruina præceps imminet, ipſa baſi velut ſubruta, atque ex ordine dimota.

Variant tamen hæc gradu ac diſcrimine non uno, diverſis in *ſubjectis*, tum ratione totius, tum capitis, tum loci tandem ejusdem læſi. Juvenis ſiquidem aut Vir in Germania, ejusque locis Septentrionalioribus, degens, tempore hiemali, ſuſtinendis hiſce periculis valentior eſt ſene, Italo, Gallo, Hiſpano &c. æſtate percuſſo, cujus calua durior ac velut vitrea, fragilis magis, facilisque acceſſus convulſionum, ipſiusque apoplexiæ.

Perinde ac, uti perſonarum, ita & *capitum* varietas, in eorundem circumſcriptione, ſive figura, craſſitie & ſuturis, quod olim in Perſarum & Græcorum capitibus à prælio refertur obſervatum, & cujus alia, notatu digna, nobis exhibet exempla *Pavius cit. l. p. 14.* occurrit non una.

Nec etiam, judice *Hippocrate*, indifferens eſt, *qua* quis *capitis parte* vulneretur. Unde ob tenuitatem ac vitream quaſi duritiem oſſium temporum & bregmatis frequentiores & fiſſuræ & contrafiſſuræ circa hæc loca, quæ certe periculis haud vacant, diligenter recenſitis, tum ab *Hippocrate*, *cit. l.* tum *Pavio p. 5. 45. 49. 51. 55.* &c. Sic & frontis *a* percuſſiones, ab altiori præcipue loco deſcendentes, facile in oſſibus illis tenuibus, orbitas oculorum cingentibus *d* contrafiſſuras, hincque humorum extraverſiones, ulcera ægre ſanabilia, vitæque adeo perniciem excitant. Vid. *Figur. 6.* TAB. VIII. Suturarum quoque contuſiones, ob membranarum, ipſis inſertarum, cum interioribus communionem, periculoſiores.

Quandocunque ergo ultra ſphæram & æquatorem quaſi naturæ, ejusque tolerantiam hæc contingunt, eadem morbo ſuccumbere cogitur, damnoque exiſtente irreparabili, remediis generoſis non juvantibus, vitæ lucula extinguitur. Horum remediorum bigam *cit. l.* adducit *Cous* (1) *humectantia*, ſeu lotionem, quorum no-

mine

mine ipsi veniunt una sola, eaque optima, fomenta, mox memoranda. Quæ vero intelligat, innuit *l. de ulcer. cap. c. 1. t. 1.* nempe, non aquea, nec frigida, sed *vinum.*

(2) *Serram*, per quam trepanum intelligit. Nec enim aliud quidpiam est idem, quam serra orbicularis, in rotam vel circulum acta, ad cranium perterebrandum. Addit enim finem, qui idem confirmat, *ad exitum saniei concedendum, & ingressum præcavendum.*

Causæ pariter consideratio læsionis periculum satis innuit. Extra enim controversiam, nostris in scholis, est positum, morborum solutæ unitatis speciem, longe gravissimam, esse *contusionem*, si cum cæteris eadem æstimetur proportione. Orta enim inde divulsio, quasi de industria se abscondens est, atque interiora petens, exterius periculi minoris equidem faciem multoties ostendens, interius vero cuncta ad stragem truculentam edendam disponens, poros alios obstruens, alios divellens, vasa dilacerans, latices eorum excutiens. Quibus si succurri mature haud poterit, obstructum aperiri, divulsum consolidari, extravasatum vel in circulum priorem redigi, vel auferri atque extrahi, conclamatum est.

Hæc ergo, Medicis *essentialiter inhærentia* dicta, quemadmodum in prognosi sedulo, sic & *postessentialia*, seu læsionem factam consequentia, illisque prioribus velificantia, considerate veniunt attendenda. Pessima est, *Hippocratis* elogio, inflammatio, eamque presso consequens pede phrenitis, quam maniæ generali nomine exprimit. Par est ratio convulsionum, epilepsiæ ipsius, paralyseos, hemiplexiæ, quæ singula si eveniant, mortem instantem minantur.

Ex adverso autem, si hæc præcaveri atque anteverti queant, tum à robore naturæ, (cui tamen soli minus fidendum) tum artis, eandem adjuvantis, salutaribus præsidiis, servari poterit homo, vel spes minimum affulget, futurum id esse, idque omni modo procurandum.

Accensendum his est coma, vel ἀποπληκτικὸν τι. Æger si sit excitabilis, speranda erunt meliora, sin minus, contra; nec tamen omnis statim fiducia abjicienda, sed & hic locum habet seu invenit expectatio, modo medelæ opera continuetur provida ac indefessa.

Pulsus quoque habenda erit ratio, qui quamvis sæpius indifferens, magnus tamen celeri, & longe magis frequenti est anteponendus & attendendus. Quo enim magis ad incitas est redacta natura, eo magis urget usus, & contra. Neque tamen solo ex pulsu magno salus est præsagienda, nisi sit constans, & pororum cerebri remeabilis, ac medicamentis accommodis tollenda, obstructio, cujus interiora & quasi castellum hostis jam tenet obsessum. Hisce igitur fundamentis universa salutis & mortis, seu eventus prædictio erit inædificanda. Reliqua enim omnia iisdem sunt subordinata, & ad hæc referenda.

Neque *Tempus eventûs* indictum erit dimittendum. Omnia capitis vulnera acutorum primi generis. Hinc si quatriduum attigerint, secundi gradus erunt ex ordine, atque sic ulterius, spei, eventusque ad salutem tendentis crescit augmentum. Normam ergo cuncta hæc accipiunt ab intrinseco equidem, à læsionis gravitate; ab extrinseco autem à regimine decenti administrato, vel neglecto.


Prostant nihilominus & longius productarum harum etiam læsionum exempla, quandoquidem, Deo fortunante, pristinas sensim resumere vires valet natura, haud vero in instanti, induciis quasi, ad idem, cum hoste pactis. Quin per aliquot menses, ne annum & ultra dicamus, videas producta symptomata. Satis est, produci vitæ fabulam, mortis tragœdiis dilatis, singulis iterum pro dictorum, aliarumque circumstantiarum mensura ac modulo variantibus.

Modus eventus terminabitur, ad salutem quidem, evenientibus jamtum sub causæ, hac in prognosi, consideratione recensitis, sensim scilicet ac sensim in ordinem redigendo humorum vitalium

cir-

circulo, respondentibusque naturæ viribus, & dissipata extravasatione: robore spirituum, actionibus æque ac virtutibus animalibus, principiisque vitalibus in integrum restituendis.

Ad *mortem* autem tendet, indiciis vel ex ipsius vulneris tum in loco plagæ, inflictæ, tum alia in parte existentis adspectu, colore ipsius pallido, subflavo, livido, labris ejusdem simis ac collabentibus: ossis itidem asperitate ac livore &c. vel ex rigore, convulsionibus, apoplecticis potissimum, ex facie Hippocratica, linguæ pustulis ac febre, inflammationis comite, desumendis. Sæpenumero quoque alium in capitis morbum abit ac solvitur, vel subitaneum, vel paulatinum ac lentum. Medio vero modo se habent vertigo, epilepsia, melancholia, dolorumque varietas, in praxi occurrentia, atque ægro non modo, verum & Medico ejus, multum molestiarum creantia.



SECTIONIS II.

MEMBRUM II.

De

METHODO MEDENDI

Et ipsa contrafissuræ curatione.

Quum tam aliorum testimonio, quam frequentioribus constet observationibus, de gravi hoc contrafissuræ malo nec Medicos, nec Chirurgos certiores fuisse factos, nisi postquam jam fuit conclamatum: videri primo posset intuitu frustranea omnis opera, in tentata ejus curatione collocata, mali utpote desperati, & vulneris pro lethali per se, habendi. Attamen, quoniam nihilominus consideratiori ac experto magis præsenti ævo curatarum etiam harum læsionum prostant exempla; ea propter spe salutis

even-

eventus haud prorſus decollante, atque in dubio adhuc poſita, magis erit conſultum, omni in id anniti ope, ut vita ſervetur, nullo vero modo deſerere ægrum, vel prognoſtico relinquere.

Ut autem hoc ipſum omni dexteritate, atque ex artis præſcriptis, fiat, opus erit ad normam methodi medendi procedere, quæ fili inſtar Ariadnei eſt, quo duce exitus proſper, hoc ex labyrintho, ſperandus, progrediendo ſecundum indicationes, erutas, ex modulo læſionis, natura partis affectæ, & aliis: uti tam morbo, quam cauſis & ſymptomatibus, communibus æque, ac ſpecialibus & urgentibus, conſiderate ac decenter proſpiciatur. Operam autem, in utroque contrafiſſuræ, usque huc explicato, genere, collocandam uno eodemque hoc membro abſolvemus, facile limitandis, ac eligendis, quæ uni, quæ itidem alteri debentur.

Fractura hæc cranii, etiam occulta, efficacem ſibi expoſcit unitionem, ſive cum, ſive ſine vulnere appareat, atque ſi unquam, hic certe ſolerter & circumſpecte ſingula tractanda, uti pateat, Medicum ultra Chirurgorum vulgus ſapuiſſe. Comitem habent, ex contuſione oborta, læſiones nominatæ, concuſſionem, imo ſæpius & conquaſſationem cerebri. Removendæ igitur mature cauſæ morbificæ ulteriores, exitiales alioquin futuræ, ſi mora nectatur. Sanguinis & lymphæ quicquid eſt extravaſatum vel priori, ſi fieri poterit, circuitui ac circulo reſtituendum, vel extrahendum & amovendum, ne in grumos, ichorem & ſuppurationem abeat, neve obſtruat poros ac cavitates cerebri, ipſiusque ſpinalis medullæ principium. Tentata igitur diſcuſſione motus fluidorum procurandus, reſerandi pori, revocandi fatiſcentes ſpiritus, cerebrum, in ſua œconomia conturbatum, roborandum, atque ab iis, quæ ejus intima petere volunt, injuriis tutandum. Virium debilitati proſpiciendum, ſedandi, vel leniendi minimum, dolores, procuranda quies, reſpicienda mora functionum ſenſus & motus, arcendi ſopor ac ſtupor, convulſiones, paralyſis, apoplexia, præcavendæ.

Sin-

Singulis hisce eo melius uti satisfiat; tum & hic fontes, usu præstantes ac consueti, chirurgici, pharmaceutici, & diætetici visitandi, quorum rivulos consectabimur ex methodo Dogmatica; Clinica enim erit varians, pro cujusvis individui constitutione.

Quoniam autem ordinarie quasi, & hisce in læsionibus, primus advocari solet Chirurgus, ejus etiam opera reliquas antecedit, ea propter hanc prius lustrabimus. Primum ergo ejus studium in vulneris, seu partis læsæ, examine erit ponendum, dispiciendo, ubi, quomodo, quo gradu, idem sit factum, atque observando, præter τρόπυς seu modos curatissimos divi *Senis*, ea, quæ de hujus dignotione superiori *Sect. membr. II.* jamtum fuere tradita, atque, ex reliquorum capitis vulnerum summorum generum absentia, læsionis gravitate, aliisque jam dictis, de contrafissura arguendo.

Facit huc *abrasio* capillorum, uti & visu usurpari, & tactu explorari locus læsus possit. Quo facto illitio concedi potest, etiam solo ex oleo rutaceo, calide applicato, cum leni blandaque frictione. Apparanda hinc reliqua intus & extus administranda, cumprimis vero *fotus*, omnium laudatissimi & probatissimi, cum sacculis, uno vel pluribus, vel toti quoque capiti, qua parte capillis obsitum est, applicandis.

Visa sunt non una vice perquam absurde à rerum ignaris, præcipue balneatoribus ac tonsoribus, in usum vocata, modo epithemata frigida, modo emplastrum stiticum, & similis farinæ alia, quæ certe negligentia haud toleranda, hinc quasi re bene gesta, discedendo. Sacculi igitur, quorum facta est mentio, nostri seculi inventum, usus sunt longe præstantissimi, omnibus, quæ occurrunt, indicationibus debiti, omneque punctum, modo mature applicentur, absoluturi, discutientes & roborantes, v. c. ex rad. pœon. herb. verben. rut. salv. rosmarin. betonicæ imprimis, flor. stoech. Arab. paralys. anthos, Sambuc. rosar. rubr. chamom. lil. convall. thure, mastiche, myrrha ipsa, cubebis, & similibus.

Hisce fotibus de die & nocte sedulo continuatis visi sunt evasisse, desperatorum censui jamtum adscripti, contra ea vero quo-

cunque modo tractati, mortui, qui servari potuissent. Succurritque ex Institutionibus Chirurgicis *Meibomianis* summum, de iisdem, elogium, quo, indefessa hac opera, quamplurimos se dedisse restitutos, trepano jamtum destinatos, B. *Vir* sancte affirmabat. Huic enim remedio locus est, ubi trepano minus, v. c. in suturis, quarum quando occurrit læsio, tum aurem tibi semper vellicet verissimum illud *Coi*, nullum capitis vulnus esse negligendum, & maxime circa suturas, tanquam commissuras speciales.

Neque tamen hisce solis omnem committimus agendorum provinciam, sed & adhibenda *emplastra*, uti instar omnium illud de betonica, & similia; balsama quoque vulneraria, si vulnus insimul occurrat apertum, balf. de Peru, mel rosatum, & reliqua. Stare tamen potius hæc debent post principia, loco principi relicto laudatis fotibus & sacculis interpassatis, cum vino coctis, adhibitis, atque, aliquam post moram, quam fas erit concedere, repetitis. Vidit inde D. *Præses* capite læsum, post annum demum ex integro, & ut pristinas obire posset functiones, restitutum, per plures dehinc annos superstitem ac sanissimum.

Nec omittenda *venæsectio*, si indicetur à plethora, vel vires eandem concedant, depletio utpote necessaria, ad inhibendum sanguinis affluxum, sublevandum archeum, & restituendum liquoribus vitalibus circulum, etiam minor & parcior, ad excitandum ægrum, instituendam revulsionem, v. c. in pedibus administrata, vel etiam sub lingua, si apoplecticum quid timeatur, & nihil obstet. Non enim promiscue hæc in usum vocanda & suadenda, sed tum vires, tum aliæ, diversum jubentes, circumstantiæ sollicitè æstimandæ.

Scarificatione vero in bregmate, vel cucurbitula, rarius utimur, cum vices horum reddant, ac efficacius juvent fotus nominati, ob vini, contentis roborantibus juncta, effluvia, calore suo altius penetrantia. Hisce eventu certiori idem confirmante, motus humorum aptius promovetur, ex adverso autem vitium capiunt, ni moveantur aquæ, imo & spiritus ipsi animales, hac ratio-

ne

ne excitati & roborati, qui alias, agilitate amiſſa, uti Aſtronomorum voce utamur, ſtationarii redderentur.

Quorſum & multum facient acclamationes, & excitationes, per frictiones plantarum pedum, odoramenta fortiora, refocillationes, inprimis in ſopore detentis, cum vel ſine pavoribus, etiam pulſu tardo & integro obſervato. Morbo enim adſcribendus ſomnus iſte, etiam quandoque ad triduum viſus productus, qui omni modo arcendus.

Poſtulat porro inſtituti ratio, ut de *trepanatione* dicamus, remedio, cui vulgo primæ deferuntur partes, tanquam ſummo, unico, & ultimo, Italis, Gallis, Hiſpanis atque Belgis adeo frequenti, uti *Stalp. van der Wiel, obſerv. rarior. Tom. I. cent. I. Obſ. 8.* teſtimonium *Philippi Naſſauii*, Chirurgo, qui contrafiſſuram inquiſiverat, datum referat ſequens: *Ego infraſcriptus atteſtor, me ab Henr. Chadborn, Chirurgo Neomagenſi, poſtquam vigeſies ſepties* (mirum dictu) *mihi caput perforaſſet, recte fuiſſe ſanatum.* Non negamus, & huic ſuas deberi laudes, nec rite inſtitutam exitialem inſequi ſortem, etiam apud ætate provectos, cujus operationis exemplum, Hanoveræ, juſſu Experientiſſimi Aulæ Electoralis Medici B. D. *Kotzbue*, pro eo, quo nos complectebatur favore, videre licuit in ſene, plus quam ſeptuagenario, felici eventu, adminiſtratum.

Nec vero etiam diffitemur, cum ſoli huic ac potiſſimum debeatur indicationi, educendi humores extravaſatos, illi autem magis ament decubitum; tum & hanc, & alias nonnunquam difficultates huic operationi obſtare quamplurimas, quas, ex more ſuo, id eſt doctiſſime, expoſuit CL. *Bohnius* de *renunciat. vulner. p. 205. ſeqq.* Unde ſatius fuerit, uti B. *Meibomius cit. l.* præcipit, non nimis temerarium eſſe in cranio perforando, ſed fotibus memoratis, ſanguinis & lymphæ, extra ſuos alveos latorum, diſcuſſionem tentare, laticesque dictos priorem in motum evocare. Multijuga enim conſtat experientia, natura ſibi quærente, & inveniente vias, vel reſorberi ſenſim particulas in orbem eundem ac priſtinum abre-

 ptas,

ptas, vel per os, nares ac aures effundi, quicquid erat extra vasa emissum. Quousque itaque medicamentis quidpiam effici poterit, per concessa, eousque nec ferrum, nec ignem in partes, judicamus, vocanda, nec, ad ostendendam, uti quandoque contingit, artem, afflictis addita afflictione, de alienis ac vulneratorum ossibus temere ludendum.

Quando igitur nec per fotus & sacculos exterius, nec interius, per resolventia & discutientia, utrobique adhibita, quidquam obtinendum; tum in ancipiti, & gravi discrimine, urgenteque necessitate, uti cuncta artis præsidia, sic & hæc operatio heroica tentanda. Administranda autem erit ex legibus artis, petendis, ne longius his occupemur, ex Chirurgorum institutionibus, atque edicto periculo, ne, si male res cedat, stipendii loco Medicus ac Chirurgus, crudelis notæ, & incassum cruciantis, nomen ferant.

Par erit ratio hirudinum, vesicatoriorum, ipsiusque, in progressu, setacei, quippe, quæ admotione directa haud equidem pollent, requisita tamen non minus præsto esse debent, atque usurpanda.

Hisce præsidiis socianda porro *pharmaceutica*, generosa, remedia, paucis etiam lustranda. Respondere & hæc debent indicationibus præsentibus, indeque memorari merentur *lenientia*, benedicta, ἐκκοπρωτικά, subducentia, aluo cumprimis non respondente, quod obvium magis, ob torporem spirituum, quietem & decubitum, alia. Præstant igitur hoc fine tum aloetica, præsertim fermentata, uti pilulæ aloeticæ, aloephanginæ, Francofurtenses, tartareæ: tum etiam sennata, & maxime omnium rhabarbarina, aluum reserandi, resolvendi, & roborandi officio gaudentia: ne tamarindos, hisque affinia alia, iisdem accenseamus.

Ex hisce, quæ minus ingrata, poterunt in substantia adhiberi, palato contra ea minus accepta, in decocto, in infuso, potiunculis, ipsisque etiam clysteribus. Ita enim natura ad opera consueta, alvumque expediendam, vocata, iis, quæ ipsi oneri erant futura, commode

mode se subducit, atque ad promovendum humorum circulum egregie sollicitatur.

Materia dictorum erunt notiora illa, emollientia, cephalicis accommodis juncta, magis in decoctis, etiam pugillaribus, vel pulveribus mitioribus, quam infusis, sine vino potius, parandis. Alvum enim liberam & expeditam esse, quemadmodum in morbis capitis in genere; ita magis adhuc in læsionibus nostris, erit proficuum. De clysteribus vel verbulo monemus, illos, pro circumstantiarum ratione & acuendos, & repetendos.

Atque, cum ex dictis superioribus facile constet, in acutorum morborum ordine militare læsiones nostras, symptomaticis etiam quandoque vomitibus supervenientibus; tum facile patet artis cultori, purgantia non modo, verum & vomitoria consultius omitti, nisi singularis eadem sibi deposcat ratio, nec faciendum in his cum fæce Empiricorum, μοχλικοῖς talibus strenue, invita sæpius etiam Minerva, militante.

Neque etiam à recto deerraverit, quicunque reliqua levamenta universalia medelæ in subsidium vocaverit, quo nomine & *diaphoretica* varii generis merentur salutari. Hæc enim humores vitales, interceptos & turbatos, ordini & motui pristino, si quæ alia, restituunt, nec ipsa tamen unius generis, sed provide seligenda. Dictorum in fidem nominamus volatilia; quorum in statu soporoso, tanquam excitativorum insignium, cautelis debitis observatis applicatorum, egregius est usus, etiam minori & refracta, uti agendorum ratio idem feret, dosi, nec nimis camphoratorum, capiti quippe debili minus commodorum, aliâs vero innoxiorum ac minus metuendorum. Tale punctum prorsus ferent media & fixa, mixtura simplex, usu pollens maximo, per se, & per destillationem rectificata, ac dulcis reddita, etiam refracte & modice camphorata, tinctura item bezoartica essentificata, liquor C. C. succinatus, retuso sic alcali volatili, & cum his mixta, etiam minima dosi, anodyna. Sylviano enim elogio, & per mechanicam sulphuris cum sale volatili combinationem intimam, resolvunt,

placant archeum, ſpiritus diſſipatos & in fugam converſos congregant, atque inſimul ſudorem blande promovent.

Perinde ac antimonium diaphoreticum, ejusque magiſterium, bezoardicum minerale, martiale, joviale, pulveres bezoardici, major & minor, bezoar ipſe orientalis, theriaca cœleſtis, generoſa exiſtunt remedia, ut diaſcordium Fracaſtorii, hujusque cenſus alia, uſu ſolenni inſtaurata, latius haud commemoremus. Ita enim & febris inflammatoria arceri poterit, & fermenta putredinoſa averti, ne emicent, ac vires ſumant, negotiumque faceſſant, æque ac ichoreſcentia, & abhac dependentia plura incommoda, amoveri.

Neque prætereunda ex *diureticis* reſolventia temperata, præcipitantia, & blande invertentia & his accenſenda quoque alterantia. Quibus officiis non uno modo præeſſe poſſunt nitroſa & alcalina, inter quæ omnium inſtar laudari merebuntur oculi cancrorum, etiam hic, non una ratione, polychreſti. Cum acidis vero caute potius erit mercandum, ſulphurea autem temperata, uti ſemen lycopodii, rob alkekengi, ipſiusque etiam ebuli, commodo ſe uſu commendabunt.

Recenſitis hiſce colophonem addent *alterantia* & *confortantia*, tum generalia, tum ſpecifica. Horum in cenſu venient (1) *bezoardica*, quæ miſcelam ſanguinis tutantur, turbatam ſerenant, ac priori nobilitati reſtituunt, fermenta peregrina acceſſura avertunt, præſentia delent, qualia jamtum ſub diaphoreticis nominavimus, & facile iisdem alia accenſenda, v. c. extractum & decoctum ſcorzoneræ, cum C. C. & hordeo, vel magis, ſi neceſſum fuerit, compoſitum, aqua ſcorzoner. cordial. Herc. Sax. frigida, ceras. nigr. cum nucleis deſtillata, ſimplex & compoſita, rubi item idæi, & reliqua. (2) *Cephalica*, per ſe, & cum reliquis combinanda, uti, pulv. epilept. Marchion. cinnab. nat. & antimonii, ſpecif. cephalic. corall. perl. ſpec. cordial. temperat. pulv. è chelis cancr. Londin. & ſimilia. (3) *Traumatica*, uti oculi cancrorum, jamtum laudati, eſſentia traumatica, ſummi uſus, & omnibus indicationibus accommoda,

moda, pulveres ad casum, essent. mumiæ ipsa, aliaque. (4) Ex recensitis *mixta* & *composita*, varia sub forma, pulverum, pilularum, potionum, emulsionum, (quorum usus est in praxi frequens & quotidianus,) prostantia, uti reliqua communia, certisque symptomatibus debita, cordialia, stomachica &c. suis è loculis petenda fusius haud delibemus. Prioris generis sunt gelatina C. C. syrupus granorum chermes, gemmatus, confectio de hyacintho, & reliqua.


Neque vero obstat, commemoratorum tam generalium, quam specialium in omnibus vulnerum capitis speciebus esse usum. Indicationes enim, quæ utriusque in multis sunt communes, communem quoque sibi medelam exposcunt; speciales autem, in hac occurrentes, & periculi ex gravitate maxima provenientes, sedulam magis, cautamque operam, ad salvandum hominem. Atque quemadmodum hinc inde in morbis, sic & in vulneribus capitis multis hinc fiunt monstra, sive miracula, insolita, ac minus consueta, sæpius phænomena ostendentia.

Quamobrem etiam diversum quid haud sentiendum de alterantibus & confortantibus *Topicis* seu *externis* medicamentis. Commoda enim hic & generalia communia, aquæ, mixturæ, & epithemata ad pulsus, balsama confortantia, non nimis calida, unguentum præcipue alabastrinum, temporibus applicandum, multisque ac maximis encomiis *Langio* in *epistolis* ornatum. Tacemus Topica specialia, quæ fissuris cranii debentur, earumque accidentibus, cumprimis in majoribus contusionibus, quales ex bello solent reportari, ubi defensiva balsamica magni, & prorsus eximii, sunt usus.


Ita recensionem pharmaceuticam remediorum, in compendio & summis in capitibus datam, finimus, artique servandorum horum, in discrimine hoc versantium, addictum, plura desiderantem ad Practicos, *Berengarium* de *fractura cranii*, *Forestum* in *Observationibus Chirurgicis*, *Stalpartum van der Wiel* in *Obs. rarior.* *Sennertum* in *praxi*, *Dolæum* in *encyclopædia*, ut & superius jam laudatos antiquos, & recentioris ævi *Chirurgos*, ablegamus.

Diatæ

Diæta tandem paucis etiam erit commemoranda, ex regimine ſex rerum non naturalium dependens & ſedulo obſervanda. Aer ergo cordi habendus temperatus, & ſiccus magis, vitato frigido & humido auſtrino, radiis lunæ expoſito, qui arte ſunt corrigendi. Unde & in deligatione vulneris ſartago ferrea, carbonibus plena, Chirurgis eſt ad manus. Alimenta, primis præſertim diebus, ſint tenuia, nec valde nutrientia, haud flatulenta, aut caput obnubilantia, vel difficilis concoctionis. Abſtinendum à calidis, aromaticis, & vino, ira, Veneris amplexibus & affectibus animi, atque ſolatiis magis levandus, erigendusque æger, quam inſtantium extremorum, quod tonſorum plebi maxime eſt conſuetum, commemoratione, temere perterrefaciendus. De quiete jamtum dictum, quæ omni modo reſtituenda, abactis vigiliis. Aluus ſui officii, ſi ſit adſtricta, admonenda, atque hinc reliqua excreta & retenta moderanda, de quibus, ut & diæta univerſa ordinanda, evolvendus quoque *Berengarius*, & alii. Verbo, ſingula eo dirigenda, ut etiam hoc opus optatus coronet finis.



III.



III.
RELATIO CHIRURGICA PARISIENSIS
DE
FISTULA GENÆ,
à dissectione ductus salivalis.

Ego N. Chirurgus Parisiensis juratus hisce refero, quod jussu Dn. Iudicis die 29. Maj. A. 1692. ad me transmisso, die 2. Domini NN. famulum visitaverim & inspexerim, ut judicium meum de statu ejus impertire valerem.

Huic ante tres menses vulnus aliquod in genam dextram inflictum fuerat. Præstito igitur ad hunc actum juramento vulnereque curatissimè inspectô dico ulcus in gena dextra esse fistulam, eamque benè adhuc curari posse, dummodò Patiens operationem ad eandem requisitam admittere voluerit. Vulnus enim, ut prius in-

flictum erat, ampliandum, callosa durities absumenda & aperturæ ductus salivalis, quæ nunquam non humorem pellucidum clarumve fudit, cauterium applicandum erit, ut denuò claudatur.

Continuus enim salivæ effluxus unicum est obstaculum, quò minus vulnus curari nequiverit, sed in ulcus fistulosum abierit. *Sign.* Parisiis ut supra.

Aliâs Fistula hæc genarum plerumque ad dentem cariosum (unde orta fuit) terminatur, quod hyeme durissima Anno 1709. in quamplurimis subjectis observatum fuit, ut in *Miscellan. Berolinensibus* retuli.

CURATIO

solâ tunc dentis exstirpatione & evulsione perficitur, ut *D. Wizelius* Jun. b. m. in *Disp. de Fistula genarum ad dentem cariosum terminata* ostendit, quam dignam judicavi, quæ integra hic addatur:

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De Fistula genæ, terminata ad dentem, verba facturus, methodum Philosophi, Clarissimorumque Medicorum sequar, explicaturus primò nomen: deinde naturam & essentiam per definitionem: tum subjectum & causas: denique differentias & signa; quibus expositis, ultimò curationem per diætam, pharmaciam & chirurgiam breviter subjungam. Quod derivationem nominis *Fistulæ* concernit, deducunt illud nonnulli à fundendo, alii à ferendo; alii Græcum esse putant, creduntqne deduci à verbo φυσάω, hoc est, inflo vel inspiro; quæ derivatio tamen fistulis quibusdam, instrumentis scilicet Musicis, melius applicari posset. Obtinuit autem nomen morbus, *Paræo lib. XII. c.* 21. docente, ab arundinearum fistularum similitudine; quibus similiter cava existit: Vel, ut *Victor Trincavell. lib.* 3. *de comp. Med. cap.* 13. inquit, nomen Fistula sortita est à sua figura; imitatur enim fistulam, quod Musicum instrumentum est, oblongum, augustum & excavatum. Synonymiam quod attinet, vocantur fistulæ seu Syringes, etiam Foramina Divi Quirini; unde *Forest. lib.* 7. *obs. chirurg.* hinc ego (inquit) à vulgaribus fistulas ad divos relatas esse puto, quod eorum ope indigeant; quare idiotæ tum vulgares Foramina Divi Quirini fistulas vocant &c. Homonymiam quoque evolvere subtilis *Scaliger* monet, qui ambiguitatem vocabuli, omnis erroris affinem vocat. Est autem Fistulæ vocabulum valdè ambiguum: dicitur enim primò Fistula, uti *Pompinius* ait, canalis, per quem aqua educitur. Hinc *Cicero pro Rabir.* etsi C. Marius, quod fistulas, quibus aqua suppeditabatur, Jovis Optimi Maximi templis ac sedibus præcidi imperarat &c. Quibus non solum in figura, ulcus quod notamus, assimilatur, sed etiam in officio seu munere. Velut enim fistulæ, sive arundinaceæ, sive æneæ, in fontes superne descendentes, aquas emittunt; ita ulcus fistularum superfluitates in seipsum defluentes, acervarique intus solitas, sæpè numero foras

 eructat.

eructat. Secundò, instrumentum aliquod Musicum, uti ex *Virgil. Eclog.* 2. patet, quando canit:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Tertiò vocant Fistulam in homine, per quam spiratur, & cibus dejicitur, Spiritalem Celsus asperam arteriam vocat; Græci nominant τραχεῖαν: Cibalis Gula vocatur στόμαχος Plinio. Quartò dicitur Fistula instrumentum aliquod Chirurgicum, undique perforatum, quod in œsophagum immittitur, ad extrahenda ossicula, aut quicquid simile fuerit; cujus figuram & descriptionem vide apud *Guilhelmum Fabric. Hildan. obs. Chirurg. cent.* I. Quintò, omne ulcus inveteratum quod quadraginta dies excessit. Et denique sextò Fistula dicitur sinus qui obcalluit, ulcus cavum, augustum & callosum, circa quod solum versari, missis aliis, mecum hactenus constitui. *Genæ* autem quas partes notent, satis expressisse videtur *C. Plinius. histor. nat. l. XI. c.* 37. infra oculos, inquit, malæ, quas Prisci Genas vocabant, pudoris sunt sedes, ubi maxime ostenditur rubor &c. An dicatur à gignendo gena, quod inde incipiat gigni barba, dijudicent Grammatici: Tolerabiles saltem nobis videntur conjecturæ, tum eorum, qui malam dici volunt, à rotunda figura mali: tum illorum, qui à colore nominationem deducunt; quia modò suave rubet, ut adolescentibus & sanis, (unde roseæ vocantur apud Virgil. XII. Æneid. *Et roseas laniata genas,*) modo saturatè rubet; sicut discrimina ista in pomorum generibus variis observantur. De *Dentium* denique nomine, quia in aliquem horum fistula nostræ considerationis desivit, saltem hoc adjiciendum esse puto, quod dicantur Dentes Græc. ὀδόντες, quasi edentes; quoniam mandunt, extenuant mollìuntque cibos. Tota autem, quâ designamus nostrum affectum, formula authoritate non destituitur. Habemus enim præeuntem Chirurgum doctissimum Dn. *Marcum Aurelium Severinum*, qui quales designamus fistulas, vocat Fistulas ad dentem proximum.

vid.

vid. l. de Efficac. Medicina part. II. c. 130. & Pyrotech. Chirurg. l. 2. part. I. c. 115.

CAPUT II.

PRopositâ igitur nominis notatione, rectà nunc ad ipsius Fistulæ, cujus speciem tractamus, naturam & essentiam, per definitionem accedo. Cum verò à variis variè definiatur, nonnullorum definitiones hic apponam. *Gal*eam *lib. de tumor. p. n. c. 5.* describit, quod sit angustus oblongusque sinus; adeò ut Fistulæ essentia non in callo consistat, prout plurimi volunt, sed in eo, quod angustus oblongusque sinus sit, curationem difficillimè recipiens, cum coerceatur aliquando, sed rursus ob superfluorum humorum influxum, abscedat. Ex quibus Galeni verbis non solum nonnulli demonstrare volunt, quod callus in definitione fistulæ necessariò non includatur, & quod de essentia fistulæ non sit, sed & clarius ex illis *lib. 2. ad Glaucon. c. 8.* vidisti verò & ipso (scilicet medicamento fulvo) sanatas fistulas aliquando, in quibus angusto longoque existente foramine, cum nondum intus callum haberent, sed sordiciem solùm, immisi primùm lixivium, deinde tamdiu intus permanere permisi, donec speravi totam sordiciem penitus excidisse &c. ubi expresse ulcus fistulam vocat, quod nondum callum habet. Verum enim verò, tametsi Galenus in locis jamjam citatis mentionem non fecerit calli, & idcirco definitionem istam, authores, qui callum in fistula supponunt, rejiciant, nihilominus tamen, quia alibi expresse callum supponit Galenus poterunt loca ista & dissentientes authores facili negotio conciliari, si dixerimus, illum forsan intellexisse callum durum effatuque dignum, & ut Avicenna inquit ostracosum, qui in principio non statim adest, sed temporis progressu demum fit: Nam utitur aliquando ejusmodi loquendi modo *Galen.* v. g. quando *lib. de offic. med.* Erysipelas cum tumore non semper esse pronunciavit, hoc est, ut nos intelligimus, perspicuo & evidenti, quanquam tumorem esse, & in tumorum catalogo ipsum erysipelas perpetuò

numerandum, pro compertissimo habere. Quin imò definitionum Medicarum author, versus finem libri, fistulam sic simpliciter definit: Fistula tubulus est callosus, angustus & oblongus, interdum etiam obliquus, os habens, cui cicatrix obduci nequit, per quod humor certis temporibus excernitur. *Et lib. IX. de simpl. Med. facult. c. 5.* de terra Samia; Ac mihi videtur, quod sicut in fistulis sæpè conspeximus, non in aliis partibús duntaxat, sed in ipso etiam ano, ut citra collyrii immissionem, quod sordem & callum auferret &c. Ut ita non benè faciant, qui callositatem de essentia fistulæ non esse, ex Galen. probare student. *Celsus lib. 5. c. 28.* dicit Fistulam esse ulcus altum, angustum & callosum. Sed cum ulcus positum sit loco generis, putat *Franc. Peccettius*, valdè remotum esse, & melius dici, quod sit sinus altus, angustus & callosus. Idem *Peccettius lib. 2. c. 12.* scribit, ulcus fistulosum semper cum duritie & callositate esse conjunctum, & solùm differre ab ulcere sinuoso duritie & callositate: sinuosum autem sive cavernosum ulcus vocat illud, cujus orificium est angustum & profunditas altior, sensum effugiens, multosque anfractus & vias hinc inde discurrentes, citra duritiem & callositatem, habens: Ex qua definitione patet, malè facere eos, qui cum vident ulcus angustum & profundum, fistulam illud vocant; hi enim non distinguunt ulcus cavernosum, ab ulcere fistuloso; quod tamen ab eo distinguitur callo; quamvis promiscua turba, uti *Forest. lib. 7. obs. chirurg.* inquit, ejusmodi ulcera cuniculosa Fistulas nominet. Doctissimo *Paræo lib. 12. c. 21.* fistula ulcus est sinuosum, altum, angustum, callosum & non rarò imperceptibile; quam definitionem plurimi amplectuntur. *Joh. Vigierius lib. 3. c. 20.* tres ponit conditiones, ut ulcus aliquod sit fistula; primò ut cavitas ulceris sit profunda. 2. ut sit angusta, imò reverâ aliquando ita angusta, ut non possit etiam specillum immitti: quod *Scultetus Armament. Chirurg. observ. XI.* se observasse testatur. 3. ut adsit callositas externa & interna. Cæterùm quoniam præcipua

cipua controversia, in definitione, de callositate existit, quid illa sit & unde proveniat, paucis explicabimus. Est autem Callus, docente *Paulo lib. 6. c. 75.* continua quædam caro, albida, madoris expers, atque etiam doloris, neque nervo ad ipsam pertinente. Etsi autem ulcera omnia, vel ratione male affecti corporis, vitiosisque humoribus referri, vel ex imperitia Medici, vel ex pertinacia & inobedientia ægrotantis, possint fieri callosa, hoc tamen vitium fistulis magis familiare est, præsertim vero labris earum externis. Quomodo indurentur fistulæ, callique fiant, infra in capite causarum videre est. Est ergò, absque omni dubio, morbus hic compositus, utpote in quo omne morborum genus comprehenditur, videlicet intemperies, præsertim vero, magnaque ex parte, calida: Nam ferè quæ circa fistulam sunt, inquit Celsus, habent aliquid inflammationis, quæ teste, *Gal. lib. de diff. morb. c. 12.* omnia morborum genera continet. Præter intemperiem vero, solutionem continui adesse, per se notum est, ac malam denique compositionem: Tumor enim præter naturam adest, ideoque in magnitudine morbus etiam adest, partim quidem adaucta, ubi tumor adest, partim vero diminuta, ubi scilicet alicujus particulæ erosio facta est: Quæ omnia, sicut in cæteris partibus variis, ita & in specie, in Gena observantur, & speciali subjecto facilè applicantur; ut de specialiori definitione, quam quæ priorem subjecto nostro applicat, non simus solliciti: Sicut hoc in foro Medico receptum, v. g. quando inflammationes tumoresve alii in variis partibus considerantur, Ita *Fistula in Gena, terminata ad dentem cariosum, est ulcus sinuosum, altum, angustum & callosum, per maxillam ad dentem pertingens cariosum.*

CAPUT III.

FAcilius, *Cornel. Celso* monente, in morbi notitiam & curationem perveniemus, si prius sedem, & quæ circa illam observanda veniunt, ostenderimus. *Subjectum igitur denominationis* constituimus,

stituimus Genam, in qua conspicuus est fistulosus sinus. Est autem Gena pars faciei utrinque à naso sub oculorum minoribus angulis protuberans. *Adæquatum autem subjectum* cuniculi non est Gena sola, sed & membrana investiens superiorem maxillam, & Gingivæ: quod tacitè innuimus, quando vocamus Fistulam in Gena, terminatam ad dentem. Membrana investiens superiorem maxillam est tunica crassa, à crassa Meninge oriunda, quæ totum os intrinsecus cingit. Ipsa autem maxilla superior est ea faciei pars ossea & immobilis, quæ inferiorem oculorum sedem & latera, nasi partem osseam, malas & palatum, superiorumque dentium ordinem constituit. Estque os compositum & conflatum quasi ex pluribus, junctis per eam συναρθρώσεως speciem, quæ Harmonia vocatur, & est Articulatio per simplicem lineam, sed non semper rectam. Numerum ossium quod attinet, iste ab artis nostræ proceribus valdè controvertitur: aliqui enim plura, aliqui pauciora statuunt: *Vesalius*, *Bauhinus & Veslingius* duodecim volunt. *Laurentius*, *Bartholinus*, *Rolfincius* plurimique undecim, in utraque scilicet parte quinque & unicum sine pari. *Columbus* tredecim enumerasse dicitur, *Fallopius* quatuordecim: ut ita etiamnum verum sit (verba sunt *Gal. lib. de ossibus. c.* 4.) de numero ossium maxillæ superioris magnam esse dissensionem, quam non facilè tollere quispiam poterit. Interim, si ea sententia, quam plurimi viri docti amplectuntur, secundum Aristotelem non facilè est rejicienda; vel, si denominatio fieri debet à majori, iis potius subscribere debemus, qui undecim ossa tantum statuunt, in utroque scilicet latere quinque, & unum impar: quorum primum Zygomaticum dictum, majorem ossis Zygomatis partem constituit, quamvis etiam partem orbitæ, nec non minorem oculi canthum. Secundum efficit canthum majorem, ubi foramen est in nares pervium, cui adstat caruncula, & dicitur hoc os à Vesalio lachrymale, & ab aliis unguis, ob figuram. Est instar papyri tenue, & instar vitri frangibile, quod in paucis craniis illæsum conservari potest & raro in calvariis è terra effossis

repe-

reperitur: uti *Rolfinc. in differt. Anatom. lib.* 2. *c.* 25. teftatur. Hic abfceffus fiunt, quos Ægylopas vocant, qui fi imperitè tractentur, ad os penetrant, unde fiftulæ lachrymales. Tertium maximum eft, unde conftituuntur palati maxima regio & orbita inferior magna, dentes continens, à nonnullis maxillare dictum: in quo notanda. 1. Eminentia rotunda, in fpeciem orbis globata, quæ κύκλ☉ προσώπε, globus & orbis faciei, feu malum dicitur. 2. foramen occultum, quod pro ramo tertiæ conjugationis fub orbita tranfit. 3. Quod habeat finus amplos & fedecim alveolos. Quartum juxta palati extremum eft fitum, ubi narium foramina ad fauces tendunt. Separantur ab offe maximo futurâ transversâ: à fphoenoide eâ lineâ, quæ inter extremos dentes & apophyfin pterygoidem fertur: à fe invicem futurâ palati mediâ. Quintum eft os nafi, tenue, folidum, durum & quadrangulare. His addunt duodecimum, fupra medium intimumque palatum, cujus forma aratri vomerem imitatur, nariumque unam partem fepti more difcludit. * Hæc de maxilla fuperiore. Gingivæ, quæ ad fubjectum fiftulæ noftræ pertinent, funt carnes illæ fui generis, totum dentium ordinem obfepientes, eosque oppletis illorum intervallis firmantes. Sunt autem dentes offa omnium duriffima, intus aliquantulum cava, nervis, venulis arteriolisque prædita, per gomphofin articulata, mandendis præparandisque cibis primo à natura inftituta, *Laurent. lib.* 2. *c.* 20. Plura qui de illis defiderat, videat difputationes Melchioris Sebizii p. m. Viri, quem vel nominaffe honoris eft.

CAPUT IV.

Ad caufarum inveftigationem & enodationem ut me accingam, ordinis ratio poftulat. Cum enim, ficut nullius rei accurata cognitio perfectaque fine harum notitia haberi poffit, & ita confequenter neque præfervatio neque curatio legitima inftitui; propterea earum feriem, quantum ingenii vires permittunt, evolvam, obfequens monito Dogmaticorum Medicorum, qui

annotante *Celſ. in præfat. lib.* 1. *de re Medica*, non credunt eum ſcire poſſe, quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi ſint, ignoret. Oriuntur autem Fiſtulæ, utplurimum, atque ita etiam fiſtula Genæ terminata ad dentem, ex abſceſſibus, ſecundum omnes etiam Doctores; ſicut mea quoque, ſupra notata & feliciter curata, ortum duxit. Eſt autem Abſceſſus ſeu Apoſtema hic, ut in foro Medico receptum eſt, puris, ſeu purulentæ materiæ, in partis alicujus cavitate collectio. Abſceſſus ſi vel ob corporis impuritatem & humorum pravorum copiam, vel Medici negligentiam, vel imperitiam, nimis diu partibus inhæreant, aut non benè curentur, facili negotio in fiſtulam degenerant, pure cuniculos agente. *Guido de Cauliaco tract.* 4. *c.* 5. de fiſtula teſtatur, quod plerumque cavernoſa ulcera illam præcedant, à quibus & ipſa fiſtula oriatur, ob continuum humorum defluxum, locum ipſum corrumpentem. Unde patet, cauſas fiſtularum omnes illas eſſe poſſe, quæ ſinum quoque efficere poſſunt. Redditur autem ulcus ſinuoſum à ſanie ſive à pure, quod acrem erodendique facultatem habet. Poteſt autem tale pus ob multas cauſas gigni: vel ab aliquo apoſtemate ſive abſceſſu prorogato & tardius diſſecto, pure diutius moram in illo agente: vel ab aliqua ulceri ſuperveniente inflammatione: vel in profundis vel contuſis vulneribus, malè à Medicis curatis, & non rectè ab iiſdem expurgatis; quando ſcilicet quid extraneum vel præter naturam in ulcere continetur, ut inſtrumenti ferientis fruſtulum, vel indumenti, vel quando filamenta, vel penicilli ſive turundæ, ob Medici negligentiam intra ulcus fuerint derelicti: ex quibus omnibus etiam ſanatio ulceris retardari poteſt. *Hipp. lib. de fiſtulis* dicit, illas fieri ex contuſionibus, fieri quoque ex tuberculis, remigatione ac equitatione, quum in natibus congregatus fuerit ſanguis propè ſedem. Sed patet Coum cumprimis notaſſe fiſtulam ani; ſiquidem aliarum partium non facilè fiunt à contuſionibus, remigatione ac equitatione. Hoc verum, ſinus interdum fieri ob magnas contuſiones, uti nonnulli juniores dixêre: neque id ſecundum

cundum *Victor*: *Trincavell. lib. 3. de compos. Med.* inepte: Nam cum necessarium sit, ut monuit Hippocrates, omne contusum tandem putrescere, putrefactum suppurari & in pus converti; in magnis contusionibus, (sicuti factis globulis ejectis vi bellicorum tormentorum, sclopetorum,) facile possunt fieri sinus. Antecedens fistularum, ut & omnium ulcerum causa est cacochymia, seu succorum vitium, cum scilicet qualitate peccant humores. Generatur autem ejusmodi succorum pravitas aut ex depravata victus ratione, aut ex totius corporis, vel alicujus partis, aut hepatis, aut lienis vitio; uti plerisque in locis Galenus nobis testatum reliquit. Ex dictis liquet, quæ causa cuniculos in partibus agat & fistulas excitet. Superest ut exponamus, quid easdem reddat callosas. Redduntur autem tales, ut verbis Domini *Hieron. Fabricii ab Aquapendente*, *oper. Chirurg. part. 2. l. 3. cap. 9.* utar, propter influxum & infarctum materiæ crassæ, quæ in porositatibus ipsius partis & imbibita, & cujus partes tenuiores resiccatæ sunt & resolutæ, à calore tum nativo, tum extraneo. Cum autem, ut inferius in differentiis dicemus, fistulæ potissimum circa orificium externum sint callosæ (quales certè sunt majori ex parte, quæ in genis contingere solent) quæri posset, quæ hujus rei sit ratio? Respondemus autem, cum modo allegato Domino Aquapendente: Gignitur callus potissimum in orificio fistulæ externo, id est, in ipsa cute, idque potius quam in carne: quia primo, facilius indurescit cutis, quæ densa est, quam caro quæ mollis; deinde quia natura perpetuo protrudit excrementa ad cutim. Cum autem inveteratæ sunt fistulæ, in carne etiam subjecta callus contrahitur, & per totum ipsius fistulæ ductum.

CAPUT V.

PErpetuæ veritatis est vulgatum illud: Qui benè distinguit benè solvit, & benè docet; quo & ego invitatus, species fistularum (quas sive differentias, sive cum Celso genera appelles, idem est) proponam. Sunt autem fistularum differentiæ pluri-

mæ: Quatuor enim genera *Celsus lib.* 5. *cap.* 28. ipse tetigit; quorum primum ex magnitudine sumitur: siquidem aliæ breviores sunt & quasi sub cute delitescentes ac per hoc parvæ: aliæ longæ & altius penetrantes; etiam ad internas partes, hæ verò majores: aliæ demum intus feruntur, hæque omnium maximæ. Secundum genus à numero fistularum sumitur, seu si mavis, à simplicitate ac multiplicitate: nam aliæ simplices sunt, aliæ duplices, triplicesve, ab uno ore intus ortæ, quæ tamen in plures sinus dividuntur exterius: Vel econtra oriuntur à pluribus quidem orificiis sinubusve internis, attamen in unum tandem exterius terminantur. Tertium genus à figura desumitur; etenim aliæ rectæ, aliæ flexæ & tortuosæ sunt, Quartum præterea genus ex situ sive sede affecta sumendum succedit, quoniam scilicet aliæ intra carnes desinunt, aliæ ad ossa penetrant, aliæ ad nervum, aliæ ad membranam. Notabilis etiam, præ cæteris, differentia respectu temporis; quia aliter tractanda recens, aliter antiqua & inveterata. Item, quam calli consideratio suppeditat, quia alia in ore solum callosa, alia etiam in progressu. Aliæ denique facilè, aliæ cum difficultate curantur, atque etiam quædam insanabiles reperiuntur, ut loquitur Celsus loco sæpius citato. Quas quidem differentias omnes observare operæ pretium ducimus, quando quæstio incidit de fistuloso in Gena ulcere.

CAPUT VI.

MOrbi internotio inquit *Trallianus lib.* 9. *c.* 3. rectæ curationis fundamentum est. Igitur de signis Diagnosticis paucis. Cognoscuntur autem fistulæ in genere, imprimis stylo immisso in sinum, quo & quò tendat. & quàm altè pertingat, discimus, simul, extracto stylo, cognoscimus, an humidior an vero siccior sit fistula, *Sennert. lib. V. part.* 2. *c.* 10. Multis cuniculis intortæ & in labyrinthum anfractuosæ fistulæ judicantur, si non altè descendat specillum, & nihilominus plus saniei effluat, quam exigui ulceris ratio ferat, *Paræus lib.* 12. *cap.* 23. Porro, simpli-

ſimplicesne fiſtulæ ſint, aut in plures partes diducantur, cognoſci poteſt ex modo puris, cujus ſi plus fertur, quam quod ſimplici ſpatio convenit, plures ſinus calloſos eſſe manifeſtum eſt, *Celſ. lib.* 5.*cap.* 28. Corporis quoque inclinatio docet, num in plures partes fiſtulæ penetrarint: quia ſæpè, cum quis aliter decubuit, aliterque membrum collocavit, pus ferri, quod jam deſierat, incipit; teſtaturque, non ſolum alium ſinum eſſe, ex quo deſcendat, ſed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Si obliquæ fuerint fiſtulæ, flexumque aliquem vel plures habuerint, ut ſpecilli apex progredi nequeat, virgulam plumbeam ſtanneamve conflabimus, aut ceream potius candelam aſſumemus, qua iter pertentemus: cum enim admodum flexilis ſit, ad fiſtulæ figuram facilè accommodabitur, *Tagault. c.* 18. Signa termini fiſtularum ſunt hæc: Ad os ſanum terminari fiſtulam colligimus, ſi locus, ad quem extremitas ſpecilli pertingit, ſit durus & renitens, æqualis & lævis, & in quo, dum fiſtulam ſtylo exploramus, dolor maximè ſentiatur, propter acutum perioſtii ſenſum. Os autem corruptum & exeſum eſſe hinc conſtat: Primò, ſi fiſtula cicatrice obducitur & ſana apparet, ſed pauco interpoſito ſpatio rurſus ichor aut pus ſibi viam quærit: humores enim affluentes non poſſunt non ab indole ſua degenerare; hos propterea Natura vertit in pus, quod cicatricem lacerat. Secundum ſignum eſt ulceris diuturnitas; tunc enim neceſſe eſt os abſcedere, quia ob continuum contactum os madet & remollitur; juxtà illud *Hipp. l.* 6. *aph.* 45. quæcunque ulcera annua ſunt, aut longiore tempore durant, in iis os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cavas fieri. Tertium eſt, quando, immiſſo ſpecillo, os reperitur aſperum, carioſum & inæquale. Quartum, quando conſpicitur ad os fiſtulæ frequenter caro livida, flaccida & corrupta; quod malum ſignum, juxta *Hipp. aph.* 2. *l.* 7. Nam ut *Galen. in Comment.* explicat, non mediocrem ſolum labefactationem, ſed & inſignem corruptionem ſignificat. Quintum: humores ex ulcere effluentes, primo copia plures ſunt, quam ulceris magnitudini conveniat: deinde

qualitate similiter pravi sunt, nimirum tenues, & utplurimum valdè fœtidi. Unde *Fallopius* addit, si linamentum siccum in ulcus infigatur, ut os contingat, & emotum alterò die valde fœteat, os corruptum arguere. Corrumpitur autem os quod ulceri subest, vel à causa externa, vel interna. Externa vel ambientis frigus nimium, quod ossium calorem extinguit: vel nimius calor, qui evocando resolvendoque humidum similiter corrumpit. Internæ causæ sunt vel humiditas viscosa, seu prava sanies ulceris, quæ contractu os corrumpit. Si fistula carnem solum occupaverit, inquit *Celsus lib. V.* pus læve, album, copiosius fertur: ex nervoso autem loco, coloris quidem ejusdem, sed tenuius & minus. Ex nervo pingue & oleo non dissimile. Cujus sententiæ refragari videtur Aetius, sic de nervi fistula locutus: Humor inde delatus tenuior est, ei similis, qui ab ossibus defluit, non quidem oleagineus aut pinguis, sed saniosus & glutinosus.

CAPUT VII.

Pulchrum & ex Medici dignitate est, Medicorum Princeps *Hipp. lib. Epid. 6. sect.* 4. inquit, mortem ipsam, aut vehementes dolores prædicere. Quo dicto & ego motus, ad prognostica signa me confero. Faciles autem curatu sunt fistulæ, ut divinus senex quoque *in Coac. prænot.* inquit, quæ in mollibus & carnosis & non nervosis existunt partibus: difficiles verò, quæ in cartilaginosis & excarnibus locis sunt. Hinc facilè intelligitur, notatam nobis fistulam in carnosa parte existentem, non tam difficilem curatu esse, ceu illæ, quæ in cartilaginosis & excarnibus existunt partibus. *Galenus 3. lib. de humoribus* inquit: Fistulæ, præsertim antiquæ, profundæ, anfractuosæ, si quæ plures sinus habent, ægrè quoque curationem recipiunt. Ratio est, quia antiquæ fistulæ durum & crassum callum habent, qui non nisi cum maxima difficultate tollitur; & quia natura temporis diuturnitate supervacaneos humores per illas expurgare est assueta. Quod in genere dictum de fistulis, huic nostræ in specie ex asse quadrat; sicut & sequens

re

re & nomine *Celsi lib.* 5. *c.* 28. Expedita curatio est in fistula simplici, recenti, intra carnem, adjuvatque ipsum corpus, si juvenile, si firmum sit: Inimica contraria his sunt, itemque si fistula os, vel cartilaginem, vel nervum, vel musculos læsit, si articulum occupavit. Operæ etiam pretium est ad fistulam nostram illud trahere *Pauli Æginetæ lib.* 4. *c.* 49. si fistula ad os usque decumbat, curari hanc absque manus opera impossibile est, nisi temporis spatio sua sponte squama vel os abscedat. Non inutile etiam fuerit mentem advertere ad illud Exercitatissimi *Paræi* qui *l.* 12. *c.* 21. inquit: Veteres & quæ per multos annos fluxerunt fistulæ, si subitò cicatrice obducantur & occludantur, non solum gravissima pariunt symptomata, sed & mortem interdum inferunt, in corpore præsertim senili & infirmo, qui Paræus hanc potuit hausisse doctrinam ex *Galen. comment.* 39. *sect.* 3. *lib.* 6. *Epid.* ubi inquit, quod antiquæ fistulæ in loco declivi & a principali parte remotæ, sint relinquendæ, & si ex se ipsis, vel alio pacto, claudantur, rursus sint aperiendæ. Quam ipsa quoque confirmat experientia. Sufficiat unum ex *Hild. obs. Chirurg.* 73. *cent.* 5. exemplum attulisse: Refert scilicet, cuidam viro, cum fistulam multis laboribus cicatrice obduxisset, post curationem tot tantaque supervenisse symptomata, ut illam rursus aperire coactus fuerit: hoc facto, ægrum non solum convaluisse sed etiam multos annos commodè vixisse, neque consolidationem fistulæ tentare voluisse, ne sibi accideret, quod Poëta ait:

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Si fistula Genæ ex incuria redderetur verminosa, difficulter sanaretur: putredinem enim vermes significant adesse, pessimosque humores. Fieri autem fistulosa ulcera interdum verminosa *Petrus Borellus observ.* 48. *Medico Phys. cent.* II. testatur. Oriuntur autem vermiculi plerumque in fistulis sordidis, & quæ non, uti fieri decebat, mundantur, & à pure ac sanie purgantur, præcipue æstate & aëre calido & humido. Fistulæ Genales cicatrice obductæ, si inflammatione iterum tentantur, utplurimum rumpuntur:

puntur: fit autem hoc, quando adhuc corruptio offis adest, quâ existente, fistulæ ad sanationem non possunt pervenire; recipit quidem interdum cicatricem caro circumdata, ut sana ex toto esse videatur, verum humores defluentes cicatricem iterum rumpunt. Notandum denique, quod recrudescant quoque frequenter Genæ fistulæ, uti & alia ulcera, in illis, qui irâ excandescunt, aut vindictæ cupiditate flagrant; quod *Hildan. cent.* 5. *obs.* 75. testatur, & diligenter observare monet. Propter iram enim calor, qui juxta cor est, ut testatur *Galen. lib. de caus. morb.* & proinde sanguis ipse in venis effervescit, acrimoniam acquirit, partesque jam anteà labefactatas vellicat eroditque.

CAPUT VIII.

Investigatâ igitur & cognitâ morbi natura, curationi quoque aliquot pagellas tribuemus; non enim sufficit causas nosse, nisi etiam, quomodo illæ sint profligandæ, compertum habeamus. Perficitur autem curatio fistulæ, atque ita etiam fistulæ Genæ, uti Antistites artis nostræ docent, modo sequenti: Primo tota victus ratio convenienter est instituenda: quia supervacaneum est, teste Galeno, illis præscribere medicamenta, qui rectam victus rationem servare nequeunt. Illa consistit in regimine sex rerum non naturalium, ut nulla illarum excessu vel defectu noceat. Imprimis observatum, electionem alimentorum glutinosorum & siccorum in tempore consolidationem promovisse, humidorum impedivisse, excandescentiam noxiam fuisse, nimium motum seu exercitium vehementius detrimentum attulisse. Deinde, corpus universum à supervacaneis & noxiis humoribus purgandum, illis tamen prius præparatis juxta *aphor.* 9. *sect.* 2. Ubi quidem in dubium vocari posset, quæstioque illa moveri, an scilicet purgatio in ulceribus & ita in fistulis conveniat & valeat? Movit hanc quæstionem purioris Medicinæ Doctor *Melchior Sebizius in tract. de purgat. disput.* 3. ubi respondet, per se quidem & directè ad ulcerum curationem nihil facere purgationem, & ideò

tan-

tanquam curatorium remedium adhiberi non posse; facere tamen aliquid per accidens, quatenus vitiosos humores, qui affluunt, educit atque ab illis revellit: quo nomine præservatorii præsidii laudes meretur. Accurrentibus enim humoribus noxiis ulcera cava neque carne impleri, neque consolidari possunt. Iisdem verò aversis, & per alvum eductis, curatio facilè, cæteris paribus, succedit; quam ob causam etiam *Galen.* purgatione in ulceribus utitur, uti *lib.*4. *Meth. Med. cap.*5. videre licet. Corpore probè purgato, antequam ad topica descendatur, nonnulli potiones exhibent, quæ partes interiores siccent, roborent, & fistulam ad consolidationem præparent ac expurgent. Tales potiones describit duas *Franc. Peccetius lib.*3. *cap.* 13. quarum etiam meminit *Joh. Tagault. l.*2. *instit. Chirurg. c.*18. *Forest. obs.*16. *l.*7. *Sennert. l. X. part.* 2. *c.* 10. aliique, quas, quoniam à multis, non parvi nominis Autoribus, maximis laudibus extolluntur, lubet hic apponere & sunt sequentes:

Prima

Rec. Agrimon. part. iii.
Plantag. p. ii.
Fol. Olivæ p. i.

Conscindantur minutim & contundantur, posteà in vino albo coquantur, & fiat colatura; de qua singulis diebus, sub auroram, cyathus unus propinetur.

Altera hæc est:

Rec. Osmundæ. part. iii. (*Dioscoridi* filix mas est)
Gentian. p. ii.
Centaur. p. j.

Coquantur eodem modo in vino albo, & fiat potio, quæ ut prior administretur. Hæc potio valdè efficax esse dicitur in ossium corruptorum expulsione.

Joh. Tagault. loco antea citato, optimè factum existimat, si in prædictis decoctionibus nonnihil ligni Guajaci vel Indici (quod lignum sanctum, palum sanctum & palmam sanctam vocant)

aliquot horas maceretur, posteà moderato igne leviter decoquatur, ex colatura, quantum Medico satis esse videbitur, manè bibendum offeratur Cui *Forest. l.* 7. *obs. Chirurg.* subscribit, qui hoc modo, magna cum utilitate, in fistulis omnibus & sinuosis etiam ulceribus, se propinasse potionem hanc, testatur. Alias potiones, ad hanc intentionem aliquid facientes, qui desiderat, videat supra citatos autores, aliosque; hæ duæ saltem sunt, quæ frequenti usu & felici cum successu à plerisque Medicis sunt probatæ: quas etiam in fistula Genæ confirmata, & quæ cum affluxu, locum habere arbitramur. Topica autem quod attinet auxilia, & regimen (ut loquuntur) particulare, quatuor ordine secundum *Tagault. l.* 2. *c.* 18. in curatione fistularum sunt peragenda. Primò, fistulæ orificium, si non satis hiet, hoc est, si nimis strictum fuerit, imò verò & sinus ipse fistularis, usque ad fines ejus, si fieri possit, dilatari debet. *Secundo* callum eximere, fistulamque auferre, atque omninò destruere convenit. *Tertio* post exemptum, quocunque modo etiam id fiat, callum, sordities detergenda veniet. *Quarto* ubi purus jam ab omni sorde sinus videbitur, similiter ac reliqua ulcera ad sanitatem perducitur: nempe glutinatoriis, seu, uti dicunt, incarnantibus medicamentis, & epuloticis, id est cicatricem inducentibus. Nostra verò fistula, terminata ad dentem cariosum, hoc præterea singulare habet, quod, in illius curatione, dentis evulsio, maximam absolvat curationis partem, ut deinceps audiemus. Ad primum quod spectat, dilatatio fistulæ, *Sennert. l.* 5. *part.* 2. *c.* 8. docente, fit vel igne, vel ferro, vel commodius & absque dolore, per penicillos, ex spongiâ, medulla sambuci, radicibus Gentianæ, Aristoloch. Bryoniæ vel etiam Napi exsiccati: Hæc enim in pyramidalem figuram efformata, & parte acuminata in fistulam immissa, humiditatem fistulæ imbibunt, & crassiora redduntur, atque ita pedetentim orificium absque dolore dilatant: quæ etiam interdum, cum callus dilationem impedit, imbuuntur & illinuntur medicamentis, quæ callum auferre apta nata sunt. Sed

animad-

animadvertendum, ne in extractione, si nimis hæreant tentæ, aliqua portio intus maneat; quapropter non ex facile frangibili materia debent fieri, & optime filo alligari. Dilatato, quantum est satis, orificio, ad secundam intentionem deveniendum, id est ad callum eximendum & auferendum, qui tribus modis auferri potest, secundum *Peccetium l.* 8. *c.* 13. *Forest. l.* 7. *obs.* aliosque, vel medicamentis nimirum, vel incisione & ustione, vel incisione tantum. Medicamentis aufertur callus, in iis præcipuè, qui neque ustionem, neque incisionem ferre volunt, ubi recens est fistula & callus non admodum crassus & durus. Hujusmodi autem medicamenta acria & erodentia esse debent, & eo acriora vel minus acria, quo callus crassior vel tenuior fuerit. Inter mitiora, quæ tenuem & recentem callum eximere possunt, sunt omnia valdè detergentia. Inter valentiora Unguent. Apostolic. Ægyptiac. Tabaci succus, Aristoloch. rotund. radix abrasa, melle illita & imposita, spondylii etiam radix derasa & imposita, ut inquit *Paulus Ægineta lib.* 4. *c.* 49. Inter valentissima sunt calcanthum ustum, præcipitatum, cantharidum pulvis, sapo niger, Misy, Chalcitis, Sory (quæ tria tamen hodiè rarò in usum veniunt, aut in officinis prostant) Auripigmentum, lixivium è cinere & viva calce confectnm, arsenicum lotum & pulverisatum, aliaque quæ causticam vim habent. Elleboro magna vis inest contra callos, inquit *Holler. Instit. Chirurg. l.* 3. Injectus fistulæ ad tertium diem callum adimit: Injiciendus è lixivio acri, aut eâ aquâ in qua acria metallica elueris, maceratus. Quod si malum medicamentis hisce non cedat, ad ferrum & ignem transeundum. Quæcunque enim medicamenta non sanat, ea ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat, quæ ignis non sanat, ea incurabilia judicare oportet. Ferrum igitur quod attinet, aufertur callositas illô, modo sequenti: Omnes cavitates & sinus usque ad fistulæ fundum inciduntur, & callus totus vel unguibus, vel specilli acie, vel novacula detrahitur, ut totus sinus ab illo immunis appareat. Ignem quod concernit; primum specillo

aliquantiſper immiſſo, ſinum novacula ſive ſcalpello ſuper ſpecillum incidimus, & ſi plures flexus reperiuntur, hi quoque & ſpecillo & ſcalpello proſequendi ſunt, & ſic ſinus omnes aperiendi & incidendi. Apertis omnibus ſinubus, & fiſtulæ fine invento, ſinus penicillis ex ſtuppa ovi albumine impragnatis, replendi, & deſuper ſplenia ex ſtuppa, eodem ovi albumine imbuta, ſuperponenda, ut dolor leniatur, ſanguis ſiſtatur, & in poſterum diem abſciſſi ſinus dilatati ac aperti ſerventur. Die ſequenti ignito ferramento locus adurendus, vel cauſtica medicamenta applicanda, ut calloſitas auferatur. Poſt fiſtulæ uſtionem, vel ferro, vel cauſtico medicamento factam, aliquod anodynum applicandum, v. g. Ol. Roſac. cum ovi vitello mixtum, vel quid ſimile: deinde quæ cruſtam ſive eſcharam removent, ſunt applicanda, ut eſt butyrum, vel Emplaſtr. factum ex tritici farina, melle & ſucco apii; & alia unctuoſa, quibus uſque ad eſcharæ remotionem, uti debemus. Evidens indicium erit ablatæ calloſitatis & mortificæ fiſtulæ pus optimum & in pauca quantitate ab ulcere excretum, & locus ſine tumore & dolore, & ad unguem ſiccus, ut inquit *Galen. l. 2. ad Glaucon. c. 8.* Curatam igne eſſe fiſtulam gingivæ in dentem finientem, ingenioſiſſimus Vir *Marcus Aurelius Severinus lib. de effic. Med. 2. c. CXV.* teſtatur. Totâ calloſitate jam abſumpta & ablatâ, ſi adhuc quid ſordium reſtet, ſinus detergendus ac purus reddendus, & ſic tertiam intentionem conſequemur. Ulcera enim (inquit *Hippocr. de ulcer.*) quæcunque probè & prout oportet expurgata ſunt, ſemper ad ſicciorem modum germinationem faciunt. Facit autem in hunc finem medicamentum repurgans ac detergens ſequens, quod maximè laudatur:

Rec. Terebinthin. in aq. vit. ablutæ ℥iii.
Succ. apij.
Cynogloſſ. ana ʒvi.
Mellis roſac. colat. ℥iß.
Ariſtoloch. rotund. ʒii.
Farinæ lupinor. ℥ß.

Coquan-

Coquantur ſucci cum melle roſac. uſque ad conſumptionem medietatis, deinde reliqua commiſceantur.

Si prædicto medicamento abſterſorio, myrrha, ſarcocolla, radix arida peucedani & iridis adjungantur, pro carne generanda optimum erit medicamentum, uti *Tagault. Peccetius* aliique dictis in locis teſtantur.

Medicamentum etiam ſequens, pro fiſtula exſiccanda, conglutinanda & parte affecta roboranda, ſummis laudibus à multis Autoribus extollitur:

Rec. Aq. Vitæ ℥ii.
Vini Malvat. ℥i.
Mell. roſac. ʒX.
Myrrhæ
Rad. peuced. tritæ ana ʒii.
Sarcocollæ
Aloes hepat. ana ʒiß.

Miſceantur; deinde bulliant omnia ad ignem moderatum, unico fervore, & per inſtrumentum conveniens injiciatur in fiſtulam. Et his vel ſimilibus medicamentis quartam etiam intentionem conſequemur. Hactenus de quatuor iſtis ſcopis, in curatione fiſtularum obſervandis, in noſtra propterea non negligendis. Singularem verò diximus in noſtra fiſtula terminata ad dentem carioſum eſſe ſcopum, dentem ipſum evellere: quod, quamvis multos hac in parte cunctatores viderim, aſſero, nixus autoritate, experientia & ratione. Autoritatem tibi ſiſto *Celſ. lib. VI. c.* 14. ubi ait: Fit etiam interdum, ut ex Gingivæ ulcere, ſive parulis fuerit, ſive non fuerit, diutius pus feratur, dente aut corrupto, aut fracto, vel aliter vitiato oſſe: maximeque id per fiſtulam evenire conſuevit. Quod ubi incidit, locus aperiendus, dens eximendus, teſta oſſis, ſi qua deceſſit, recipienda eſt. *Aetii*, qui *Tetrabibl.* 2. *ſerm. c.* 26. hæc habet: ubi verò uſque ad radices propinqui dentis fiſtula extenderetur, conandum eſt, ut, quantum poſſibile ſit, per fiſtularia collyria explanetur & per ſiccum, quod flavum appella-

appellatur, melle exceptum curetur, & consimili modo, id quod constat ex ervo, posteà adhibeatur; quod si confusio & perturbatio ægri non comitetur, aut potius libenter hoc ferat, privabis eum dente affecto: hocque modo eruetur & fistula, & considet gingiva; atque omnino facilis erit, quæ deinceps requiritur curatio. *Guido de Cauliaco* ita hoc de re pronuntiat, *Tract.* 4. *doctrin.* 2. *c.* 2. si autem ossata fuerit fistula in gingivis, removeantur dentes & foramen dilatetur. *Julius Cæsar Claudinus in Empiria Rational. l.* 3. ait, si fistula à dente carioso, vel quolibet alio modo affecto foveatur, continuò seu quamprimum dens extrahatur. *Marcus Aurelius Severinus Chir. Efficac. part. II. c.* 120. inquit plerumque accidit ut fistulæ curationem proximus dens eripiat; quam ob rem abundantem hunc nos facimus & abstrahimus. Nec alia mens *Domino Sernerto*, qui *lib.* 11. *pract. part.* 1. *c.* 10. scribit: sanies à dente corrupto nonnunquam per dentium radices & maxillæ illa foramina, per quæ vasa in eas subeunt, sensim extra effluit, & tubercula in mala vel mento excitat, quæ nullo modo curantur, nisi dens extrahatur; etsi enim, ut aliquoties observavi, rumpatur illud tuberculum, & pus collectum effluat, & tuberculum inde subsideat, & probè curatum videatur: tamen post aliquod temporis intervallum, ex sanie è dente carioso, ad eundem locum affluente, aliud tuberculum excitatur, iterumque rumpitur & pus effundit, idque toties accidit, donec dens cariosus extractus sit. Interdum etiam ulcus semper manet apertum & continuò saniem stillat, nequitque claudi, donec dens cariosus extrahatur. Experientiam quod attinet, eam multiplicem exhibet Vir Experientissimus, *Dn. M. Aurelius Severinus* modo citatus, ubi dicit: Ita (scilicet per extractionem dentis) sanatas complures fistulas usu comperi. Graves autem mihi testes, religiosi Viri, Johannes Baptista Garganus Sacerdos, item D. Anastasius Pyrrhomus. Ordinis Cassinensis, Excellentissimus item rerum Theologicarum Doctor & Scriptor D. Antonius Fossus, ex Clericis Regularibus, omnes Neapolitani, qui diu passi fistulas in genis curati feliciter &

con-

continenter hunc in modum fuere. Plura etiam exempla recenset *Dn. Guilielmus Fabricius Hildan. observ. Chirurg. Cent. III. observ. 32. & 33.* Exemplis autem enumeratis ab aliis meritò addo meum; quamprimum enim cariosæ radices dentis, cujus maxima pars consumpta erat, evulsæ fuêre, fistula in Gena, cujus molestias per sesquiannum sustinueram, trium dierum spatio sanata & ad cicatricem deducta fuit. Ratio denique, quæ dentem è medio tollendum suadet, est hujusmodi: Dens cariosus & qui indies magis corrumpitur, ejusmodi estillat saniem, quæ etiam humores subeuntes non minus videtur inquinare, quam quæ ab alimentis cavernulis hujusmodi dentis inhærent, facillimè corrumpuntur, ut testatur summus fœtor: hinc excrementitiorum humorum proventus; quos Natura non desinit per viam paratam exturbare, donec idem dens, à quo labem contrahunt humores, sit è medio sublatus. Verum enim verò oggerere quis posset, integram adhuc esse quæstionem, an dentem, præsertim verò molarem, extrahere tutò liceat? Dissentientes hac de re videntur Doctores, & dissensus sæpè procrastinationis fuit causa, sicut & mihi fuit, & esset etiamnum, nisi rectius sentientium judicium apud me prævaluisset. Dissuadentium argumenta cumprimis sunt sequentia: quod scilicet dentes molares firmioribus alligati sint vinculis, & ita metuendum, ne etiam portio aliqua maxillæ non sine ingenti dolore & hæmorrhagia eximatur, quale exemplum *Riolan. comm. de dentibus* refert: Deinde, quia eruto dente os deformatur, incisio ciborum ferè tollitur, expressius loquendi libertas intercipitur &c. Qui extractionem dentis commendant, provocant ad experientiam; procul dubio autem extractio toties tentata fuit, quia ratio, quam modo tetigi, magni momenti visa est. Quamvis autem quia sensus facit fidem, videri quidem posset, opus ratione non esse: Nos tamen illam insuper habere noluimus, & propterea etiam respondemus ad argumenta in contrarium allata, verbis nunquam satis laudati *Domini D. Melchioris Sebizii disp. de Dentibus ultim:* Præstat dentis facere jacturam, os habere aliquan-

aliquantulum deforme, incisione ciborum solidorum carere, imperfectius literulas quasdam pronunciare, laxioribus paulò mobilioribusque dentibus præditum esse, dolorem aliquem & sanguinis fluxum, qui tamen sisti potest, semel sustinere, quàm miserè semper torqueri. Ne verò nimis temerè etiam sententiam meam tueri videar, sequentes canones observandos esse puto: primò, ut dentis evulsio ab aliquo perito & exercitato Chirurgo instituatur: secundò ut, ante extractionem corpus probè sit vacuatum, si vel plethorâ vel cacochymiâ laboraverit: tertiò ut moderatio manûs adhibeatur, nam violentiore dentium molarium extractione, oculi cerebrumque haud mediocriter concutiuntur: quartò, ne extirpetur dens, qui ægrè admodum emovetur, sed prius si inhæreat fortius, scalpris circumradatur, & gingivæ ab illo quantum licet separentur, donec benè mobilis evadat. Nam fortiter inhærens, cum uno evellitur impetu, maxilla sæpè frangitur, ejusque fragmentum una cum dente educitur: unde oriuntur febris, hæmorrhagiæ, quæ compesci facile nequeunt, symptomataque alia, eaque non parvi momenti, inter quæ & convulsio. Et hæ sunt intentiones, quas cumprimis observandas esse putamus. Nunc considerando quoque breviter accidentia seu symptomata, quæ durante fistulâ notatâ accidere solent & opem exposcunt. Sunt autem præcipua Hæmorrhagia, Caro excrescens luxurians, Os corruptum & Vermes. Oritur autem hæmorrhagia fistulæ plerumque ex nimio motu (quod aliquoties mihi contigit) quapropter quies imperanda, quam etiam plurimum conferre ulceribus *Hipp. lib. de illis* testatur. Maxillæ, si læsa, celeriter succurrendum. Si caries superficiem duntaxat occupaverit, tum satis erit abradere usque ad partem sanam: quod cognoscitur quando os album apparebit, & aliquantulum cruentum: quo facto applicabitur pulvis cephalicus seu catagmaticus exsiccans, ut ex aristolochiæ & myrrhæ æqualibus partibus, donec caro laudabilis renascatur. Quando verò caries est profunda, cauterio actuali vel potentiali curetur, ut aqua forti, oleo vitrioli,

caryo-

caryophill. de camphor. ad quem uſum etiam Dioſcorides euphorbium valdè commendat. Exereſcentia carnis ſi adeſt, auferenda alumine uſto, vel xyloaloe, vel oſſe ſepiæ. Vermes ſi adſint, quod aliquando accidit, aloe cremata inſpergitur, veratr. alb. cum melle imponitur, polii & abſynthii pulvis cum pice, plantag. arefacta, centaurium minus, marrubium, calamintha, porrum & ſimilia uſurpantur. Calaminthæ ſuccus ab *Oribaſio lib.* 3. valdè commendatur,



IV.

RELATIO CHIRURGICA DUNKIRCHENSIUM DE SCORBUTO INTER MILITES GREGARIOS GRASSANTE.

NOs Medici & Chirurgi Regii in Noſocomio Regio Dünkirchenſi referimus hiſce, quod à DN. Intendente requiſiti fuerimus, ut omnes ægros in dicto modò noſocomiô inveniendos, confeſtim viſitaremus eoſque conſignaremus, qui Scorbuto infecti decumbunt, ut in aliud noſo-

dochium illis conveniens transportari poſſint. Prævia igitur accurata examinatione 400. perſonas ſcorbuto infectas offendimus, quas ab aliis ſegregandas eſſe cenſemus, ne malum hoc alios ſimul inficiat. Sign. *Dunkirchii, die* 8. *Octobr. A.* 1668.

Quandoquidem verò inter reliqua Scorbuti ſymptomata affectus gingivarum, cumprimis autem *Epulis* & *Parulis*, frequentiſſimè incommodent, hique tumores longè aliter ac alii tractandi ſint; hinc

CURATIONEM

illorum è *Diſputatione Inaugurali* Nobiliſſ. *Dn. Franckii à Franckenau*, junioris, ſub præſidio Illuſtris *Dn. Schellhameri* de EPULIDE & PARULIDE Jenæ habita, hic ſubjungimus, quæ cum cæteris ita ſe habet:

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

§. I.

Cum noster scopus requirat, ut præsentem dissertationem rectô tramite aggrediamur, non abs re fore existimo affectus hujus ONOMATOLOGIAM primô locô rimari. Vocatur autem *Epulis*, quæ vox Latina civitate donata, quippe Græcis ἐπουλὶς audi. Componitur verò ex ἐπὶ, quod hoc in casu circa, vel super & supra & τὸ οὖλον gingiva, prout notat *Joh. Scapula, in Lex. Gr. Lat.* quasi dicas *supergingivalis*, puta *morbus. Excrescentia Gingivæ* itidem apud Latinos eô nomine venit: *Joh. Crispinus in Lex. suo Fr. Lat. sub lit. E.* pariter hanc vocem ita vertit, ut & *P. Forest. Lib. XIV. obs.* 16. *in schol. Jonston. synt. univ. Med. Pr. l. 3. tit.* 12. *Joh. Georg. Walther sylv. med. lit. G. Joh. Ronseus enarrat. ad Corn. Celsi l.* 6. *c.* 13. *f.* 596. *& Joh. Gorræus in definit. Med. lit. E. Tuberculum*, *Fel. Platero obs. l. 3. p.* 648 *Caruncula* in ore, & *M. Sebiz. in sp. Med. Pr. part.* 2. *sect.* 4. *c.* 8. atque Celeberr. *Ettmüllero oper. in fol. edit. p.* 1. *C. Pr. c.* 3. *p. m.* 112. *Luxuries* & *dentium superincarnatio* vocatur: non satis accurate. Belgis appellari solere Bastert Vleis, ut *Steph. Blancardus in Lexico Medico* ait: Ast longe aliud simul ad epulidem requiritur, ita ut non satis perspectam habere epulidis naturam videatur Blancardus. In *Fabro Buchneri per Cellar. f. m.* 876. *ita*: Epulis, idis, ἐπουλὶς, excrescentia gingivæ, caruncula inter dentes gingivis enata, daß Fleisch zwischen den Zähnen / valde inepte! quod tamen Lexicographo non Medico facile condonabitur. Παρουλὶς verò simili compositione est ad gingivam ortus morbus, & *Jul. Polluci Onom. lib.* 4. *c.* 25. dicitur οὔλων ἀπόστασις, gingivarum defectio, teste *Joh. Rhodio in not. ad Scrib. Larg. comp.* 61. Gingivam vero deficere putat à suppuratione, non soluta sc. inflammatione; cui contrariatur maximè *Fallopius tract. de Tumor. p. n. altero & postremo cap.* 27. dum ait: sic dici tanquam nova gingiva addita

priori, παρυλὶς, quasi gingiva parva, oborta alteri. Nos autem jure Jul. Polluci subscribimus, ἀποςασὶν tamen non defectionem, sed abscessum esse interpretandum arbitramur, ut sit idem quod ἀπόςημα.

§. 2.

Hæc de nomine; solicitum me nunc ordo esse jubet de ipsa re. Cujus notitia non ex aliis quam Græcis auctoribus petenda, vocabulo ab his primùm usurpato. Et in *Hippocrate* quidem ejus mentio nominatim non legitur cum illis temporibus nondum exculta adeo esset Medicina, ut singuli morbi, morborumque genera, propriis suis nominibus gauderent. Non tamen absolutè inde concludendum existimo, ipsi planè fuisse incognitos hos morbos; quid enim aliud in *Coac. prænot. c. 2. t.* 154. per ἀπόςημα παρὰ ὖλον, γενόμενον, *abscessum circa gingivam* indigitat? & alibi *lib. 6. Epid. s. 7. t.* 58. οὔλων ἐφελκώσιες τῶν ἐπιόντων ἐπὶ ὀδόντας, *gingivarum dentes ambientium exulcerationes* vocat, Item *lib.* 6. *Epid. s. 6. t.* 44. παρὰ τὰ οὖλα ἐμπυήσιες, *circa gingivas exulcerationes*, porro *lib. 5. Epid. c. 35. t.* 14. οὖλα ὑπερσάρκωσιν, *gingivarum carnis superexcrescentiam*. ut & *lib.* 7. *Epid. c.* 55. *t.* 1. vid. *q. Galenus* autem eorum meminit *Lib. de Tumoribus cap.* 21. sed unô tantùm verbô, id tantùm addens: *nihil selectum habentes Aetius* & *Ægineta*, scriptores eo recentiores, prolixius eorum meminere. Et ille quidem *Tetrabibl. II. serm.* 4. *cap.* 24. & 25. *Parulis est inflammatio*, ait, *partis alicujus Gingivarum cùm tumore, quæ, ubi non dissolvitur, suppuratur. Epulis est excrescentia carnis ab inflammatione consecuta, juxta interiorem dentem molarem, aliquando cum febre & vehementi dolore internarum mandibularum, ut neque os aperire ægro liceat, contingens. Æginet*a vero bis eorum facit mentionem diversis in locis. Primum *Lib.* 3. *cap.* 26. cum Aëtio per omnia consentiens, nisi quod Epulidem non *ad interiorem, sed ad intimos molares* dentes dicat pertinere, adeoque latius paulo subjectum extendat, & *libro sexto*, ubi sic utramque brevissimè delineat: *Epulis carnis tuberculum est, juxta*

juxta dentium aliquem in gingivis oriens. Parulis exiguus abscessus est, gingivas infestans. Ex quibus satis, ni fallor, cum natura, tùm differentia horum patet. Consentiunt autem his, seu potius ex ipsorum mente de iis agunt, auctores reliqui, tantùm non omnes: *Joh. Rhodius ad Scrib. Largum. c.* 61. *Cæl. Rhodiginus Lib. IV.* L. *Antiq. Gorræus in Defin. Med. Dan. Sennertus Prax. l.* 2. *c.* 16. *Forestus obs. Lib. XIV. obs.* 16. *Sorbait M. Pr. part.* 1. *c.* 32. *Schmitzius in Comp. Pr. c. nott. Rumpfii. p.* 439. *&c.* Quo magis miror tam exiguam Differentiam inter Epulidem & Parulidem facere insigne illud olim Lycei Altdorfini ornamentum *Casp. Hoffmannum Inst: Med.* L. *III. c.* 154. ut ubi sit, ne quidem satis de ea constare dicat, & si qua sit, gradualem tantùm esse, quam τὸ ἐπὶ inferat, ut ἐπουλὶς sit major, παρουλὶς verò minor inflammatio. Sanè excrescentiam inter & simplicem tumorem gingivarum cum inflammatione tanta est diversitas, quantum inter tumulum & erumpentes ex terra arbusculas: quàm maximam esse, nemo non videt, ita, ut non possimus non à Viro summè ceteroquin venerando dissentire. Est nimirum Epulis excrescentia, sæpe inflammationem insequens, adeoque à Parulide ad Epulidem non raro fit transitus, si non recte curetur, ut ex ulcere pravo Epulis exsurgat. Quod agnoscit in *Idea Medicinæ Jonstonus Lib. VIII. Artic. II. Tit.* 12. ubi ait: *Ulcus* (a parulide, de qua loquitur) *si malè curatum est, caruncula extat & prominet, Epulis nuncupata.* Quod ex *Sennerto* didicit, qui totidem pene verbis idem asserit *Prax. Lib. II. c.* 16. initio, & eadem mox fusius repetit, ad finem capitis. Consentit *Forestus obs. citata in scholio. Fernelius Univ. Med. Pathol.* L. *V. c.* 8. aliique. Et quamvis aliter *Fallopius* Epulidem exponat, quod nempe sit luxuries gingivæ ambientis ultimum dentem, quæ eam supergressa, se inter dentem ac dentem insinuet, est tamen hæc descriptio aperte contra *Paulum*, qui dicit esse tuberculum juxta dentium aliquem: quamvis possit forte conciliari cum Aëtii descriptione, quem tamen aliud quem Paulum innuisse, vix licet existimare. Aliud

autem

autem est gingivæ abundantia, aliud excrescentia post inflammationem, ulcus, vel similia, foretque hæc non ἐπουλὶς sed ἐποδοντὶς appellanda. Longissime vero à scopo recedit *Joel Prax. Lib. II.* quando Epulidem putat vesiculas circa radices dentium significare.

§. 3.

Cùm igitur, quodnam morbi genus sit παρουλὶς & ἐπουλὶς, erutum à nobis sit, ulterius quæ ad eorum naturam & proprietatem pertinent, exponenda. Et de Parulide quidem nihil prope monendum aliud est, nisi quod calere, & supra reliquarum gingivarum purpuram rubere, dolereque, quod abscessibus omnibus est proprium, deprehendatur. Cum hac vero coincidere omnino videntur παροδόντιδες *Celsi Lib. VI. cap.* 13. licet aliqui hoc loco παρουλίδας legendum censeant, quod nomen hoc παροδόντιδες à nullo Græcorum usurpatum observetur; cum tamen *Joh. Crispinus & Rob. Constantinus in Lex. Græc. Lat. f.* 1236. inquiant: παροδόντιδες tubercula in gingivis nascentia, παρουλίδες: Nihil ergo obstare, quò minus & hoc retineri & in usum vocari queat, docent *Joh. Rhodius lib. d. Gorræus in Def. Med. Forestus* & Excellentissimus D. D. *Bruno*, Patronus atque Præceptor, Altdorfii dum viverem, maximè suspiciendus *in Lex. Med. p.* 672. Epulis autem non simplex tantùm carnosa excrescentia est, sed spongiosa, laxa & flaccida, notante Venerabili dum viveret Sene, *Melch. Sebizio, Spec. Med. Pr. part. 2. sect. 4. c.* 8. & post eum *in Idea Jonstono*, qualis fere luxurians illa caro, quam nostri Chirurgi emphaticè satis Wildfleisch appellare consueverunt, esse solet, quod apprimè contra Fallopium notandum est. Sed neque universus gingivarum ambitus ei obnoxius est, verùm ad intimos molares dentes fere adhæret, illisque accidit frequentissimus, quod mecum confirmant celeberrimi Viri antea citati, *Paulus*, *Aetius*, *Sennertus*, *Gorræus*, *Schmizius* in compend. Omnibonus *Ferrarius*, qui id in infantibus quoque observavit, *Sorbait* & denique alii. Quandò vero ad dentium radices in gingivis propullulant

lulant hæc mala, non omnino præter rem facere videbimur, si utriusque generis harum partium naturam rimemur cum solicitudine, cumprimis quoniam à dentium maxillæque carie Epulis sæpe renascitur, ut deinceps patebit. Pergo igitur nunc ad

CAPUT II.

§. 1.

QUod partem affectam seu SUBJECTUM PRIMARIUM Epulidis attinet, illud communiter ab Auctoribus statuitur ipsa gingivarum caro, Gr. dicta τὸ οὖλον (ἀπὸ τοῦ εἰλεῖν, ab involvendo, quasi involucrum dentium, censente *Adr. Spigel. de Hum. Corp. Fabr. L. c. p. 7.*) sive à teneritate & mollitie, existimante *Henr. Stephano in Lex. Gr. Lat. Tom. 2. lit. O.* ut ἡ συνέχουσα τοὺς ὀδόντας σάρξ. *Fr. Sylburg. in Etymol. Magn. lit. O. p.* 641. *Ruf. Ephes. l. cit. Gorræo def. Med. fol.* 255. Heic neutiquam silentii peplo involvenda erit elegantissima illa distinctio *Jul. Polluc.* οὖλα enim vocari scribit carnes, quæ extra dentes ambiunt, ἔνουλα vero quæ intra, teste eod. *Henr. Steph. Lib. d. hancqu. Pollucis*: etsi distinctionem hanc apud se ambitiosam esse pronuntiet *Casp. Hoffman. Inst. Med. l. 2. c. 92. §. 1. p.* 181. vide, sis, & *Cæl. Rhodig. L. Ant. l.* 4. p. m. 112. ad h. l. Antequam vero ulteriorem operam examinando subjecto impendamus, non ingratum B. L. fore existimo, si à proposito nostro paulatim declinaro, & pauca quædam de *Dentium* & *Gingivarum* natura, horumque substantia, structura, vasis item sanguiferis, nervis atque lymphaticis hisce præmisero.

§. 2.

A DENTIBUS ipsis primo exordiri lubet, horumque *naturam* simul ac *substantiam* tantisper contemplari. Osseam esse eorum substantiam, duram, politam, ob minimos poros, unde & naturalis albedo dependet, atque cavam, pronunciavit jam olim *Aristot. l. 1. de Hist. anim. c.* 2. ubi dentes osseos

vocat;

vocat; neque alia ipsius mens *lib.* 3.*c.*9. quo ossium naturam æmulari docet: subscribit *Galenus* passim, & *Vidus Vidius l.* 4. *de Tuend. Val. c.* 8. *p.* 139. *Laurentius* & alii, quod sint ossa, sed sui generis; accuratius quidem *Scalig. Exerc.* 191. sentit, eos ossa esse suæ speciei, sumendo os loco generis, dentem loco speciei, sed his non diu insistemus, quoniam plura huc spectantia videri possunt ap. *Gerh. Blasium in Comment. ad Joh. Vesling. synt. An. p. m.* 170. *Gottofr. Mæbium in fund. Med. Physiol. c.* 9. *de usu dentium p. m.* III. *Laur. Strausium in palæstr. M. Pr. p.* 1. *gymn.* 23. *p. m.* 356. *seq.* Sic πολυμαθέστατ☉ Vir C. *Hoffman. Inst. Med. l.* 2. *c.* 92. § 3. ait: Qui hoc impugnat, *eos* sophistas nuncupat *Galen. l. de oss.* 5. imo *Joh. van Horne in microcos.* ossa esse scribit, licet quibusdam prærogativis gaudeant, & adhuc aliqua præ aliis ossibus habeant peculiaria, quæ tamen ideo non excludant eos ab ossium numero: Idem sensit *Th. Barthol. Anat.* 3. *Ref. lib. IV. c.* 12. *p.* 501. Hæc ipsa etenim fabrica ansam præbuit ingenioso otio abutentibus nonnullis speculatoribus, ut quæstionem moverent, an in ossium civitatem recipiendi sint dentes nec ne? quorum argumentis respondet *Laurentius* c.l. in prærogativas vero illas à Clarissimo Mœbio abductas inquirit & sub accuratiorem limam eas revocat Excell. D. D. *J. M. Hoffman.* Patronus atque Præceptor omni observantia & cultu suspiciendus in not. *ad eund. laudat. Hornium, qui pl. vid. p.* 37. *seqq.* easdemque non tantopere ait esse æstimandas, sed partim falsas & dentibus minime proprias.

§. 3.

Exterior substantia Bartholino est solidior ac durior, quæ non dolet, *interior* paulo mollior, sentiens, ob nervi & membranæ viciniam (quam tamen rationem meam non facio) habetque in se cavitatem, ampliorem in puerulis, & ad septimum annum tenui squama, instar favorum apum circumseptam, mucoque repletam, in adultis resiccato humore diminutam. Componitur enim *interior* hæc *dentium* substantia, ut in calcinatis dentibus observa-

vit

vit Nobiliss. *Dominic. Galiardi in Anat. oss. nov. invent. illustr.* mihi à Famigratissimo per universum Belgium Anatomico DD. *Ant. Nuckio* in Celebert Lugdun. Univ. Anat. & Chir P. P. meritissimo, ex singulari, qua erga exteros pollet, humanitate, communicata *part. 1. c. 2. obs. 2. cum annexa icone 3. Tab. 2.* ex innumerabilibus ac validissimis filamentis, pilorum more, quasi perpendiculariter à superficie interioris substantiæ elevatis, quorum nonnulla etiam intra dictam substantiam paululum radicata conspiciuntur; & sane adeo mirifico modo inter se disposita ac ordinata sunt, ut quasi parallela videantur, inter se contigua tamen sunt, ac concrescibili succo tenacissime inter se hærentia: hanc vero opinionem, tanquam nostro genio minus arridentem, ipsi remittimus Auctori, persuasi nos melius facturos, si eandem cum Clarissimo *Bidloo in Anat. C. H. Tab. 92.* foveamus sententiam, qui ope microscopii lamellas ac strias osseas in iis observavit, quas quidem & intercedunt tubuli (Hollandis Pypen vocati) & ab oculatissimo Microscopiorum hodierno Inventore Dn. *Ant. van Leevvenhœck* mihi præsenti t. t. ad oculum clare, una cum aliis sane non contemnendis experimentis, demonstrati, ubi & in vexati Eboris particula experimenta reiterata exhibebantur, licet ob pororum angustiam majorem non adeo ac in priori essent dignoscibiles; ex quo sua & ipse depromsit supra memoratus *Gottofr. Bidloo.* Hoc totum magis distincte etiam in dentibus puerorum observatur à *Th. Barthol l. s. d.* & præcipue in molaribus ac nondum penitus obduratis, sed adhuc intra suos alveolos latitantibus, qui tamen diu insolari debent, donec sponte sua plurimæ scissuræ appareant: quod citius etiam accidet, si frequenter madefiant. Dicendum etiam aliquid de naturali *dentium albedine*, dependente à minimis eorum poris (uti supr. memoravi) quam ita concipimus: Radii scil. incidentes in eam foras reflectuntur ad nostros oculos: quo igitur substantia ipsorum durior fuerit & politior, eo sicque æqualior, eo magis albicant: contrarium vero si obtineat, ad nigredinem vergit eorum color: quod exinde etiam

ex parte probatur, quod, qui nimio Sacchari usu delectantur, item alimenta sæpe sumentibus nimis calida eos nigricantes habent; in his enim culpantur particulæ vehementi in motu constitutæ, quæ poros earum laxant: in prioribus vero Saccharum ob particulas ⊖ inas accusatur, quæ, cum sint admodum acutæ, pertebrant dentium substantiam, variosque & amplos efformant poros, in quibus cum radii lucidi in eos incidentes suffocentur, nigricans color oboritur, prout abunde ex *Dioptrica Cartesii* sumus edocti. Conf. *tr. de Hom.* Viri Med. simul & Philosophi, *Th. Craanen* c. 5. p. m. 33.

§. 4.

STRUCTURA aliâs dentes sunt læves ac æquales, & nudi, parte qua ex alveolis extant, nulloque periosteo obvoluti. In quadrupedibus, & præcipue in vitulorum dentibus, CL mus naturæ perscrutator *Malpighius* internam structuram detexit, & egregie in suis iconibus *lib. de Anat. plant.* expressit. In hominis vero dentibus internæ partis structura valde obscura est; nam quamvis hæc pars calcinetur, variisque liquoribus emollientibus ac dissolventibus maceretur, ac licet per medium dissectam, aut in minutas partes trituratam perfectissimo quovis microscopio intueamur, nullatenus sufficienter percipi potest; quare & ingenue fatetur Doctiss. *Dom. Galiardi in Anat. Oss. nov. inv. illust.* Romæque 1689. impr. p. 1. c. 2. obs. 2. licet egregie in vitulinis dentibus detecta sit, in humanis tamen hanc partem sibi adhuc absconditam videri. Hic diligenter notandum porro, quod *Adr. Spiegel. l. 2. de H. C. F. c.* 13. *p.* 55. refert, observatum esse à se dentium, præsertim incisorum (fortassis molarium legendum) caninorumque radices, quibus alveoli infiguntur, nonnunquam curva acutie latius præsepiolis suis infigi, quo fit ut plurimum roboris ipsa articulatio nanciscatur, sed admodum periculose ipsi postea dentes evellantur, cum cedere nequeant, nisi pars quædam una de ipso alveolo auferatur, quod tamen sine gravissimis symptomatis nunquam accidit. Unde & periti Chirurgi manum his admovere non audent; norunt enim illico vel digi-

tis

tis admotis contrectantes, utrum extrahi possint nec ne: itaque non omnes statim ad hanc operationem admittendi, sed illi demum, qui in ea se exercitarunt, quod, priusquam ad vivos accedant, in craniis demortuorum, recentibus præsertim, fieri debet, monente Excellentiss. *Dno Præside*, Patrono ac Promotore ævi-ternum colendo. Servant autem hunc proprium semper sibi ordinem, ut incisores minores, majores canini, maximi molares, & inter hos posteriores sint. Dissimili denique ratione dentes quàm reliqua ossa constructi videntur, quoniam non solum meditullio (de infantibus enim non loquor) seu parte spongiosâ utplurimum orbati sunt, verùm etiam nec in squamulas eos dissolvi posse (variis licet præparationibus adhibitis) multoties expertus est *Dom. Gagliardi. l. supr. laud.* nec in aliter figuratas particulas facile facessunt; quare non mirum, *pergit* idem, si nonnulli Anatomici dubitarint, an inter ossa connumeranda essent? Ob singularem itaque duritiem & compactissimam hanc substantiam non solum validius continuæ triturationi resistere possunt, sed etiam commodius reparari, si quæ in mandendis durioribus cibis eorum pars decedit, quæ per tubulos lamellis interjacentes facile apponitur. Neque enim repugnat partes adeo solidas eo nutriri; nam quò magis ad minima coaptandæ particulæ redactæ sunt, eò melius firmiusque nutriendis partibus apponuntur ac inhærent, ut innumeris experimentis constat, & ratio ipsa suadet. Si credimus iterum Dom. *Gagliardi.* c. l. in hac dentium structurâ considerandum præterea venit, quod interdum dentes peccent in *magnitudine aucta*, quando nimirùm plus justo prominent, præsertim anteriores: nonnunquam etiam in *magnitudine imminuta*, & fiant dentes breviores; vel ob externas injurias, vel quando ob putredinem & cariem particulæ secedunt, ut habet *Gothofr. Mæbius in fund. Med. Phys. c. 9. §. 10.*

§. 5.

DIFFERUNT partim figura, partim officio. Dentes enim sunt triplicis ordinis, primo *Incisores* (vocantur & quibusdam

primores, vid. Doctiss. Viri *Jac. Pancr. Brunonis*, Patroni atque Præceptoris mei jugiter colendi *Lex. Castell. ren. p. m.* 295, *lit. D.*) Eorum in utraque maxilla sunt 4. acuti & lati: primo loco positi conspiciuntur, ut cibos statim arripere & mordendo discindere queant; Græc. πρόθιοι, τομεῖς & διχαστῆρες quoque dicuntur, unde & *Cæl. Rhodig. Ant. L. l.* 4. *p.* 111. *temnici* nuncupantur, rectè asserenti, quod ad literarum expressionem & enunciationem dentes conferant plurimum, præcipuè quidem primi. Primores hi & canini unica radice, molares duabus, tribus vel quatuor innituntur, uti de superioribus testantur *Gerh. Blasius in Comm. ad Vesl. p.* 176. *St. Blancard. An. Ref. p.* 2. *c.* 32. *Abuali Ibinssina*, vulgo *Avicenna* vocatus, solùm genuinis quartam radicem competere tradit. Molares autem inferiores utplurimum radicibus præditi sunt duabus, ut ipsemet aliquoties in evulsis observavi, & mecum alii: cujus rei rationes has communiter dant Autores (1.) quod substantia maxillæ superioris mollior sit & rarior, quàm inferioris. (2.) quod inferiores gravitate suâ incumbant in radices, contra ac superiores, qui penduli sunt, adeoque de pluribus vinculis studiosa Mater, Natura, benignissimè his prospexit; superioresque insuper, & inferiores ad unam æqualem amussim fabricavit. Ubi & ex *Lindenio* hoc notabile, quod omnes fecerit geminos, & opposuerit non tantum dextris sinistros, sed & utrinque servârit eandem proportionem radicum, præsepiorum seu alveolorum, ligamentorum, vasorum, ceterorumque. Porro quùm inter ridendum denudentur hi primi, *Risorii*, γελασῖνοι vocantur Jul. Polluc. teste, *Vid. ad h. l.* quoque Celeberr. *Georg. Wolffg. Wedelius*, Fautor atque Patronus supra omnem laudem positus, *in Physiol. M. sect.* 3. *c.* 7. *p.* 110. & *M. Sebiz. in spec. Pr. p.* 2. *sect.* 4. *c.* 10. Hos imprimis vocis articulationem juvare, ornatumque, si absque vitio sint formati, addere scribit *Mœbius l. s. dict.* ideoque & illis animalibus, quæ cibum non masticatum deglutiunt, conceduntur, quo mediantibus iis prædam arripiant atque evellant, v. gr. piscibus nonnullis & ruminantibus plerisque: Vid. Famigeratiss. Viri *Joh.*

Bohnii

Bohnii Circ. Anat. Physiol. prog. 9. p. m. 131. Proximi inciforibus, *acuti & canini* vulgo dicti, ad majus robur quasi succenturiati adstant, κυνοδόντες à figuræ similitudine, canum dentes repræsentante, denominati, itemque *oculares*, quoniam cum oculis, ope exilis propaginis nervorum oculos moventium ad ipsos dimissæ, peculiarem συμπάθειαν habere creduntur, quam tamen negat *Isbr. Diemerbroeck Anat. l. 9. c. 10. q. v.* Apud *Artemidorum* μεσήλικες dici putantur. Ceterùm dentes canini acuti & rotundi conspiciuntur, ut si quid propter duritiem sese præscindi tenuerit, confringant. Succedunt denique *molares*, it: *molitores Blancardo & Blasio in Comm, ad Vesl. Synt. An. p. m.* 174. à molendo sic dicti, quod molant quasi cibum, eum comminuendo & lævigando; Græc. vocantur μῦλοι, μυλῖται & κραντῆρες, teste communi Germaniæ Doctore *C. Hoffmanno Inst. Med. l. 2. c. 92. §. 7.* qui & plura *in Doctiss. Comment. ad Gal. l. 11. de U. P. c. 8. sect. 9. p. 247. seqq.* ibid. de Dentibus disserit, & Excell. *Brunone in Lex. M. l. c.* Τράπεζαι *Ruffo*, & *Maxillares*, item *Mandibulares*, quia majorem partem occupant maxillæ, ut apud *G. Blasium* l. all. legere est. Hi ab officio ita dicti cibos molendo conterunt, cui fini latam & asperam seu inæqualem obtinent superficiem, latam ideò, ne quicquam eorum examen tam facilè subterfugere possit: asperam ad exactiorem molituram; hinc molitores lapides molares, si diuturno usu lævigati fuerint, malleis ferreis denuò excidunt atque exasperant. Quod enim priores dentes occeperunt, id perficiunt & complent molares. Vid. *Gottofr. Mœbius in fund. phys. c. 9. §. 14. Vidus Vidius l. 4. de Tuend. Val. c. 8. p. 194. Th. Barthol. An. Ref. l. 4. c. 13. p. m. 505. seq.* Famigeratiss. Vir *Georg. Wolffg. Wedelius in phys. med. s. 3. c. 7.* ait: reverà hanc esse quandam molam portatilem microcosmicam, pro individui ipsius usu confectam. Excell. D. D. *Hoffmannus in Doctiss. diss. phys. ad Horne microt. §. 13. p. m.* 41. Horum extremos duos non juvenili sed provectiore ætate prodeuntes *Hippocr.* σωφρονιστῆρες dicti, *Lat. Genuini morum ac sapientiæ dentes* nuncupant; quos *Varro* post annos fere septenos enasci tradidit, teste *Cæl. Rhod.*

l. s. all. Vid. porro *Hadr. Spigel. l. 2. de H.C. F. c. 13. p. 17. G. Blasius in Comm. ad Vesl. p. m.* 174. *Isbr. Diemerbr. Anat. l.* 9. *c.* 11. & *Steph. Blanc. An. Ref. p.* 2. *c.* 32. Visi tamen etiam tum demum erumpere (subinde maximis cum cruciatibus, aliquando vero indolenter) quando sapere incipiunt homines, aliquando in summâ senectâ, uti notant *Aristoteles, Walæus, & alii, teste Th. Barthol. l. all.* & undique Celeberr. Viro *Casp. Hoffmann. Inst. M. l.* 2. *c.* 92. §. 5. 6. & 7. *q. vid.* Descriptionem vero satis accuratam dentis molaris videre licet apud *Cœl. Rhodiginum L. ant. l.* 4. ubi ait, illam partem quæ gingivæ assidet, momiscum dici, superiorem vero, qua conficiuntur cibi, Trapezam, i. e. mensam, cavitates autem homiscos, veluti mortariola, spatium denique interlocatum dentibus harmum nuncupari. Plura ad symmetriam ac proportionem horum dentium spectantia vide, sis, ap. *Barthol. Eustachium lib. pec. de Dent. c.* 13.

§. 6.

NUMERUM Dentium si quis inire vult, præsupponat oportet ætatem: nam hic nobis non sermo est de infantibus, sed de adultioribus. Plerumque enim in qualibet maxilla numerantur ad summum 16. idque in Viris, ordinariè 14. & is numerus mulieribus familiaris: qualem, id est duo de triginta, ipsis etiam assignat *Cœl. Rhodig. Ant. L. l.* 4. raroque plures in ipsis convisos: ait in homine vero (sub quo solùm mares comprehendit) ad duos increscere & triginta, ut sint in totum illis 28. his autem 32. Confirmant hoc *Barth. Eustach. l. p. de dent. c.* 3. *p.* 8. *qui pl. vid. Vidius l.* 5. *supr. C. Hoffmann. l. d.* § 9. *Th. Bartholin. An. Ref. l.* 4. *c.* 12. *Mœbius in fund. Ph.* 1. 9. §. 13. *Isbr. Diemerbr. An. l. all. p.* 577. *Gottofr. Bidloo Anat. C. H.* figuris elegantiss. æneis adornata *Tab.* 92. *Joh. van Horne in Micror. c. not. J. M. Hoffman.* §. 13 *p. m.* 36. Honoratissimus Dn. *Parens, in Inst. Med. syn.* §. 10. Primores sc. incisores numero sunt 4. in qualibet maxilla (quibusdam etiam duo) canini duo, utrinque unus in maxilla: non enim multis caninis egebat homo, ait *Th. Barth. l. all.* cùm sit animal

man-

mansuetum, & manibus utatur; molarium plures sunt homini quàm incisorum, communiter autem numerantur 20. utrinque in qualibet maxilla 5. quamvis numerus variet, uti supra dictum. Diversitatem hanc molaribus inesse, qui modo plures sint, modo pauciores, raroque admodum debitum numerum explere, statuit *Adr. Spigel. lib. de H.C.F.2.c.13.p.56.* Hic præterea legi etiam merentur ea, quæ *B. Eustach. l. Pec. de Dent. c.29.* habet, ubi varias dentium formas, & numerum præter naturam institutum recenset, quod & alii passim annotârunt Viri docti.

§. 7.

COLLOCANTUR sive INFIGUNTUR dentes maxillarum alveolis: repeto verba Incomparabilis Germaniæ Archiatri Senisque sanctè venerandi, *Joh. Jac. Wepferi*, Viri antiquæ fidei & morum incorruptorum exemplaris, priscæ virtutis Germanicæ & Practici Sagacissimi, quem duplici nomine heic publicè nomino, scil. ob firmissimam cum Honoratiss. D. Parente amicitiam, & insignem favorem, quo aliâs multoties, maximè vero ante biennium me domi suæ Scaphusii beavit, illo tempore in castris Electoral. Saxonicis commorantem, eundemque continuare non destitit: quin super hoc meo themate consultus d. 19. Jan. A. 1691. prolixissimas benevolentiæ & Eruditionis summæ literas ad me in Belgium ablegavit, è quibus tanquam Cynosurâ accuratâ subinde deinceps quædam allegabo: Et nunc quidem ista: Maxilla utraque „in circuitu habet alveolos seu loculos pro dentibus, qui elapsis „dentibus sensim obliterantur & in calvariis per annos in ossuariis „conspicitur superficies illa, cui alveoli insculpti fuerant, „plana & æqualis. Maxillæ vestiuntur foris periosteo: supe„rioris os maximum & quartum intus habet sinus, seu cavernas, „quas succingit membrana tenuis & nervea, prædita venis, „arteriis, vasisque lymphaticis. Per meatum vero singularem in „medio exsculptum feruntur quoque vasa sanguifera & nervi „aliorsum tendentes, postquàm rimulos inferioribus partibus

im-

„impertierunt. In ſinubus continetur alicubi medulla, ut quidam „credunt, nutritioni dentium inſerviens: ob ſanguifera vaſa, ſinus „maxillarum tranſeuntia, ſeu rupta, ſeu ſponte oſculis illorum reſera-„tis, adurgente ſanguine, imprimis in maxilla inferiore, vix com-„peſcibilem hæmorrhagiam exortam aliquoties obſervavi. Utrius-„que maxillæ oſſa circa alveolos fragilia ſunt, etiam in maxilla in-„feriore, quamvis inferior alias ſit dura & valida, magis tamen „ſuperior, quæ ſpongioſior eſt ſinuoſiorque, unde finduntur, ſæpe-„que in extractione dentium ſimul fruſtula abripiuntur, ſubſequen-„tibus nonnunquam graviſſimis affectibus: Vinculis porro robuſtis, „quæ racidibus adhærent, alligantur præſepiolis ſuis. Hæc autem vincula nihil eſſe aliud, quam vaſa cum nervo, quæ ex magnis illis ramis, maxillam intra ſuas laminas permeantibus & prope caninos externe exeuntibus, membranula involuta ſingulis ſubmittuntur, non vana nobis naſcitur ſuſpicio. *Connexionis* hujus modum Gomphoſin, ſeu conclavationem Veteres appellarunt (quamvis accuratius diſtinguat Celeberr. *D. D. Bruno in Lex. Med. p.* 131. *a.* ubi ita: βόθριον foveola ſignificat alveolum & cavitatem cujusque dentis, quemadmodum phatnia oſſa, quibus continentur dentes, *Galenus de Oſſ. c.* 5.) qua maxillis ut clavi infiguntur ligno: *Vid. ad. h. l. M. Sebiz. p.* 2. *ſect.* 4. *c.* 10. qui per ἐναρθρώσεως ſpeciem fieri aſſerit, quæ γόμφωσις dici meretur, *Th. Barthol. An. Ref. lib.* 4. *c.* 12. *Mœbium in fund. phyſ. c.* 9. *Isbr. Diemerb. An. l.* 9. *c.* 10. *Hadr. Spiegel. l. de H. C. F. c.* 33. addentem pro diverſo, quo adaptantur modo, diverſas etiam alias articulationum ſpecies confici videri. Concurrit tamen etiam ratione membranarum & vinculorum συνδέσμωσις, per quæ firmiter foveis ſuis alligantur, & συσσάρκωσις, ſi gingivarum carnem ſpectes, inferiorem dentium partem ambitu ſuo firmantem: hinc illis nimia vi extractis ſummi dolores, rheumatiſmi, & quandoque convulſiones ſuccedunt, quam *Spigelii* opinionem & ſuam facit *J. M. Hoffmann. in ſuis. not. ad Joh. van. Horne microc.* §. 13. Ordo vero ipſe dentium ac ſeries dicitur phragmus *Cæl. Rhodig. l. d. p.* 112. tanquam ſepem appelles. Controvertitur denique

apud

apud nonnullos an dentes in primordio in homunculo, ut reliquæ partes, congeniti sint, vel potius aliis jam efformatis producantur: quæ sanè discrepantia facilè dirimitur, si adhuc teneræ abortuum mandibulæ investigentur, in quibus, licet perexigui ac friabiles, suis alveolis inclusi ipsi etiam latitare conspiciuntur, ut non semel vidimus. Imo eorum origo ac incrementum non exiguam quidem admirationem affert; etenim in eorum principio nullum prorsus radicum vestigium reperitur, sed in ea parte ubi adesse debent, quadratum insculptum reperitur, in parte vero opposita, quâ è gingivis erumpere debent, prominentiæ nonnullæ exiguæ & non secus ac in quibusdam coronis acuminatæ, elevantur, & præcipuè circa peripheriam, relicto spatiô intermediô excavato, quo paulatim mox repleto, germinare incipit: à primordio tanquàm tubulus non perfectè rotundus propagatur, verum ulterius elongata in alios minores tubulos dividitur, qui, quò magis extenduntur, non solùm inter se distinctiores fiunt, verùm etiam sese acuminando, in perfectas radices abeunt. Quarè natura in genesi inverso quodam ordine procedere testatur *Dom. Gagliardi Anat. nov. inv. illustr. p. 63. seq.* dum radices, quæ solent ante omnia erumpere, in dentibus ultimæ sunt. Prominentiæ verò illæ exiguæ in id videntur datæ, quo facilius, erumpentes, gingivam dividant. Quod fieri non posset, si tum essent prorsus lati & obtusi. Unde etiam primis eruptionis diebus acuminatum quid, instar acus prominentis, non autem latum aut cuneiforme, admoto digito, in tenellis sentitur, observante Magnifico *Dn. Præside*, cui succedentes sensim reliquæ partes excrescendo se applicant, dentemque formant.

§. 8.

VASA SANGUIFERA pariter obtinent dentes, tàm *arteriosa*, quam *venosa*. De *Arteriolis* nunc primum nobis dicendum erit. Feruntur hæ per foramina radicum, ad interiorem cavitatem pro nutritione & augmentatione penetrant: unde ex inflammatione dolor aliquando pulsatorius fit dentium, quem *Gale-*

nus in ſemet expertus eſt, teſtibus *Barth. Euſtach. l. pec. de dent. c.* 20. *& ſeq.* ut & *Th. Barthol. lib. dict.* cujus & *Platerus* in fabro ferrario & Clariſſ. *Sengverdius* meminit *Exerc. Phyſ.* 7. Hinc multùm lucidi ſanguinis ex dente perforato aliquando emanat, & nonnunquàm ad mortem uſque: prout αὐτόπτης teſtatur *B. Euſtach. l. d.* De menſibus ſuppreſſis per eliſi molaris alveolum ſingulis menſibus juſta quantitate rejectis exemplum videmus in *Rouſſeto lib. de hom. primord. & hiſt. aff.* Recipiunt vero ſinguli horum arteriam à carotidibus ſeu Soporalibus aliis dictis. Conf. *C. Hoffm. Inſt. Med. L. all.* §. 11. *Gott. Mœbium in fund. M. Phyſ. c.* 9. §. 12. *p.* 124. *Riolan. l.* 4. *Encheir. An. c.* 8. *& Highmor. diſq. anat. p.* 260. *teſte L. Strauſſ. in Pal. Med. Progym.* 23. *p.* 1. *p. m.* 357. Honoratiſſ. *Dn. Parent. Synopſ. Inſtit. Med.* §. 10. *Blaſius in Comm. ad Veſl. p. m.* 171. *Steph. Blancard. An. ref. l. c.* Oriuntur arteriæ hæ ab externarum Carotidum ramis, anteriore & poſteriore. A poſteriore arteriæ arteriæ binæ ſub aure maxillam inferiorem ingrediuntur, & ſecundum ejus longitudinem in omnium dentium inferiorum radices diſſeminantur. Hiſce in vaſis ſtatuit *Mœbius l. jam all.* humores acres unà cum ſanguine dentes provenire, quibus illorum membranula exquiſitè ſentiens & interiorem eorum cavitatem ſuccingens eroditur, unde dolores illi dentium exquiſitiſſimi ortum ducunt. Quod concedimus, ſi dens integer minimeque eroſus ſit, alias enim non opus eſt iis ambagibus. Anterior aſt ſurculus ad aurem dividitur, ramulumque quendam ad maxillarem ſuperiorem emittit, qui dentibus ſuperioribus inſervit, atque inde per tempora ac frontem capitisque anteriora in muſculos, cæteraſque faciei partes ſuperiores, uſque ad capitis faſtigium abſumptus repit. *Helmont. in tr. de alim. tart. in potu* §. 24. *p. m.* 251. *b.* aliam fovet ſententiam, ubi ita ſcribit: Notandum, dentem nedum in ſui fundo ſeu radice nutriri, ſed etiam lateraliter ex ipſis gingivis. Teſtes ſunt ipſæ gingivæ cruentæ, vel minus ſanæ, dentibus non aptè cohærentes, qui caveas ſeu foſſulas ad dentem malè nutritum abinde ab ſuæ indiſpoſitio-

nis

nis exordio relinquant, dentemque nigrore extravenati sui cruoris tingant; tum etiam postremo, qnod dens subter gingivam acutissimi sit sensus, quo extra eam caret. Verum Helmontii hæc nova & anatomicis observationibus nullis fulta sententia doctiorum applausum minime meretur. Mitto ergo hæc & ad *venulas* me recipio, quibus à provida Natura cernuntur donati. Proveniunt autem eædem *à Jugulari interna*, in duos ramos, exteriorem ac interiorem divisa: ab interiori dentes maxillæ superioris omnes venas habent: ab exteriore inferioris: Conf. *C. Hoffm. Inst. M. l. c. Vidus Vidius de Tuend. Val. l.* 4. *c.* 8. *Hadr. Spigel. l.* 2. *de H. C. F. c.* 13. *p.* 56. *Gerh. Blasius in Comm. ad Vesl. p.* 172. In homine illas non ita manifestè (uti nec per venæ tunicæ oculo adnatæ) sed in bove manifestissimè conspici, Auctor est *Th. Barthol. An. Ref. l.* 4. *c.* 12. *Isbr. Diemerbr. An. l.* 9. *c.* 10. Hæ pro revehendo sanguine post nutritionem & augmentationem continuam dentibus inserviunt: Et quia nihil solet incustoditum natura relinquere, misit unà propagines piæ matris valdè sensilis, quæ cavitates illas intrinsecus totas oblinit. Vid. *Sebizii Disp.* 1. *de Dent.* §. 9.

Insuper à Polydædala Natura dentes NERVULIS mollibus & tenuibus quamplurimis instructos esse videmus, sensus munia partim, partim roboris exsequendi gratia, videlicet prout ipsis [illegible]um animalem affundunt, à tertio nervorum cerebri vulgo dicto conjugio propagatis, ut patet ex *Galeno l.* 16. *V. P. c.* 3. *Bauhin. Theatr. Anat. l.* 13. *c.* 77. *p.* 918. *Zacut. Lusit. l.* 1. *Med. P. P. Hist.* 67. *p.* 507. *seq. C. Hoffm. Inst. Med. L. all.* & in *Comm. ad Gal. l. XI. de V. P. c.* 8. *Hadr. Spigelio l. jam laud. Mœbio in fund. phys. c.* 9. §. 12. A quarti paris ramo refert *Joh. Veslingius in synt. An. c.* 13. *Isbr. Diemerbr. Anat. l. c. Steph. Blancard. An. Ref. part.* 2. *c.* 32 qui vero *part.* 1. *c.* 11. *in Neurolog. p.* 154 *Willisium* secutus aliter sentit. In homine *licet horum vasculorum ingressus commode demonstrari nequeat*, in brutis majoribus tamen experientia hoc negotium reddit clarius. Nam si bovis maxilla interior aperiatur, mox ca-

vitas medullam continens & 3. vascula, arteria, vena, nervus, membranula peculiari obvoluta occurrunt: Discissa vero membranula, nervus ex pluribus quasi funiculis conflatus videtur, inter quos arteriæ venæque propagines feruntur. Membranula autem sublevata, fibræ nonnullæ telis aranearum similes ab ea ad dentium radices protendi conspiciuntur, & si molaris vel incisorius sensim è proprio alveolo extrahatur, fibras istas gracillimas dentis radici adhærere & è maxillæ cavitate extendi, observatu facile est. Hanc rem in homine se eodem modo habere, nemo est qui dubitat: manifesta per maxillam inferiorem præsertim & ampla satis, etiam in sceletis, patente via. Quo referantur & illa quæ habet *B. Eustach. lib. pec. de Dent. c. 21. seq.* A quinti paris ramo, *Th. Bartholino* dicto, ramulos quoque ad dentes abire docet *Riolanus Anthropogr. l. 4. c. 2.* is enim quintam conjugationem in majorem & minorem surculum dirimit; à posteriori surculo hos tantummodo mutari autumat dentes. Accuratissimus hujus seculi Neurographus *Vieussens, Medicus Manspeliens. l. 3. Neurogr. Univ. c. 3. p. m. 172. Edit. Lugdun. in. fol.* è quintæ conjugationis *nervo anteriori* hujusque *ramo minore inferiore* nervos potiri dentes statuit, cui merito & nos subscribimus: Idem enim sagacissimus Vir observavit prædictum *ramum minorem inferiorem*, ubi è cranio per tertium alterutrius lateris foramen emersit, in tres ramulos dividi, quorum *primus*, postquam surculos musculo masseteri, faciei integumentis, gingivarum carni, & racidibus dentium maxillæ superioris impertiit, sinum peculiarem ossis infimam orbitæ partem constituentis subire: figuram insuper Tab. æneæ solertissime incisam pro uberiori mentis indagine hisce subjunxit, quæ pag. 175. ejusd. l. sese exhibet. Porro è *rami majoris* ac *posterioris* nervi quintæ conjug. *secunda ac media propagine*, uno emisso surculo, sinum intra os mandibulæ inferioris excavatum ingredi testatur prælaudatus Auctor *p. seq. lib. d.* ubi plures exserit fibrillas, quæ dentium radices penetrant, ita ut nerveæ ejusmodi fibrillæ arteriolis, ab arteria carotide productis, & venulis in venam jugularem internam desinentibus

tibus comitatæ per foramina fere insensilia dentium radicibus incisa exiguos sinus intra dentes ipsos excavatos subeant, & inibi quemadmodum in exiguis sinibus dentium maxillæ superioris, una cum membranis vasorum ipsas concomitantium ita explicentur, ut in membranam abeant, quæ oblongæ vesiculæ figuram referat & in vehementissimis Dentium Doloribus afficiatur: Conf. hic merito suo subtiliss. Nervorum Scrutator *Th. Willis. l. de cerebri Anat. c.* 17. *& cap.* 22. cujus opinionem supra laudatus Dn. *Vieussens* pluribus confirmatam nobis tradit, quæ verba quoque *è VVillisio l.c.* repetit *Steph. Blancard. A.R.p.* 1. *c.* 11. *in Neurol.* quod & ante hos notavit Clariss. *Barth. Eustach. l. p. de Dent. c.* 25. Præterea eadem *secunda sc. ac media propago* ad radicem quarti dentis molaris pervenit, ubi postea in duos surculos dirimitur, sc. in minorem ac crassiorem, de quo alibi apud ipsum prælaudatum *Vieussens* agitur.

§. 10.

De USU *Dentium* nunc etiam aliqua dicenda forent, sed cum eorum utilitas summe necessaria in vulgus quoque sit nota, ut nempe partim loquelæ recte efformandæ, partim quoque cibis apprehendendis, incidendis, comminuendis (uti supra jam tum memoravimus) ac probè masticandis, tum etiam ad ornatum multum faciunt, testis est Excell. Dn. *VVedelius* Patronus & Hospes ætatem colendus, *in Theorem. suis part.* 1. *sect.* 4. partim vero etiam pro robore ac propria tutela in animantibus conducunt, de quibus *Barth. Eustach. lib. pec. de Dent.* aliiqui doctissimi Viri pluribus dudum egerunt, ulteriori ac prolixiori huic labori lubens supersedeo. Non tamen hic prætereo elegantem illam observationem, quam Clariss. Dn. *Gagliardi loco supra laud. descr. in Anat. Oss. nov. inv. illustr. p.* 62. refert, de dentibus chalybe collisis & præsertim in externo eorum involucro, interdum non secus ac silices percussos scintillas igneas emittentibus: quare hoc non erit speciale ossium Leonum privilegium, ut aliqui opinati sunt: & denique si vera sunt quæ de quibusdam narrantur, qui scintillas igneas ex ore emiserunt, stante dicta observatione, prodigiosum non existi-

mandum fore crederem, cum vel ex forti dentium inter se confricatione, vel ex trituratione valida alicujus solidæ ac facile ignibilis materiæ resultare potuisse, non sit prorsus rationi dissonum. Mirum videtur *Lud. Cæl. Rhodigino Ant. Lect. l.* 4. *p.* 111. quod avibus attributi hi non sint, rationem ex siccitate calida petenti, quæ nec præmansum cibum valeat conficere; verum hic aliud edocti, pace Tanti Viri, melius reputamus statui à modernis, dentium locum in istiusmodi animantibus rectissime rostrum vario modo figuratum ac incurvatum supplere. Inesse denique præsagia dentibus credidit *Aristoteles*: nam quibus rariores fuerint, haud ita diu vivere opinatus est, quoniam quæ dentium ordine sint prædita numerosiore, esse item vitæ productioris, quod virorum exemplo, quibus plures quam fœminis tribuit, confirmare annititur; sed uti hoc postremum infirmo stare mihi videtur talo, sic primum tamen non carere ratione arbitror. Indicant enim dentes multi robur & materiæ copiam formando fœtui fuisse, unde & robustum corpus ac viribus valens exsurgere necessum est. Iccirco, quoniam ordo nos jubet, ut ad propositum redeamus, à quo digressi sumus, ne prolixiores in Dentium Scrutinio Amico Lectori nauseam pariamus, recto tramite aggredior nunc

CAPUT III.

§. I.

GIngivarum Carnem (à gignendis dentibus dictam *Isidoro l.* 11. *orig. c.* 1. *a. ut Melch. Sebiz. in sp. M. Pr.* vult, non quod dentes gignat, sed quòd dentitionis tempore perforetur, & genitos jam dentes erumpere sinat: *part.* 2. *sect.* 4. *c.* 7.) meritò ab Auctoribus pro genuino Parulidis subjecto ab omnibus habetur, prout in anteced. ex parte ostendi; de Epulide autem potest dubitari, an non etiam ex corrupti dentis radicibus earumque internam cavitatem vestiente membranula oriri possit, prout ex observatio-

tionibus, infra, ubi de causis agimus, à nobis afferendis, clarius patescet. Interim gingivarum constitutionis notitiam tàm ad Epulidis, quàm ad Parulidis indolem, generationis modum & curationem recte perspiciendam summè necessariam existimavit ὁδηγός meus, Magnus *Wepferus*: deprehendunt autem Anatomici esse carnem sui generis, sicque à *C. Hoffmanno Inst. M. l. 2. c. 92.* & *Th. Craanen in tr. de Hom. c. 6.* salutatur, cujus substantiam ac vasa nunc paululum contemplabimur. Antequàm verò id fiat, auctoritatem Virorum gravissimorum, celebrique Praxi clarissimorum, hæc mecum confirmantium & illas pro subjecto habentium, adducemus; inter quos haud ultimo loco nominandus *Dan. Sennert. in Praxi l. 2. part. 1. c. 16.* cujus beatissimos manes adhucdum veneramur, it. *Jonstonus in Synt. Univ. med. Pr. l. 5. 5. Tit. 12. Vict. Trincavellius l. 3. sect. 6. c. 2. & P. Forest. l. 14. obs. Med. c. 16, &c.*

§. 2.

Proinde ut fidem datam servemus, *gingivarum substantiæ, structuræ, vasorumque* declarationi paulisper vacare oportet; quoniam eædem tanquam τὸ πρῶτον ὑποκείμενον hoc in casu omnibus habentur; hæ etenim tàm in superiori quàm inferiori maxilla, facilè visum nostrum subeunt. Constituit verò eas caro duriuscula & immobilis, quæ dentes instar alicujus valli munit, quâ de re videri possunt *Th. Barthol. An. Ref. l. 3. c. 12. M. Sebiz. Sp. M. Pr. p. 2. sect. 4. c. 7. Isbr. Diemerbr. Anat. l. 3. c. 22.* aut, ut utar verbis Magnif. *Wepferi*, utriusque maxillæ & dentium gingivæ sunt caro sui generis, immobilis sc. in extremo ambitu maxillarum dentes in suis alveolis detinens, instar vinculi aut ligamenti & quasi circumvallans, non tamen subiens cavitatem alveolorum. Caro hæc ubi proximè attingit dentes, duriuscula est, ut officium ligamenti seu vinculi præstare possit: magis induratur alveolis obliteratis, unde in edentulis dentium vices agit, atque aliquo modo masticationi inservit. Prope osseam tetigit in vetulâ, cui duo

tan-

tantùm dentes supererant, unus in superiore, alter in inferiore maxilla. Utcunque arcte dentibus adhæreat, nihilominus vel unguibus vel spatulâ obtusâ non difficulter ab iisdem separatur: quod Chirurgi periti ante extractionem facere solent, non secus ac cutis extremum, radicem seu Lunulam unguium ambiens, facile secernitur ab illis qui exuvias digitorum præcavere volunt. Reliqua gingivarum caro tenera est, unde à Gr. οὖλα vocantur. Diversam non nihil ab his fovet opinionem *Joh. van Horne in Microc. sua p. m.* 15. gingivarum substantiam mollem ac fungosam pronuncians. Ceterùm *carnem* esse diximus, quod rubor & facilis cruentatio, (qui rubicundus color indicat vasculorum sanguiferorum hinc inde discurrentium copiam) tum, si absumta fuerit, prompta itidem regeneratio indicare videntur; *fungosam* verò eandem vel potius glandulosam suo modo existere, ex humorum absorptorum citâ intumescentia, affluxum sequente, cognoscimus. Propius quoque ad hæc accedere videtur Steph. *Blancard: An. Ref. l. c.* dum ait, plurimis præterea glandulosis acinis gingivas scatere, ex quibus continuo humor quidam extillat: cujus ulteriorem fidem nobis facit *Nic. Steno l. de gland. oris* §. 21. qui ex plurimis glandulosæ carnis quasi fragmentis, immo glomis fibrarum, nervorum, vasorumque & membranarum ope inter se connexis constitui vult. *Gottofr. Bidloo Anat. C. H. Tab.* 13. gingivarum carnem fibrosarum, instar lamellarum juxta se positarum, dentem quodammodo circumambulantem, ejus adaucta per microscopium structura proponit, glandulasque fibrarum harum ductibus intersitas in affixa Icone X. clare demonstrat, & *seq. Tab.* 14. *fig.* 4. eandem superioris gingivæ carnem cum Palato communem esse ostendit & sub hac glandulas per ejus corpus numerosissimè dispersas, unà cum fibrosis earundem connexionibus ibidem exhibet. Teguntur gingivæ membranâ seu cuticula simili illi, qua lingua partesque oris internæ operiuntur; imo eadem. *Vid. Disp. pec. Altdorfi hab. à J. D. Mullero Anno* 1675. *p.* 15.

§. 3.

§. 3.

Mollem adhæc *carnem* cum Doctiss. Viro *Joh. van Horne l. s. all.* statuimus; puta s. n. in juvenibus & consistentis ætatis hominibus; in adultis enim & edentulis aliter se habet, dum resiccata cartilagineam acquirit duritiem, mandibulamque senibus pro scipione esse juvat, teste *J. M. Hoffmanno in not. ad J. van Horne Microc. §*.13. hocque pacto optimè conciliari possunt illi Auctores *§. anteced. all.* qui gingivarum carni duritiem attribuunt quandam, si suam opinionem pro ratione ætatis conceptam, cum nostra velint conjungere. Infinita pariter *Vascula* sanguifera hic obveniunt, tàm *arteriosa*, quàm *Venosa* ab iis, quæ ad dentes itare dictum est, teste *C. Hoffman. Inst. M. l.* 2. *c.*92. *§*.13. *&* *Vido Vidio l.* 4. *de T. Val. c.*8. in quem finem, Celeberr. Vir *M. Ettmuller. Oper. in fol. ed. p.*1. *Coll. Pr. c.*3. annotatum vult, nutriri dentem non solùm per propria sua vascula, arteriolas ac venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam ex adhærentibus ipsis gingivis: quam sententiam ab Helmontio hausit, nos autem vanam esse supra ostendimus. Nihil equidem per poros transsudante sanguine nutriri potest, omnium vero minime ossa, quæ ne guttam sanguinis recipere, ipsosque dentes ejus nihil prorsus continere, multo videtur veritati convenientius: vasa autem ex gingivis in dentes abeuntia hactenus nondum innotuere. *Nervulis* demum gaudere plurimis, ipse testatur sensus, veluti, quibus intempestivè parulides aperiuntur, abundè experiuntur. Et quidem, expansiones fibrillarum nervearum admodum sensibilium conspectui nostro in αὐτοψίᾳ cuilibet patent, hæque à prioribus, à solertissimo *Willisio* & *R. Vieussens antec. cap. §*. 10. memoratis producuntur, qui evolvi possunt. *Lymphaticis* etiam gingivam præditam esse vasis, statuit Ἰατρικώτατος *Wepferus*, in laudatis ad me literis. *Blancard. in Anat Ref.* (quem & supra tetigimus) acinos glandulosos adesse conjicit ex perpetuo illarum madore; nam nudis oculis non conspici, quæ tamen conjectura satis est infirma: mador enim ex ductibus salivalibus, & glandulis oris provenire posset.

§. 4.

USUM Gingivarum quod ſpectat, aliàs is habetur, ut dentium ordinem obſepiat, atque oppletis eorum intervallis, vacillaturam eorum compagem firmet, nec minus oris ornamento inſerviat; immo in edentulis aliquid ad ciborum contritionem faciat: *Vid. Blancard. A. R. p.* 1. *c.* 16. *J. M. Hoffmann. l. laud. & Th. Bartholin. l. c. His adde Vid. Vidium l.* 4. *de T. Val. c.* 8. *M. Sebiz. Sp. P. M. l. d. Zacut. Luſit. Hiſt. M. l.* 6. *p.* 923. Nos autem cum pace tantorum virorum hæc vix admitti poſſe exiſtimamus; non enim credibile molliſſimam carnem duriſſimis dentibus firmitudinem præſtare poſſe, qui alveolis ſuis, ea etiam ſublata, firmiſſimè inhærent, vel integrâ etiam gingiva, ſi quid p. n. ipſis accidat, deprehenduntur vacillare; itaque cùm ad ſalivam augendam, tum maximè ad contegenda maxillarum oſſa, quæ nuda exiſtere admodum erat inconveniens, hic appoſitas eſſe arbitramur.

§. 5.

Declarato itaque ſubjecto, ad CAUSARUM ſcrutinium me accingo, nam tum demum ex ſententia *Ariſtotelis* ſcimus, quando cauſas cognoſcimus. De Parulide autem primo erimus ſoliciti, & cum duplici ſerie nobis obveniant, ſc. immediata ſeu proxima & mediata, quæ vel propinquior vel remotior habetur, de ſingulis ordine loquar. A CAUSA autem IMMEDIATA ſeu PROXIMA exordiri placet: hanc optimè aſſignamus inflammationi in gingivis obviæ; in omni enim cum Parulide, tum Epulide obſervatur prius inflammatio, quæ ob ſpongioſam & mollem gingivarum raritatem intumeſcentiam interdum tantam cauſatur, ut dentes molares obtegantur, de quâ re *Vid. Jonſton. in Synt. Un. Med. Pr. l.* 3. *tit.* 12. *Gorræus. in def. Med. lit. E. Zacut. Luſit. Prax. Admir. l.* 1. *obſ.* 93. *P. Sorbait Med. Pr. l. c. Petr. Foreſtus obſ. Med. l.* 14. *obſ.* 16. *Schmiz. in Comp. Pr. c. not. Rumpfii. p. cit.* Sunt enim gingivæ per dictam ſuam

ſtructuram idoneæ, quibus ingens affluentis materiæ copia contineatur, & hoc pacto Parulis conſtituitur. Aſt cum id non uno contingat modo, nec ſponte ſua vel ſecundum naturam, viſendæ erunt aliæ cauſæ, principem hanc inferentes læſionem.

§. 6.

CAUSÆ MEDIATÆ & quidem *propinquioris* vicem ſupplent omnia illa, quæ activitate ſua ſpongioſam, vel potius glanduloſam gingivarum carnem plus juſto tendere norunt, item crebro novi ſanguinis alluentis appulſu has ſenſim ſenſimque laxare calidiorique ſolent inflammare. Adſunt vero primo ſtatim & in limine Humores: neque enim multiplices ab Auctoribus deſcriptæ intemperies absque M. S. contemplatione ſufficienter exponi queunt, quoties nempe ſanguis particulis calidis ac bilioſis, vel ſeroſis acribus abundans ei occaſionem præbet, teſte *Foreſto obſ. Med. l.c.* Ubi nimirum humores nimium affluentes ſeroſi, acres, bilioſi, nimiaque alluvie gingivarum ſubſtantiam diſtendendo attollunt, ibidemque ſubſiſtunt, quales in ſcorbuticis alias ſolent obſervari, valdeque ipſis familiares eſſe conſtat. Hinc forſan conjecturari licet, M. S. copioso ⊖e acri impraegnatam eſſe, quæ ſi huc propellatur, plurimis ſuis particulis, heterogeneis, ac corroſivis fermè, ſcindendo & pungendo facilè perrumpit vaſcula gingivarum ſanguifera, ac vellicando multas ægro creare ſolet moleſtias, ſiquidem in ſcorbuto maculæ rubicundæ & lividæ per totum corpus diſperſæ ſufficiens nobis teſtimonium perhibent, quatenus ⊖ illud acre, corroſivum, fixum aperit oſcula vaſorum capillarium, ſub cute excurrentium, quæ proinde ſanguinem fundunt, qui extravaſatur, & ſub cute deliteſcens, translucet, maculamque conſtituit vel rubicundam, vel lividam, prout ad alkalicum aut acidum ſanguinis corruptio magis inclinat. Frequentiſſimè verò iſta gingivarum mala oriuntur *ſaliva*, vel in genere acriore, vel in ſpecie ſcorbutico ſapore ſive

 vitioſo

vitioſo acri ⊖e inquinatæ culpa (prout jam diximus) à qua *tonus fibrarum* gingivarum reſolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus ſucceſſive, non raro ſenſibili admodum cum pruritu erodi aſſolent: De his pluribus conſule *M. Ettmüller. Oper. in fol. p.* 1. *coll. pr. c.* 3. Neque exſors culpæ planè habendum erit acidum, quod adhuc plus præſtare poterit, ſi ſanguini inſit, quoniam ejus partes diviſæ facilius penetrant quosvis partium poros ſubtilitate ſua. Accedit harum particularum figura, ab utroque latere ſcindens, hoc in caſu pollicem mihi premente ipſo Celeberrimo Lugdunenſium quondam ſydere, B. D. *Craanenio, Oecon. Anim. part.* 1. *quæſt.* 14. & *tr. de Hom. c.* 6. addente non ſemper ſignum reciprocum eſſe ſcorbuti cruentationem gingivarum, quoniam illa vaſcula propius in uno homine quam in alio ad ſuperficiem earum excurrere viſum eſt, adeoque facilius ab externis injuriis affici; præterea caro gingivarum etiam variat, in uno enim ſubjecto mollior & tenuior, in alio craſſior & firmior eſſe ſolet, & hinc vaſcula minime inter ſe cohærent firmo nexu, ut propterea facile diſrumpantur. Porro in iis qui medicamentis Mercuriabilibus utuntur, multo Mercurio acri onuſtus eſſe poteſt, adeoque etiam facile illa perrumpere, ſicque gingivarum hæmorrhagiam parere; quis ergo ſemper ſcorbutum adeſſe ex hac tam audacter colliget? *Videſis p. ad h. l. in Diſp. inaug. Altdorfi habita à D. J. D. Müllero*, ubi & *th.* 18. *Clariſſ. D. D. Jac. Barneri* mentionem facit, ob ſibi communicatam obſervationem, qui Studioſum noverat quendam, cui tam acris exſtillabat ſanguis, ut cum ſputo rejectus non tantum chartam prorſus exederet, ac foraminulentam redderet, ſed ipſum etiam in quem exſpuebat, murum: ut & *Anton. Weber. Diſp. inaug. de ſcorb. Lugd. Bat.* 1646. *hab. th.* 34. dicentem: gingivarum ſanguinolentiam, laxitatem, putredinem ac fœtorem *Plinium* & *Strabonem* uno nomine ſtomacacen appellaſſe; quod & alibi nos legiſſe recordamur. Sic pro ſigno concomittante ſcorbuti habet *Dolæus in Encycl. M. Th. Pr. l,* 3. *c.* 12. cum ex gingivis præter conſuetudinem ſanguis facile exprimitur: Cruorem etiam ſi leviter attingantur emittere,

mittere, qui grave oleat; testatur *M. Sebiz. Sp. M. P. part. 2. sect. 4. c. 8.* causa mali sanguini seroso vitioso, & corrupto, quicopiosius ad gingivas fluit, assignata: qui interdum ex vitiosorum humorum vaporibus à ventriculo ascendentibus gigni cum *V. Trincavell. l. 3. sect 6. c. 2.* credunt, maximè falluntur, cum non in remotis alienisque quærendum sit agris, quod propius & domi quasi nascitur; Hæc ὡς ἐν παρόδῳ de scorbuto diximus.

§. 7.

Sed properandum nobis est ad CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES, ubi in classe rerum primo naturalium deprehendimus *ætatem*. Tam juvenilis autem quam infantilis huic malo obnoxia est, quod notarunt Practici expertissimi: de infantili inter alios vid. & *Omnibon. Ferrar. de Art. M. Infant l. 3. c. 30.* Sexus nulla hic prærogativa est, neque sequioris major in morbum propensio, quamvis nonnulli vitam hujus sedentariam nullibi non soleant inculpare. Hinc ἰατρικώτατος *Wepferus ita: Nullus sexus, nulla æ-*
„tas dentata est, cui non quandoque gingivæ nunc versus linguam
„aut platum in utraque maxilla tumore inflammatorio corripian-
„tur, palerumque præcedente vel comitante odontalgia: quando-
„que simul horrendè malæ intumescunt, idque ob circulum sangui-
„nis, ex arteriarum ramusculis in surculos venosos & Lymphaticos,
„impeditum, vel in gingivis, vel circa radices dentium, subinde
„de in utroque loco simul.

§. 8.

Res nonnaturales quoque suis heic minime destituuntur viribus. Experiuntur id incommodi illi, qui sub *aere* à salso maris halitu infecto degunt, quem auctores frigido humido credunt peccare, sed falluntur. Venti quibusdam etiam haud innocenter accusati; commovent enim humores, ac catarrhis ansam subministrant, quod in illis consuetum esse, qui in locis vivunt aquosis & humidis, quale sunt nautæ & piscatores, docente *P. Foresto Obs. Med. l.* 14. *Obs.* 16. *p.* 117. Vide & *M. Sebiz in sp. M. Pr. part. 2. sect.* 4. *c.* 8. & *Vict. Trincav. in Euch. Med. l.* 3. *sect. 6. c. 2. p. m.* 427. Huc pertinet

quod *Hippocr. sect. aph.* 21. æstivum aerem accusat, dum æstate cum aliis etiam σομάτων ἑλκώσεις provenire asserit: quod locum habet, tum quia sanguis tum temporis calidior est, tum etiam quod acriorem & fixiorem fieri, exhalantibus subtilioribus particulis, rationi consentaneum est. *Alimenta* calida, salsa, acria, præsertim carnes ⊖e conditæ & fumo induratæ omniaque illa, quæ in scorbuto accusari solent: item caseus antiquus, rancidus, putrilaginosus, de quo *Lud. Nonnius l.* 2. *c.* 17. maximopere vero Tyrotarichus, de quo *Cicero ad Papir, Pætum l.* 9. *& Artic. l.* 4. *& Erasm. chiliad.* 5. *cent.* 1. *adag.* 16. *f. m.* 1061. *& Apicius. l.* 4. *ac. Cœl. Rhodig. l.* 3. *c* 26. *ap. Auctorem Fori Rom. T.* 3. *f.* 1004. symbolum conferre possunt. Sic *Forestus Obs.* 16. *l.* 14. in propria uxore idem observavit, cum tempore quadragesimali halecibus ⊖sis, tum fumo induratis, supra modum delectata, intemperantius ea in cibum adhibuisset. Præsertim vero Saccharum gingivis atque dentibus valde nocere asserit *Schenck l.* 1. *Obs. p.* 200. *Sebiz. l.* 2. *de fac. alim. p.* 525. *& Vogler. Diætet. comm. c.* 9. *p.* 33. A quo tamen, num in hoc affectu aliquid metuendum sit, dubium videtur. *Potus* quoque generosior, humori vitali pabulum largius subministrando, hocque modo sanguinem accendendo, morbo ansam dare potest, quod cuilibet est obvium judicare. Possemus & reliqua huc pertinentia variis edocere exemplis; verum quid nimiæ *Vigiliæ*, longior *somnus*: *Excretorum* pariter ac *retentorum* negligenter habita ratio, *motus corporis* & *animi* modum excedentes in M. S. valdè alteranda, eâque concitandâ præstare valeant, vel obiter in hoc argumento versatum latere vix potest: *Vide, sis, Horst. in lib. de Tuend. S. Stud. Quercet. in Diætet.* aliosque plures.

§. 9.

Res p. n. uti variæ, ita nec minoris momenti sunt; sic *P. de Largelata l. all. f.* 46. *a.* inquit: *Ista apostemata quandoque fiunt à materia descendente à capite, & quandoque etiam ob communitatē sto-*

stomachi & quandoque etiam propter aliam ægritudinem; prius assertum confirmat Expertissimi Wepferi observatio infra à nobis recensenda, de Nobili Erudito, cui post hemicraniam dextri lateris aliquot septimanarum tota dextra mala affecta est, si tamen hoc ad parulidem referri potest. In scorbuticis malum hoc frequenter accidere in præcedentibus dictum fuit, quod confirmat. *M. Sebiz. p. 2. sect. 4. c. 8. P. Forest. l. d. M. Ettmüller. Oper. s. p. 1. Coll. Pr. c. 3. Dolæus in Encycl. M. Pr. l. c. Laur. Strauss. in Palæstr. M. p. 3. gymn.* 14 Quare & multa colligere licet ex salivâ ejusmodi corrupta, ac vitiatâ in iis prædictam διάθεσιν obtinentibus. Post diuturnum acidi humoris vomitum ortam vidit *Cardanus l. 12. de subtil.*

§. 10.

Hactenus de Parulide, nunc de Epulidis causis paucis agemus, quam præcipuè ex hac ipsa Parulide malè curata, aut serius aperta originem trahere, cùm Auctoritas summorum Virorum, tùm & observationes non sinunt nos dubitare; unde etiam plerumque videmus affectus istos Practicis conjungi & post Parulidem de Epulide ab ipsis sermonem institui; in exemplum citare possumus ex Græcis Aëtium & Æginetam, ex nostratibus plerosque Practicorum, qui istos affectus non prætermiserunt, & quorum passim jam supra facta est mentio. Lege cumprimis *Forest. l. d. Jonston. in synt. M. Pr. l. c. Vict. Trincavell. Ench. Med. l. 3. sect. 6. c. 2.* Nonnunquam enim optimis etiam remediis & sedula curantis manu, quò minus id fiat, vel & quascunque tandem alias simul partes obsidente humore Epulis prorumpat, præcaveri non potest: quod evenire credi potest à malignitate latentis in vicinis glandulis seri, quam potissimum in summa acrimonia consistere, vel alia corruptissima ejus indole constitui, existimamus. Hinc & Aëtius & Ægineta & nostrates & reliqui auctores omnes, & in his etiam Chirurgus hujus seculi longe Expertissimus *Petr. de Marchettis in Syllog. obs. Med. Chirurg. obs.* 34. monent horum tumorum suppurationem non expectandam esse, ne ossa corrumpantur, & fistulæ

fistulæ insignes, ægrè sanabiles, oriantur; sed scalpello admoto maturè illos aperiendos, ne scil. pus, quod continent, acrimoniam contrahat & vicino sero communicet: quo facto vel ossium caries, vel saltim Epulis cito pede consequitur: cujusmodi corruptio hic loci promptius quàm in aliis partibus contingit, quia tota hæc oris interni substantia glandulis intertexta est, seroque abundat, quòd sibi relictum promptius acrimoniam & corruptionem admittit, quàm ubi cum sanguine junctum eoque temperatum est. Lubet isthæc aliquot Historiis, ab Incomparabili Practico & Patrono meo summo *J. Jac. Wepfero*, communicatis ulterius ostendere & in id propria ejus verba citare; quibus etsi Epulidis & Parulidis nominatim nulla fiat mentio, eo tamen referendos esse istos affectus facilè patebit. Prænobilis quidam Vir, „literis admodum deditus, 52. ann. staturæ longæ, Sanguineus, „Hemicraniâ dextri lateris aliquot septimanis affligebatur, in qua „oculus, tempus & bregma dextrum ad verticem usque doluit. Die „12. Jul. 1668. mala dextra cum rubore valde intumuit, videbantur „dentes in hoc latere vacillantes, ceu ceræ essent infixi: febricita-„vit continuò, ita tamen ut rigores incertis periodis redirent, nunc „semel, nunc bis in die, simulque dolor invaluit in toto dextro la-„tere capitis, simulque ad vomitum stimulabatur. 14. Jul. demum „in maxilla superiore, sed propè molarem canino vicinum, durum „tumorem tango: statim imposui ficum inversam in lacte coctam „cum fol. alth. Eodem die abscessus ruptus fuit, non in gingiva, sed „supernè versus narem effluxit pus fœtidissimum: febris inde re-„misit: mala detumuit, atque magis d. 15. Jul. Postea d. 16. Jul. He-„micrania, imprimis circa oculum, fere evanuit: foris presso mysta-„ce seu pariete inter nasum & labium per vices prodiit pus fœtidum, „dentes firmiores erant: tuberculum gingivæ subsidit: aliud tu-„berculum in palato prope dentes dimidiæ Nucis Moschatæ „magnitudine etiam in latere dextro emersit. d. 17. Jul. dolor cum „tumore in mala penitus evanuit, pressa tamen mala pus aqueum „fœtidum prodiit. 19. Jul. tunc exsudare cœpit pus album coctum

ex

„ex tuberculo in nare dextra conſpicuo: preſſo tuberculo in pala-
„to, prodiit pus in maxilla ſuperiore. Citra inciſionem vel in
„maxilla ſuperiore ſive in palato, citraque cariem oſſis, naribus
„tractâ Aq. plantag. majoran. mell. roſac. &c. continuata impoſitio-
„ne ficus, convaluit, nec quicquam moleſtiæ ſenſit ad ætatis
„ann. 64. quo tempore ex vomica in pulmonibus rupta vivere
„deſiit. Nuper die 9. Jan. 1691. Rhinovii ad me adductus fuit
„Fridolinus Hinni, puer ſatis robuſtus 13. annor. circiter, ab ali-
„quot annis in maxilla inferiore dextra habuit fiſtulam ichorem
„continuò ſtillantem: prope ipſius oſtiola pendebant duo tubera
„ſcrophuloſa, avellana majora: Chirurgus extraxit dentem cario-
„ſum, quem fiſtulæ fomitem credebat, unde valde imminuti fue-
„runt tumores & aliquot foraminula obliterabantur: duo ſuper-
„erant; unum cruſta tegebatur, alterum ſubinde exſudavit quaſi
„parum ſeri: Stylo tenui non potui ad maxillæ os penetrare
„citra cruoris profuſionem: ab aliquot menſibus ipſi obortus eſt
„alius tumor in maxilla ſiniſtra, magnitudine N. M. ſimul ſub or-
„bita oculi ad naſi partem externam mala inturnuit: extracto
„dente molari, tumor gingivæ & malæ detumuerunt; in
„gingiva tamen perſtitit tumor magnitudine N. M. dimidiatæ,
„foris vaſis ſanguiferis in minutiſſima capillamenta diremptis con-
„ſpicuus, attactu mollis: dum intus tumorem & foris malam
„premo, ex molari, canino vicino, una atque altera guttula
„puris exſtillavit, multum autem puris craſſiuſculi, ſubviridis,
„bene cocti, linguæ incubuit: ore hiante & lingua ſpatula de-
„preſſa, labio ſuperiore & mala ſiniſtra fortius quoque preſſis, vi-
„deo pus ſimile copioſum prodire ex parte poſtica molli palati,
„digiti diſtantia ab uvula, ex rimula oblonga, ceu Lancetta inflí-
„cta potui; tumorem hunc ampliſſime ſurſum verſus malam, de-
„orſum verſus palatum, præditum eſſe ac jam ſupra tunicam
„palatum inveſtientem eouſque cuniculos feciſſe, ubi rima ap-
„paruit: puer nec ante preſſionem, nec in illa, nec poſtea vel
„minimum de dolore conqueſtus eſt, ſola linguæ depreſſio mo-

„lesta ipsi fuit, quia iterata illa fere semper ad vomitum provoca-
„batur; suasi incisionem tumoris oblongam, dentis cariosi
„extractionem & illinitionem crebram melle rosatô, cum pauper-
„culus esset. Tumores autem isti inflammatorii & suppurati
„non solùm in maxillæ superioris, sed quoque in inferioris gingi-
„vis asciscunt pus, quod nisi caveatur, miros cuniculos parat,
„nunc sine ossis carie, idque rarius, nunc cum illa, idque frequen-
„tius, corruptis ossibus circa ambitum, ubi tenerius & spongiosum
„est, quandoque etiam inferius, ubi robustius & durum est, adeò
„ut foris incisio facienda, & puri exitus parandus sit, immo non
„rarò vulnus ampliandum est, ut os profundius cariosum reddi-
„tum radi queat. Liquet autem ex his post parulidem & afflu-
xum accerrimi humoris etiam dentium cariem nonnunquàm Epulidi causam præbere; ut enim videmus ex capitis vulneribus cum cranii & meningum læsione ex corrupto humore non infrequenter fungos propullare malignos, ita etiam hic simile quid accidere deprehenditur; cujus rei & mihi sese exemplum notabile obtulit in quodam, ubi in inferiore maxilla quidam ex molarium numero penitus ob cariem ac putredinem consumtus, remanentibus tantummodò in ambitu ejus fragmentis paucis, caro superflua, nobis Epulis dicta, magno cum ægri dolore, vicinarumque partium inflammatione propullulavit, insigni sensatione prædita, ut ne quidem levissimum perpeti attactum potuerit. Simile & huic exemplum refert Magnus ille *Machaonius* in Nobili virgine & matronis quibusdam à se observatum, quorum historias infra pluribus referemus: oriri autem dentium cariem quandoque ex eo etiam existimat prælaudatus *Wepferus* meus, dum plus minus exesi dentes à lapide dentali seu lithodonto obsessi, minus firmiter gingivæ cohærent, sed successivè decidunt: reliquiæ item & sordes ciborum diu dentibus infixæ permanent, sicque sensim putrefactæ acrimoniam acquirendo dentium substantiam è medio quasi consumunt, ad radices usque: inde gingivæ eò facilius protuberant ac excrescunt, ceu superius cap. 2.
anno-

annotavi : idem ſentit *M. Ettmüller. Lipſienſ. quondam Prof. P. Famigeratiſ. in Op. in fol. edit. p. 1. c. 3. p. m. 110. & 112.*

CAPUT IV.

§. 1.

DIAGNOSIS Parulidis in facili eſt: poteſt enim ad gingivas ortus tumor nec oculum inſpicientem, nec tangentem manum fugere; itaque nihil fere amplius de hoc addendum eſt, quod etiam de Epulide tantum non locum habet. Excreſcentia enim in gingivis perruptis circa molares obvia eſt. Eſt autem durior & magis nigricans Parulidis, quam ſimplex gingivarum intumeſcentia eſſe ſolet, nec vulgaribus remediis cedit, aut ſua recedit ſponte, ſed ſubſiſtit & pus agit ſubtus, ni tempeſtive occurratur: quibus ſignis à modò commemorato ſimplici gingivarum tumore facilè dignoſcitur.

§. 2.

Hæc de Parulide ſufficiant: Epulidis autem, ut jam innuimus, nihilo difficilior eſt cognitio; neque enim minus ac Parulis incurrit in oculos, & à luxuriantibus gingivis diſcernitur, quod extra earum ſuperficiem prominet, aut etiam ex ipſo carioſo dente propullare obſervatur; quod quamvis Auctores Græci à nobis allati non monuerint, recentiores tamen obſervarunt. Subſtantia ejus non verè carnoſa eſt, nec glanduloſa, ſed qualem alias natura non agnoſcit in corpore: laxa ſordida & flacceſcens, cruorem, ſi paulatim attingatur, de ſe fundens, nonnunquam putredine diffluens, aliquando ejus eſt expers: ſæpe febris conjungitur, cum dolore vehementi internarum mandibularum, ut neque os ægro aperire liceat, cenſente præcipue *Ægineta lib. 3. c. 26. Aetio tetr. 2. ſerm. 4. c. 25. D. Sennerto in Prax. lib. 2. p. 1. c. 16. M. Sebiz. Sp. M. Pr. p. 2. ſ. 4. c. 9. Schmitzio in Comp. M. Pr. p. 439.* Cujus rei ratio eſt, quòd

 inflam-

inflammatio, tumor & malignus humor in gingivis non se contineat, sed vicina etiam insideat, ac præsertim musculos masseterem aut biventrem, à processu Mastoide in mentum abeuntem, quorum ille claudit, hic aperit os, maxillam movendo; notum enim musculum inflammatum, aut quocunque modo læsum, propter dolorem consequentem moveri non posse. Si materia copiose affluens cum M.S. plus justò calidior sit & acrior, gingivas magis rubere, & calere, dolorem inde atque extensionem carnis gingivarum cum ejusdem subsequente relaxatione provenire, malum indies augeri & vehementius affligere; sin sanguis sit frigidior, ruborem, calorem & dolorem esse remissiorem autumat prælaudatus *D. Sennert. l. d.* Plura Diagnosin horum affectuum illustrantia è *cap. primo* peti possunt.

§. 3.

De cætero, uti hæc caro non ejusdem generis, ita & Epulides variæ indolis sunt: aliquando indolentes, sanguinem vero nunc magis nunc minus fundunt; masticationem tamen impediunt. „Nobili cuidam Matronæ tales Excrescentiæ in utraque „maxilla inter interstitia caninorum & molarium luxuriabant, fir„miores fungis, ex cavitate dentium emergentibus, quæ iterato „attactu ferramento ignito sine magno dolore emarcuerunt, nec „renatæ sunt jam ab aliquot annis, ita *Wepferus*; aliquando acria non ferunt, sed candenti cedunt ferro, qualis erat, cujus in seq. „historia *idem* meminit: Nobilis Matrona Juvencula in maxilla „inferiore talem carnem, eodem in lobo sc. ubi dens sapientiæ in „adultis quandoque erumpere solet, obtinuit, fabæ magnitudi„ne, masticationem impedientem: basin habebat latiorem, ut ab„scissioni fidere non ausus fuerim, itaque primùm lapide infernali „attigi una alteraque vice: verum dolorem excitavit: itaque fer„ro candente globulo in extremitate prædito, brevibus intervallis „adussi, unde emarcuit, & citra aliud remedium evanuit.

§. 4.

§. 4.

PROGNOSIS, uti ex ipso Diagnosticorum signorum fonte scaturit, ita quoque omnes hinc sententiæ ferendæ rivuli profluunt, nunc quidem tristioris fati, nunc minoris indices, prout causarum impetus urget. Et de Parulide quidem paucis res expediri potest: sufficiat enim *Aetii* verborum denuo meminisse, scil. inflammationem, quæ ubi non dissolvitur, suppuratur, quod ipsum tamen de Parulide nostra proprie dicta & strictius magis intelligendum venit. Aetii verbis lucem afferunt *Sennertiana lib.* 2. *p.* 1. *c.* 16. ubi inflammationes has, nisi statim reprimantur, in apostemata abire docet, quæ nunc citius, nunc tardius rumpuntur, pro tumoris magnitudine & humoris natura: quod & ante ipsum monuerat *M. P. de Largelata Chirurg. l. d.* scribens: ista apostemata aliquando cito curantur, aliquando tarde; pergit autem *Sennertus*: non contemnendum esse malum, ni enim mature succurras, in apostemata & ulcera diuturna, nonnunquam & in fistulam degenerare, sæpe & in cancrum incurabilem, aut gangrænam abire. Quod item etiam me admonet laude dignus *Wepferus*, quem Musa vetat mori his verbis: *Nobilis Matrona odontalgiam diu passa est.* Super„venit abscessus in maxilla superiore, ejus apertionem neglexit, „unde ossis majoris portio corrupta fuit, & quamvis sponte ruptus „fuisset, mansit tamen dolor & tumor malæ & labii superioris „pinnæque naris: indito stylo asperum os longe lateque invenio, „incidi aliquo usque fistulam forfice, unde multum puris fœtidi e„manavit, ampliusque os cariosum in conspectum venit. Ex ejusmodi autem fistula nonnunquam tota humorum crasis vitiari, malumque aliis etiam in fontibus partibus affricari potest, quod sequente celeberrimi *Wepferi* observatione ostenditur: *Gingivæ non* „ solummodo intumescunt ac inflammantur, sed etiam suppurantur, „unde oritur caries, quæ labes prope quotidie illis evenit, in qui„bus apertio abscessus differtur: Consumpto enim periosteo maxil„læ corrosio ossis vix evitatur. Puella 13. annorum plethorica, o„dontalgiam in Maxilla inferioris parte postica passa est: oborto

„abſceſſu in gingiva tardius puri exitus parabatur, unde maxilla lon„ge lateque eroſa fuit, à Dn. Caſp. Müllero, Frauenfeldenſi Chirur„go peritiſſimo, plura fruſtula oſſis carioſi exemta fuerunt: ob „plures fiſtulas foris continuo pus ſtillantes & genæ tumorem inter „buccam & maxillam, inciſionem fecit, osque vacillans unciis „duabus longius & craſſiuſculum carie exeſum extraxit, in cujus „parte extrema comparuit maxillæ hujus dextræ proceſſus poſte„rior, qui cum oſſe ſphænoideo articulatur: gena multum detumuit „ac os rurſus aperuit, quod autem vix poterat: Carie debellata, „fiſtulæ foris & intus ſemper plurimum ichoris fundentes exarue„runt, ſimulque alia in parte dextra pectoris, prope cartilaginem „enſiformem, conſolidabatur, quæ tamdiu manavit, quamdiu fi„ſtulæ maxillæ fluebant: per quas vias pus ſibi hucusque cuniculos „fecerit, non certo conſtitit, quia nullibi in partibus intermediis „doluit, nec nullum aliud indicium apparuit. Ad plenam cura„tionem demum intra biennium pervenit, quia diu in principio „negligebatur. Puellam hanc vidit ipſe Vir Celeberr. d. 12. oct. „1671. Frauvvenfeldæ. Gena dextra paulo tumidior ſiniſtra appa„ruit, os aperire & maxillam movere valuit, inferior tamen ma„xilla magis retrorſum tracta videbatur, quia inciſores maxillæ „ſuperioris manifeſtè ultra inferiores prominuerant: quando ſub„miſſe loquebatur, os non diſtorquebatur, quando vero ridebat „aut contentius loquebatur, ſtatim dextrorſum os trahebatur; ſo„lummodo in ſiniſtro latere maſticare potuit. Quæ tamen mala ſæpe præcaveri poſſunt, ſi idoneis præſidiis in tempore ipſis proſpiciatur, quod accidiſſe memini & ipſemet obſervavi in Virginis Heidelbergenſis maxillæ inferioris dextra parte, ubi poſt dolorem molarium tumor in gingivis cum inflammatione & ſuppuratione oriebatur, qui non intus ſed exterius circa genæ finem aperiebatur, multamque ſtillabat ſaniem, ſed feliciter mundificabatur, ac dein conſolidabatur, ut hodie vix leviſſima cicatricula accurate intuenti occurrat (ſunt autem anni circiter 7.) ac tantum abeſt ut faciem deturpet, quin formam potius augeat: Ex neglecta vero

non

non hæc solum, verum etiam ipsa Epulis consequi potest, agnoscente id *Sennerto in Princ. l. cit. Forestio in schol. Jonstono in Idea Med. & aliis.*

§. 5.

Et his tandem contentus, Parulide relicta, ad Epulidem ipsam me converto. Licet autem Epulidem per se non facile lethalem existimem, pro varia tamen impetuosi affluxus ratione, ingens sæpe periculum etiam hæc minitatur, etsi malum recens si adhuc fuerit, & ab humoribus non minima copia huc affluentibus oriatur, faciliorem admittat curationem, ac si secus habeat. Quodsi autem diuturna fuerit ἐπουλὶς, & altiores egerit radices, metuendum aliquando erit, ne in grandiorem tandem assurgat molem, ita ut quandoque ægro os rite aperire neutiquam concedat, & mandendi facultatem adimat, prout superius allati Auctores sufficienti testimonio sunt; quale exemplum quoque habet *Paraeus l. 7. c. 4.* ubi ad ovi magnitudinem fere excrevit, vid. *Placentinus Chir. l. 1. c. 20. P. Sorbait Med. P. p. 1. c. 32.* Ulterius quoque procedente negotio, vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, vel corrumpi etiam & ad gangrænam disponi assolent: fidem nobis facit *M. Ettmüll. Oper. suor. p. 1. C. Pr. c. 3.* His merito subnecto historias Epulidum malignarum, tractatarum à peritissimis Medicis & Chirurgis, quas quidem iterum illustris *Wepferus* mihi impertivit, quæ si, ullæ aliæ, præ cæteris merentur notari, suntque publico minime invidendæ: pace ergo Viri Candidissimi prodeant: (1) Nobilis matrona, carnosa 36. ann. catarrhis ad gingivas & adjacens palatum obnoxia fuit à juventute: consuevit adultior hebdomadatim pilulis cephalicis ad purgandum corpus uti, quas toto anno 1686. neglexit. Circa finem anni defluxionem ad genam dextram passa est, ob duritiem genæ, curatu difficiliorem. Mense Jun. 1687. duritiem dolorosam in eadem gena percepit. Mense Oct. pustula pruriens sublivida oborta est in palato, & in gingiva fungositas ex alveolo dentis maxillæ superioris excrevit. Pustulam Ægra diu

noctuque

noctuque irritavit: fungo ipsamet mederi studuit: 1. Gargarismate emolliente domestico, 2. Illinitione olei spicæ & petræ, unde affluxus promovebatur: 3. Decocto caricarum pinguium, per integrum mensem sumpto 4. Lactatione infantis post puerperium, proximè antecedens. Circa finem octobr. *Medicus* & *Chirurgus* peritissimus vocatus invenit Excrescentiam fungosam cavitem oris prope obturare, cum vocis depravatione, respirandi difficultate, deglutitionis quasi abolitione, salivatione copiosiore, fœtore intolerabili, genæ dextræ inflammatione dolorosa & dura, contorsione labiorum molesta, suffocatione imminente. Præmissis universalibus, præsentibus Medicis, & Chirurgis assistentibus, cultello ad hanc operationem accommodo excidit carnes superfluas sine dolore intensiore, & absque sanguinis profluvio copiosiore, cùm nullus ligaturæ locus esset: radices residuas iterato ferrô candente, metu recidivæ cancrosæ, inussit. Die 24. Nov. Excrescentia ad aspectum non aucta videbatur, verùm ægra sensit sub eschara aliquid crassius fieri, atque hac ipsa die & nocte sævos dolores passa est: gena quoque tumidior & atrorubescens evasit: rubor quoque in gena sinistra apparuit: Postea adhibitis purgantibus, derivantibus, sanguinem edulcorantibus, detergentibus & adstringentibus gargarismis, non potuit inhiberi nova carnis hujus luxuries, nec iterata sectione & ustione radicitus exstirpari: sub finem Dec. 1687. superveniente gangræna & sphacelô ad sedes beatiores translata fuit. (II.) Vir Nobilis, annorum 45. gracilis, à pueritia Valetudinarius, temperanter vivens, vitæ sedentariæ addictus, multum in legendo & scribendo occupatus, à longo tempore Odontalgiæ obnoxius, salivator, saliva acri & salsa existente, alvi tardioris, odontalgia in Autumno 1688. permolesta afflictus fuit, ob dentem cariosum in maxilla inferiore sinistra: noluit tamen ejus extractionem admittere, quia subinde remisit. Cùm vero 1689. odontalgia cum dolore & tumore in gena

gena ſiniſtra invaleſceret. Die 21 oct. dentem in medio maxillæ inferioris evellendum curavit. In dente extracto conſpiciebatur ejus radix carioſa: manſerunt alveolus cum fœtore cavus & tumor ac durities in gena. Paulo poſt ex alveolo prodiit caro luxurians, grumo ſanguinis ſimilis, quam æger ipſemet pollice extruſit, relicta cavitate in gingiva cum inflammatione, unde uſus eſt opera Chirurgi in prædio aliquot miliaribus à patria urbe diſtante: cùm nihil proficeret, domum profectus, ibique Medicorum & Chirurgorum præſtantiſſimorum conſilio & ope uſus eſt. Die 31. Oct. Chirurgus ſenior, in arte verſatiſſimus, alveolum, ex quo dens erutus fuit, profundum quidem reperit & fœtentem, carnemque luxuriantem inde pullulantem, nullam tamen cariem tangere potuit: Stylus ab ichore denigrabatur, quod pro malo omine habuit: cavitatem filis contortis implevit, gena erat tumida & ſcirrhoſa. Die 1. Nov. cavitas dilatata fuit ſpongia compreſſa: hinc deprehenſus fuit ſinus profunditate articuli digiti & caries oſſis conſpecta: Continuata dilatatione, deprehendit os carioſum eſſe portionem alveoli. Die 5. Nov. ſeceſſit ſquamula oſſea, unde ichor ex cavitate emanans minus fœtuit: labia cavitatis contrahebantur. Die 12. Nov. caro luxurians in bucca aq. Stettinenſi, parata ex adſtringentibus, ☿-ato & ⊕, tacta, unde minuebatur. Die 20. Nov. repertum rurſus fuit os nudum, Die 23. Nov. ferrô candente mediante cannula inurebatur cavitas. Die 25. Nov. caries ob carnem luxuriantem reperiri nequit: cavitate dilatata rurſus ferro candente inuſta fuit. Die 27. & 28. Nov. rurſus ſquamula oſſea ſeceſſit, ut & 5. Dec. Cavitas erat munda, ſed abſque incarnatione & 9. Dec. pulchra apparebat; verùm ab attactu facile ſanguinem fundebat, nec caro ex fundo renaſcebatur. Die 10. Dec. ejus aſpectus incarnationem pollicebatur. Die 11. 12. & 13. Dec. Gena craſſior fiebat, & quando maſticabat, in illa punctionem ſentiebat; die 16. Dec. rubebat ſine dolore: poſtea ma-

gis magisque intumuit cum rubore; die 24. Dec. inſtar ignis rubebat: tenſionem ſentiebat æger; & os diſtorquebatur. 29. Dec. gena detumuit aliquantum, in regione tamen cariei aliquid calloſi tangebatur. A principio Ann. 1690. ad 27. Mart. quo cum aliis per literas conſultus fui, in deterius uſque omnia vergebant, nam ad 27. Mart. unus dens poſt alium vel excidit, vel extractus ad mentum uſque fuit; genæ rubor evanuit uſque ad punctulum, ubi pus incluſum putabatur, manente tumore & duritie. Non potuit diſſolvi, nec Empl. gummoſis, nec cataplaſmatis, nec ſacculis; ab Empl. ☿iali os intus exulceratum fuit, promota ſalivatione per 14. dies durante: punctum rubrum in gena exulceratum parum puris fudit; ulcus exiguum in cavum oris penetrans vicina depavit: & in amplum degeneravit: ejus labia erant nigra, putrida, ſummè fœtentia, indolentia, in bucca tuberculis plenum. Juxta hoc ulcus duo alia ſupervenerunt, ex quorum uno ſanguis grumoſus, putridus, ex altero pus craſſum coctum prodiit. Hæc tandem in unum coaluerunt, quod nullum pus ſuppeditavit, conſpicuè ſerpens, ſumme fœtens, corruptione & putrefactione creſcente: jam tum penè tota gena conſumpta erat, totum mentum intus cavum & putidum ad partem dextram reddebatur: foris rubrum & ſtupidum fuit, ſub lingua tumor ſcirrhoſus erat, qui poſt exulcerationem evanuit: glandulæ ſalivales in latere affecto penitus corroſæ erant: Ductus ſub lingua in regione raninarum ex oſculis loco ſalivæ fundebant pus ichoroſum, ſalivavit multum; imprimis poſt applicationem Empl. ☿ialis fœtebat & acris erat materia; ceſſante ſalivatione fragmenta oſſium ſeparabantur, & oſſa carne obducebantur. Aliquando ingens copia ſanguinis ex cavitate gingivæ emanavit, ut mirum viſum fuerit, unde tanta provenerit, & quomodo ex vaſis tàm exilibus profundi potuerit? alias nunc ſponte, nunc à levi attactu ſanguinem fudit: Præter dolores conſuetos, ſi quid dentibus tenere conabatur, ſævam punctionem in

occi-

occipite passus est: videbatur culter eousque adigi: inde dolor ad dorsum descendit. Aliquando spasmum os torquentem passus est, qui remediis ablatus fuit. Febriles insultus nunc 3. nunc 4. nunc 6. die, aliquando die 8. expertus est: frustranea erant evacuantia, revellentia, derivantia, M. S. edulcorantia, alitervé corrigentia topica: putredini resistentia, carnem luxuriantem consumentia, cariosum auferentia, mundificantia, emollientia, sarcotica, affluxum inhibentia: Bibit etiam lac asininum, caprinum, serum & juscula, herbis etiam anti-scorbuticis alterata, item lac chalybeatum: nihil præstitum fuit lapide infernali, medicamentoso *Crollii*, igne candente. Ex his agnovi cancrum immedicabilem: suasi curam palliativam, & ad labia ulcerum foris unguentum Diapomphol. *Fabr. Hildan. c. 6. obs.* 22. quo fœminas duas cancro faciei affectas diu conservavi: die 15. Jun. 1690. mortuus est, viribus sensim exhaustis. (III.) Mercator quidam 45. annorum, temperamenti admodum humidi, aliquandiu sensit stuporem labii inferioris dextri, postea in hoc loco punctionem secundum ejus longitudinem: tandem correptus fuit odontalgia, sequebatur carnea excrescentia ex cavo dentis cariosi in maxilla inferiore dextra: aucta ægro molesta evasit, ligatura filo serico feliciter ablata fuit: animadversum non solum hunc, sed & alium dentem cariosum esse, amboſque vacillare & leviculè alveolis inhærere, unde facilè, & propè sine dolore, evulsi fuerunt: prodiit caro magis considerabilis quàm prima, gingivam ibi foris & intus occupans, aliquotque dentes molares tegens, prope unius unciæ altitudine: suadebatur etiam hujus carnis ablatio, quæ ob mollitiem solis digitis perfici poterat. Ne recrudesceret, & ut cariei præsuppositæ occurreretur, aliquoties ferro ignito inurebatur; verum nihilominus caro renascebatur, non ibi, ubi adusta fuerat, verum magis è fundo & in latere; sublata denuò carne duobus digitis ab articulo, os maxillæ inferioris cariosum ad fundum & per medium fissum fuit repertum: factâ foris incisione frustum latitudine unciæ extractum fuit, ægrotus nunquàm liber à febri & semper

catarrhoſus, & pes dexter œdematoſus fuit: Hæc ad me ſcribebantur 26. Nov. 1689. Ad finem Dec. res fere in eodem ſtatu manſit, fruſtulum carioſum dimidiæ unciæ latitudine ablatum fuit, & extrema oſſis maxillæ urebantur: extirpatæ quoque fuerunt carnes tum fungoſæ, tum glanduloſæ: harum proventus adeò magnus, ut eradicari nequiverint: una extirpata, duæ ſuccreverunt tum circa labia. Ablatis his carnibus, quaſi fulcris deſtituta maxilla, pendula & quaquaverſum mobilis evaſit, unde inſtrumento ex ferri lamina confecto & ſub mento applicato illam in ſua ſede continere oportuit: colluvies jugis & copioſa impedivit oſſis carioſi ſeparationem; plus tamen negotii faceſſebant glandulæ & carnes veluti cartilaginoſæ: incertum videbatur an omnes è mala provenerint? conſtitit tamen tandem, à mala ejusque parte muſculoſâ & ab ipſa articulatione mandibulæ ſuccreſcere. Multis internè & externè magna induſtria adhibitis, à Viris doctiſſimis caveri nequiit, quin affectus poſt aliquot ſeptimanas ipſi lethalis fuerit: quando vitam finierit & „quæ interea evenerint, nondum reſcivi. IV. Triſtius fatum ſubiit Juvenis Rhenovienſis, faber lignarius, robuſtus, annorum circiter 25. Huic neſcio ex qua occaſione ex alveolo dentis molaris „ſenſim tumor enatus eſt: cum prima vice ipſum conſpexeram, erat „magnitudine Nucis Moſchatæ, propria membrana veſtitus, ro„tundus, lævis, vaſis capillaribus præditus, minus mobilis quàm „memoratæ Matronæ erat, quia craſſiorem pediculum obtinue„rat, ſubinde dolores punctorios in illo ſenſit: prædixi hunc tu„morem non niſi ſectione & uſtione tolli poſſe; hic territus non „amplius me convenit. Medicaſtra foris malæ impoſuit cata„plaſma emolliens, ſimilemque collutionem oris ſuaſit, unde „brevi tempore tumor cum mala in vaſtiſſimam molem excrevit, „amboque in unum corpus quaſi coaluerunt: Supervenerant do„lores & punctiones ſummæ, videbatur miſero quandoque ſubula „ignita perfodi tumorem. Tumore & doloribus indies magis ma„gisque invaleſcentibus, Rheinovium ad ſuos abiit; & cum illuc perve-

„pervenissem, meum auxilium denuò imploravit; cum Chirurgo „Monasterii, sene perito, rem conclamatam dixi, sectionem & „ustionem impossibilem demonstravi. Cum à cura palliativa non „multum levaminis expertus esset, Agyrtæ se credidit: hic per-„negavit tumorem cancrosum esse, non sine conviciis pleno ore in „nos absentes effusis: pollicitus est maturationem brevi ab Empl. „Diachyl. cum gummis intra paucos dies subsecuturam: crescen-„tibus doloribus & tumore, vulnus illi in parte decliviore inflixit, „nullum pus, sed sanguis serosus effluxit; ab indito, nescio quo, „digestivo & emplastro, vulnus in ulcus serpens degeneravit, à quo „tota gena ad oculum, aurem & collum depascebatur. Quic-„quid ori ingessit, omne per ulcus, carnem omnem, instar poten-„tissimi cauterii usque ad pharyngem consumens, effluxit, adeò ut „nec micam, nec guttulam deglutire potuerit, misereque fame post „paucos dies enectus fuerit. V. à dentibus in maxilla superiore ab „imperita manu evulsis, & fisso osse maxillæ maximo, sensim car-„nem fungosam parvam primùm enatam memini, detento pure in „cavernulis hujus ossis: inde sensim depascebatur, simulque partes „carneæ & nervosæ, tandem corruptela ad oculum & aurem per-„tigit, & in latere affecto auditum & visum abolevit, comite sem-„per Hemicrania sævissima, unde lentâ morte, quamvis gena non „perforata fuerit, tandem moriebantur. In quinque his observa-tionibus consideratione digna sunt. I. Epulides has suam scaturigi-nem, seu nascendi exordium, non habuisse à gingivis alterutrius maxillæ, sed à membranis & fibris nerveis sinuum, cavernarum & ductuum, tum ossium maxillarium, tum dentium: nam ex alveolis dentium primò pullularunt, & in Nob. Domino radix dentis cariosa visa. II. Constitutionis pravæ postea participes demum factas fuisse gingivas, ossa maxillarum & dentium, glandulas oris, atque alias partes internas malarum, tandem exteriora, scil. musculos, pinguedinem, glandulas, cutim etiam correpta: ut fieri videmus à cancro occulto, si exulceretur, nam ante exulcerationem diu angustis cancellis coërcetur. III. Serum in quolibet valetudinis statu

ſtatu etiam ſaniſſimorum, & in quovis temperamento ex ſolo hoc affectu tantam corrodendi vim acquirere poſſe, ut & vicina corrodat, & longius remota tandem etiam inficiat, quod uberius oſtendunt illi ipſi occulti cancri, & ichor, ſeu Meliceria Celſi, quâ de re videatur *Guil. Fabr. Hild. pecul. libro.* Non videtur hic recurrendum eſſe ad ſcorbutum: nam & Matrona hæc, & ambo Viri vixerunt in locis, ubi non eſt Endemius, & vel nunquàm vel rarius comederunt piſces, aut carnes ſalitas & fumo induratas, nec unquàm vel rariſſimè biberunt cereviſiam, ſed vino utentes, in regione vini optimi ferace, quo, ceu lautioris fortunæ, optimè potiri poterant. Vidi quidem his quoque in oris gingivarum carnem, tenellis, circa XV. menſem ætatis, aut bimulis, & paulò adultioribus, admodum intumuiſſe, atrorubentem, & levi attactu ſanguinem fundentem, & ſi non maturè curabatur, obſervavi quoque carnem depaſtam, & dentes denigratos ipſis fuiſſe, non ſine vitæ diſcrimine: quandoque etiam accedente arthritide quadam vaga, ut protinus ejularent & tremerent, ſi vel ſolùm ad cunas accederes: nolui tamen ſcorbutum affectum appellare, quamvis Stomacace ſimilis eſſet, quia nec aëre, nec aquis, nec cibis fruimur ſimilibus illis locis, ubi ſcorbutus vernaculus eſt, niſi forte quemlibet morbum à colluvie ſeroſa provenientem ſcorbuti nomine inſignire velimus, quæ omninò in hac gingivarum intumeſcentia locum habet: Oriri enim videtur ob percolationem lymphæ & ſanguinis ex capillamentis arteriarum in vaſa lymphatica & venas impeditam; unde remoto obſtaculo gingivæ detumeſcunt, & legitimâ conſiſtentia potiuntur. Ut in præmemoratis vitium intra cavernulas maxillarum ſurſum pullulavit, ſic deorſum ad mentum tetendiſſe hoc memorabile exemplum teſtatur: Anno 1680. Joh. Kittel, Jeſingenſis, cauponis filius 20. annorum, plethoricus, me Stuttgardiæ convenit: habuit tumorem dimidii ovi gallinacei magnitudine, quaſi ex ſcrophulis conglomeratum, ſub menti parte dextra, non procul à larynge: Die 12. Martii hunc tumorem ſcrophuloſum hac methodo excidit

Dn.

Dn. Christoph. Volterus p. m. Primò cutim secundùm longitudinem, non decussatim, incidit, hinc cutim spatula à scrophulâ separavit, posteâ volsella cutim arripuit, illamque nunc cultro, nunc digitis, nunc spatula ad radicem usque separavit, quod cum aliqua difficultate fiebat, quia illa pertinaciter scrophulæ adhærebat: postquam ad radicem pervenit, per illum trajecit acum cum duplici filo: illam constrinxit fortiter utrinque, & tumorem excidit, imposuit sanguinem sistentia, & dolorem sedantia: caro excisa planè glandulosa apparuit, nullis insignibus vasis prædita. Post paucos dies ex vulnere germinavit caro luxurians, quam compescere conabatur Arlata sua, quam prædictus D. Völter describit *in Schola Obstetricum*; verùm cum pure fluida facta, cutim læsit: itaque carnem hanc aliquoties adussit, cum aliquo successu; ustionem post meum abitum aliquoties adhuc suscepit; verùm cùm post 20. inustiones escharam densam sustinuisset, caro denuò renascebatur; recordatus autem est, se sæpius observasse talem carnem fotam fuisse à dente carioso, & posteà inquirens talem dentem, in maxilla inferiore reperit: Illum protinus extraxit; unde non solùm caro fungosa non amplius renascebatur, sed quoque superstes semet separavit, atque æger intra decem dies penitus, sine ulla labe curabatur, creditque, si dentem maturius extraxisset, quod excisio non necessaria fuisset, quod apud alios observavit; quibus maturè dentes tales sustulit, ut scripsit ad me idem Dn. *Christ. Volterus Stuttgardia d.* 11. *Apr.* 1680. Quàm autem diligens hic rariorum in Chirurgia observator fuerit, testatur illius Schola Obstetricum, jam bis Germanicè excusa: quod amplius probarent *Centur.* 2. *observ. Chir.* quarum M S. est penes viduam D. Beckeri. p. m. Stuttgardiæ. Utinam esset aliquis, qui illas typis excudendas curaret, non dubito publico plurimum profuturas. Quomodo verò occasione dentis cariosi, vitiatis membranis, & fibris nerveis, intra cavernas maxillæ inferioris, citra cariem ossis & illæso periosteo, sub mento tumor iste scro-

ſcrophuloſus & poſtea caro fungoſa enata fuerit, inquiſitionem meretur, quam tamen reſervo *meditationi de fungis* in corpore humano excreſcentibus: ſufficiant hæc pro hac vice: quæ ideò prolixius hic allegare non piguit, quod plurimum lucis doctrinæ noſtræ affundant, & inde conſtet incomparabilis ſolertia Viri de Republica Medica, ſi quis alius, immortaliter meritiſſimi, cui Præceptori & Patrono Optimo publicas heic grates exſolvere maximas debui: Eidem bonorum myriades, vires inconcuſſas, annosque Neſtoreos apprecor, ut theſaurum pretioſum accuratiſſimarum ſuarum obſervationum, earumque longè plurimarum, quas ante biennium in egregio Muſei ſui Tablinio inſigni cum voluptate perluſtravi, publico ipſe propinare poſſit, magno cum Reipublicæ Medicæ emolumento. Liceat autem primæ ex illis hiſtoriis, quarum nobis copiam fecit Viri incomparabilis humanitas, conjecturam noſtram hic addere, atque dubitare ſaltim, annon etiam cæteræ Epulides pravæ ex eodem fonte locoque promanent; quamvis enim ex gingivis videantur pullulare, vix tamen citra maxillæ cariem tam pertinax malum videtur poſſe exiſtere: Et verò, hac eroſa, facilis eſt ad ipſam illam nervoſam membranam in ſinu dentis latentem aut ſubjectum nervum aditus: ne enim in gingiva ſola radicatum exiſtimemus, eadem morbi pertinacia prohibet: facilè enim eſſet totum cum ipſa gingiva exſcindere; neque unius oſſis vitium eſſe putaverim, cum neque à fractis oſſibus maxillæ, neque à percuſſione, imò ne quidem à carie, lue Venerea inducta, utut plura oſſa ipſæque nares hac affici conſpiciantur, ſimile quid unquam fieri obſervetur, & plures ab eo immunes perſtitiſſe novi, quorum exempla poſſem hic congerere, ſi neceſſum foret. Abunde verò ex antedictis patet, hocce malum iisdem in caſibus neutiquam contemnendum eſſe, ſed maturis præſidiis tempeſtivè ipſi ſuccurrendum, quod antea demonſtrandum ſumſimus. Talem ſanè excreſcentiam ſi levis ſit, & putredinis ac malignitatis expers, facilè reprimentibus, adſtringentibus & ſiccantibus compeſci; ſin putredo inſit gingivis,
gra-

gravemque ſpiret fœtorem, fortioribus opus eſſe remediis judicat etiam Vir longiſſima Experientia edoctus (quippe fere centenarius ſenex obiit beatè) *M. Sebizius in Sp. M. Pr. part. 2. ſ. 4. c. 8.* Ejusmodi porro carnem luxuriantem ſæpe obſervavit *Paræus l. 7. c. 4.* in cartilagineam & oſſeam ſubſtantiam induruiſſe; itaque quam celerrime fieri poterit, aggredienda curatio, nam adhuc exilis, nec altis firmata radicibus, facilius evellitur; his itaque præmiſſis, ad eandem tranſeo.

CAPUT V.

§. I.

HIſce ſcopis adimplendis, aptam ut nanciſcamur præſidiorum materiam, quid ex ordinariis Artis Medicæ promptuariis in rem noſtram facere poſſit, absque ulteriori mora (ſiquidem & hoc in affectu principiis eſt obſtandum) nunc diſpiciemus. Primum autem curam noſtram ad ſe vocat Parulis: hæc ante omnia recte dijudicanda, & à quovis levi gingivæ tumore, qui ſponte recedit, nec ad ſuppurationem tendit, diſcernenda eſt: ubi autem cognita, præmiſſis univerſalibus, prius repellentibus utendum; quo pertinet *Foreſti* remedium, decoctum cochleariæ, beccabungæ, malicorii & aluminis, quibus infinitos ſe curaſſe ait; quantumvis etiam de cochlearia diſcutiens & attenuans quid accedere, ſi tamen non evaporat, videatur. His nihil juvantibus, emollientibus tentanda. Quia autem non omnia omnibus, nec quævis medicamenta gingivis conveniunt, præ ceteris hic ficus commendamus, ut emolliens præſtans, & quod tam ſecure admoveri his quam commode poteſt; Et verò, quanta ſit hujus, vilioris licet, remedii efficacia, ex ſola *hiſtoria Wepferiana cap. 3. §. 10.* à nobis recenſita poteſt patere, cui ſubſtitui, ejusque locum etiam implere poſſunt quævis emollientia & diſcutientia, quibus tumor vel ſolvatur, vel ſuppuretur. Commendat *Aëtius* ptiſanæ ſuccum, lini ſeminis decoctum, aquam mulſam, ſed quæ nimis mollis curatio videtur. Sed nec efficacius

emollientibus ſolis diu fidendum, ſed diſcutientia nobiliora addenda, ſalvia, mentha, polium montanum Jenenſe, quod ſtringit ſimul, & ſimilia. Si nihil his proficias, cunctandum non eſt, verum ad ferrum properandum. A pure enim diutius detento nihil certius exſpectandum eſt, quam ut eroſo perioſteo, ſubjectum os carioſum reddatur, & fiſtulæ ſæpe immedicabiles conſequantur. Hinc nonnulli totam volunt exſcindendam: quod neceſſum eſt, ſi maligni, & cancroſi ſerpentisque aliquid ſubeſſe appareat; aliâs autem apertio ſufficit, *Ægineta* docente, qui ſubinde ſcalpello, quo vena ſecatur, ipſam duntaxat punctam & pure vacuato, conſanuiſſe vidit. Poſt ſectionem vino colluendum os, & decocto hordei, florum roſarum, balauſtiorum cum melle roſato, addito ſyrupo cochleariæ vel alio antiſcorbutico mundandum ulcus, quod ſæpe in ſimplicioribus ſufficit: ſi vero ſordidum ulcus fiat, vulnerariis, balſamicis, putredini reſiſtentibus agendum eſt. Quem in finem non inepta erit compoſitio quam *Celſus* laudat *VI. 1.* & deſcribit *cap. præced. 11. Græcis* ἀνθήρα vocata, quod interpres *Aetii* vertit, *id quod floridum vocatur*, ex croco, myrrha, alumine, galla, roſæ foliis. Addi poteſt Aloës ſuccus, malicorium, ſanguis draconis, thus, maſtiche; quæ vel ſicca adhibenda inſpergendaque ſunt, vel, quod vult *Celſus*, cum melle roſato illinenda: mitius eſt alumen uſtum, quod ſine morſu ſiccat: conſtringit fortius chalcitis, ſory, (de quibus *Caneparius de Atramentis* conſulendus eſt) aut chalcanthum, cujus etiam ochra, quam terram ⊕li dulcem vocant conducibilis eſt. Nux Moſch. quoque ejusque ſuccus expreſſus, quem balſamum vocant, minori tamen copia, vel balſ. Peruvian. addendus commode pro re nata veniet, præſertim ſi putredinis ſerpentis ſuſpicio ſit. Quæ ſi ſub initio ſtatim incidat, potius in orbem tota Parulis reſecanda erit, ut modo innuimus, quam aperturæ res committenda, amant enim magis, (verba *Aëtii* ſunt) exciſionem gingivarum abſceſſus, ſimpliciter enim inciſi, in fiſtulam proficiunt: Quod & de his, & leviter apertis imprimis intelligendum, in quibus pus diutius hærens, cuniculos agere ſubtus poteſt:

test: quare larga apertura saltim securior erit; qualem etiam commendat Chirurgorum Primicerius *P. de Marchettis*, de hoc ipso affectu nostro conceptis agens verbis: dignus qui hic legatur; ubi etiam monet sedulo ne suppurationem horum tumorum expectemus, sed ante eam statim longa incisione eos incidamus, idque tum propria, tum aliena experientia esse confirmatum, factaque sectione & evacuato concluso sanguine, absque ulla medicamentorum ope, sola saliva naturam sectionem sanare testatur: cessante quarta post horæ parte dolore. Quod consilium, quamvis improbare minime possim, neque tamen perpetuo & necessario sequendum esse existimaverim. Sane in nostris, sectiones mirum quantum abhorrentibus, semper id non licet, ut ex jam dictis patet. Claris verbis ad nos *Wepferus* in literis: Ficu, aut foliis althææ non,, raro abscessus rumpitur, si tumor buccam versus spectet, si diu,, noctuque imposita maneant; si vero versus palatum vergat, tar-,, dius sola collutione aperitur, ut plerumque cultello falcato ad evi-,, tandum gravius malum, & auferendum dolorem superficiem la-,, cerare debuerim: quæ Doctissimi Viri verba eo lubentius apposui, quod simul, ubi emollientia locum habeant, & quando incisione sit opus, ex illis disci possit. Quod si neglecta fuerit in principio curatio, aut lymphæ malignitate cancer vel fistula inducatur, illius quidem remedium non esse expectandum, lectæ hactenus historiæ Medicorum firmiter persuadent: itaque solis palliativis & mitigantibus agendum est. Ad fistulæ autem curationem, facta incisione, os cariosum scalpendum, radendum, & si abscessio facta sit, festucæ eximendæ, & reliqua, quæ in iis observari debent, recte curanda sunt, quod ad nos jam non pertinet. Quod si propter loci conditionem situmque partium fieri isthæc non possint, consolandus est æger; novit enim modo laudatus *Senex* ab ejusmodi abscessibus fistulas in maxilla superiore sine molestia per plurimos annos toleratas, nullo inde sequente alio malo: in quo longe hi feliciores sunt illis, quibus in cancrum Parulis degenerat, his enim nulla spes vitæ diutinæ & sine dolore fruendi relicta est. Sane non

hoc tantum, ſed illud etiam obſervari & moneri hic opportunum eſt, ut aliâs in partibus glandulofis & humidæ temperiei, ſic omnium maxime in ore ſuppurationem abſceſſuum non ſemper, imo raro tuto expectari poſſe: impedit enim perpetuus lymphæ affluxus & ſeparatio puris perfecti generationem, cui non niſi in illis partibus locus relinquitur, quæ quietum illud & ſincerum ſervant foventque, modica ſiccitate & calore gaudentes. Cæterum in hac, ſi in externa gingivarum parte ſit, cavendum ſedulo, ne cum bucca coëat in unum, quod vidiſſe ſe Parulidem ab imperito Chirurgo male curatam, in qua caro non modo ſupercreverit, ſed cum adverſo etiam buccarum muſculo prorſus coaluerit, teſtetur *in def. Med. lit. 11. Gorraus.*

§. 2.

Hæc de Parulide: nunc ad Epulidem etiam accedo, cui plus operæ eſt impendendum, quod longe graviſſima nonnunquam inveniatur, & admodum rebellis. Quæ ſequentibus potiſſimum comprehenditur indicationibus: ut futurus humorum acrium, ſeroſorum pariter ac bilioſorum, copioſior affluxus ad partem affectam prohibeatur; porro ne ibidem excreſcentia talis in majorem aſſurgat molem, gingivæ flaccidæ, tumidæ ac cruentæ per ſiccantia & abſtergentia adſtringendæ: Exulceratæ vero abſorbentibus & mundificantibus ac adſtringentibus conſolidandæ, habito ſemper reſpectu ad corporis conſtitutionem. Denique ſi difficulter cedat hoc malum, ad καθαιρετικά, ſectiones & uſtiones, fortes item arctasque ligaturas tandem confugiendum. Præſidiorum vero materiam & apparatum ad id muneris efficaciter præſtandum, è triplici Æſculapii fonte haurienda depromimus: nimirum Chirurgico, Pharmaceutico ac demum Diætetico (quem ſub calcem hujus Diſſertationis adjiciemus) ſingulosque conſueta methodo ac ſerie aperiemus.

§. 3.

FONS CHIRURGICUS, confirmatæ non modo, verum etiam incipienti Epulidi multum proſpicit, in hac enim præter V.S.

quæ in plethorico corpore negligi non debet, uti vix generosius hac possidet remedium Chirurgia, ita quoque eam nobis hic in limine quasi offert, & vel in brachio vel in pede, quin & derivandi simul (uti loqui amamus) caussa sub lingua, raninas videlicet aperiendo, administrari potest, *vid. ad h. l. D. Sennert. in Praxi l. 2. part. 1. c. 16. M. Sebiz. in Sp. M. Pr. p. 2. sect. 4. c. 9.* Hæmorrhoides interdum prodesse, adeoque si assuetis supprimantur, aperiendas, si quis urgeat, non refragabimur; cum & sic derivari possit humor: præsertim si verum sit, harum apertionem omni Phlebotomiæ præferendam esse, ut censet *Timæus à Güldenklee l. 3. cas. 34.* Imprimis verò *Vesicatoria*, ubi pariter humor ejusmodi copiosus acris manifeste versus gingivas ruere aut depluere videtur, locum habent, sed non tam commode cervici, uti hactenus communitur factum est, quam pone aures applicita adhibentur. Porro etiam *fonticuli*, in brachio excitati, dictos ejusmodi humores gingivis magnopere insidiantes avellunt atque intercipiunt. Nec nunquam *setaceum* potest esse idoneum: sicque primæ indicationi, prohibendi nimirum ulteriorem affluxum ad partem affectam, copiosorum humorum eductione, ex hoc fonte satisfecisse pro viribus existimamus, inferius §. 5. intercalato prius fonte Pharmaceutico, pluribus circa consummatam Epulidem, quæ potentiora ex Chirurgico fonte sibi vindicat subsidia, mentem nostram aperturi.

§. 4.

Progredimur itaque ad FONTEM PHARMACEUTICUM, eo minus negligendum, quod etiam perfectam aliquando Epulidem, satque manifestam, citra opem manus, solis curatam medicamentis ipsimet novimus; itemque apud alios similia exempla prostant, tumque non nisi evacuato prius corpore, Chirurgiæ locus relinquatur. Ob educendos humores peccantes, qui plerumque biliosi, serosi, acres deprehenduntur, universalia hæc præmittere omnino convenit; siquidem varia nobis obfert prædictus fons *purgantia*, quæ quid in quavis seri peccantis abundantia pro-

desse possint, prolixe ostendit *Piso lib.* in id conscripto. Collineant autem ad hunc scopum Lenientia potius & per ἐπίκρασιν educentia, quam quæ δραστικῶς & cum vehementia purgant: commendaverim itaque decocta Laxativa varia, passulas & pruna purgantia: pilulas cephalicas vulgo dictas, bolos laxativos, potiunculas ex. gr. Viennens. *Mannagettæ*, & varios pulveres purgantes de quibus *M. Sebiz. in Sp. M. Pr. l. s. all. Th. Willis. in Pharm. Rat. P. Morell. l. de form. rem. c. nott. G. Blasii*, *Costerus* aliique plures consulantur. *Vomitoria* plane hinc exulare videntur, meritoque omitti, cum partem affectam magis irritent & dolores exacerbent. Magis autem conducent *Diaphoretica & Diuretica*, quippe quæ sanguinis massam (quod summe necessarium puto) puriorem reddunt, & pro varia cribrorum suorum configuratione noxia foras eliminant: curandi etenim eandem rationem, quæ in ceteris inflammationibus obvenit, suadent *Sennertus*, *Jonstonus* aliique.

§. 5.

Præmissa debita dispositionis morbosæ internæ, adeoque προηγουμένης malum foventis curatione, ipsa Epulis idoneis remediis aggredienda est, quod, ut rite fiat, cum, quæ affectum fovet caussa, tum & mos ipsius ac indoles respicienda sunt. Si ex Parulide ac simplici gingivarum ulcere exsurgit, tunc etiam leviora remedia officium implent. *Sic Omnib. Ferrarius de A. M. Inf. l. 3. c. 30.* in Infantibus Epulidem hoc curat: ℞. amyli ʒij ▽. rosar. ℥j. pulv. tragacanth. ʒj. M. His caro leniter fricetur; extra vero commendat medullam panis triticei cum lacte pro Epithemate, & lentes coctas ad masticandum exhibet, ex ipsisque lentibus excorticatis fieri posse cataplasma circa maxillas apponendum existimat; verum nos qualemcunque tumorem gingivarum his quidem obtemperare, ast veram Epulidem tam invalidis remediis vix cedere arbitramur, & hunc Auctorem, (quod & aliis evenit) varia vocabuli acceptione & latitudine fuisse deceptum. Dandum interim est aliquid ætati, in qua nec fortiora locum habent, nec acrimonia humorum tanta esse potest, ut illis indigeat. Itaque bolus Armena,

ſangv. Dracon. 🜄æ ſigill. ſantal. rubrum, maſtix, thus, lacca & myrrha hic expectationem poſſunt implere; in adultis vero fortioribus res tentanda, & ſi ſimplex quidem ſit carnis excreſcentia, iis, quæ ſine morſu ſiccant, ut Oine, C. C. & Ebore uſtis, aloë, 🜔e torrefacto, gallis tritis, oſſibus ſepiæ, quæ valde commendat ex antiquis *Guil. de Saliceto cap. 75.* ex modernis *M. Sebiz. Sp. M. Pr. l. all. M. Ettmüller in Schröd. diluc. Zoolog. p. 197.* Malicorium & Galbanum addit *Vidus Vidius Galenum* imitans *l. 4. de T. Valet. c. 8.* Adhiberi etiam ✱lacum, corall. rubra & thus in pollinem redacta ſuadet *Trincavell. l. d.* Maxime vero conveniet Ἀνθήρα illa ex *Celſo* ſupra memorata, & cujus etiam meminit *Scrib. Largus LXI. cap. XII.* his additis verbis: *His omnibus rebus tunſis, cretis, arido medicamento uti oportet per pinnam. etiam ad* παρυλίδας *&* ἐπυλίδας, *id eſt, ubi ex transverſo gingiva ſuppuravit, aut tonſillarum tumorem magnum, ut digito preſſius fricentur, vel ubi ſuper extremum molarem increverit gingiva:* quibus ultimis error *Fallopii* oſtenditur, ſupra à nobis taxatus, qua Epulidem & gingivarum incrementum nimium idem eſſe arbitratus eſt: Antheram vero ad ſimilia commendavit etiam ipſe *Celſus.* Quod ſi quis liquida malit, huc quadrare poſſunt quæ habent *L. Jacchæus in Praxi part. 1. c. 29.* & *Franc. Feyneus Pract. Med. l. 2. cap. 41.* Non ſine exiguo commodo in principio hujus morbi adhibui ℞am laccæ, 🜄æ Japponicæ, ſeu catechu affuſam, quam *Hadr. à Mynſicht in armam. ſ. 2. p. 46.* deſcriptam nobis tradit; cujus ſolo uſu Epulidem incipientem benè curatam ipſemet novi. Aliam præterea ℞am Laccæ à *B. D. Michaelis* olim paratam, multoque uſu comprobatam videre eſt ap. *Ettmüller. l. d.* ſine dubio hic quoque proficuam, cum in aliis gingivarum vitiis eam præſtantiſſimam idem Auctor expertus ſit. ℞am hancce, quam magni fecit quoque *Jac. Barnerus*, ejusdem *D. D. Michaelis* alter clariſſ. diſcipulus, hujusque virtutes mire deprædicat *F. Deckers in not. ad Prax. Barbett. p. 147. ſeqq.* ad cujus ductum poteſt etiam miſceri cum ℞a aquileg. ∾ cochleariæ, aut ſimilibus. Egregium quoque eſt liniment. *Hartmanni* ad hos affectus, quod deſcribit *in Praxi Chymiatr.*

miatr. p. 123. cui non incommode myrrha addenda venit, ad imitationem *D. Sennerti in Praxi l. 2.* Plures ejusmodi formulæ, vario concinnatæ modo, legi possunt apud laudatos Autores.

§. 6.

Quodsi prædicta remedia efficaciam suam ob mali contumaciam non exserant, nec iisdem debellari possit, ulterius procedendum est ad Chirurgicas operationes, quæ variæ sunt. Primo loco commemorabo fortes & arctas *ligaturas*, si quidem ita formatæ & situatæ fuerint excrescentes carnes, ut ligari possint, monente id M. *Sebiz. in Sp. M. Pr. l. c. & Schmiz. in Comp. M. Pr. c. not. Rumpf. lit. T.* qui tamdiu filo indies constringendo, donec decidat, curari scribit. Modum satis dilucide tradit *Ambr. Paraus Oper. Chir. l. 7. c. 4.* eumque revulsionis modum esse ait: nimirum duplici filo vincietur, & vincta constringetur quousque decidat: ubi deciderit, locus inurendus caustico fistula incluso, vel 🜄 vel 🝆 ⊕li ex industria, ne vicinæ partes sanæ contingantur. Quod si pendula sit talis caruncula, tunc seta porcina, vel filo duplici de cauda equina sumto, vinciri potest, donec marcescat. Conf. *Arn. Weickh. thes. pharm. l. d.* In exemplum iterum adjungam novam *Wepferi* Nostri observationem: „ante plures annos cum Badam Argoviæ transirem, Nobilis Matrona sexagenaria major me vocavit, ac in medio maxillæ inferioris anterius ostendit tumorem rotundum, densa „membrana tectum, notabilis magnitudinis, nam diameter erat „℥iiß. altitudo ℥ij.: loquelam vitiabat, masticationem non „penitus impediebat, quia non à crasso pediculo pendens mobilis „erat antrorsum, inter masticandum retrocedebat: sensim crevit, „& per annum ad hanc molem pervenit: ob pediculi gracilitatem, „illum filo sericeo prope gingivam ligavi: ligaturam nescio ob quam „caussam alius Medicus improbavit, ac tumorem 🝆 caryoph. illinivit, sine ullo vel fructu vel damno: Thermarum usum continuavit eoque absoluto domum profecta est: Domi Veterinario „cuidam in sua arte non imperito, non diu post adventum monstravit

„ſtravit tumorem, ille accuratam ejus explorationem ſimulans, „ungue pollicis trudendo prope gingivam laceravit pediculum, „tumorque in os recidit, ut integrum explodere potuerit; ſecuta „eſt ingens hæmorrhagia, quam veterinarius, ſanguinem ſiſtenti-„bus deſtitutus, ſivit: ceſſavit tandem ſua ſponte: debilitabatur „quidem, verum alimentis boni ſucci & facilis coctionis datis, vires „ſenſim recuperavit & aliquot annis ſupervixit citra recidivam. Si vero ligaturæ nulla ſit opportunitas, ad ſectionem accedendum, cujus itidem varius eſt modus. *P. Sorbait M. Pr. l. c.* forcipibus ſeu uncis apprehenſam, reſcindendam eſſe vult, & cauteriſandam: quem modum etiam recenſet, approbat, & in Uxore ſua expertus eſt utilem *P. Foreſtus ſupra cit. obſ. l. 14. 16.* Uterque autem didicerat ex Aetio, qui Epulidem, ſi poſt medicamenta adhibita adhuc moram trahat, forcipe arreptam, tenui ſcapello aut enſiculo parvo jubet exſcindere. *Celſus l. 6. c. 13.* *quod ſi major*, inquit, *is tumor eſt, commodius totus exſcinditur. Paulus* volſella aut hamulo elevatam præſcindit, & hic quidem modus Epulidis tollendæ eſt undiquaque tutiſſimus atque optimus. Poſt ſectionem duo præſtanda ſunt, primum conſtringentibus ſanguinis fluxus inhibendus, & abſtergentibus vulnus mundandum eſt: ſecundum, ne repullulet malum, ſedulo & quantum fieri poteſt cavendum; priori utrique indicationi ſatisfacit *Pauli* ratio, dum poſt abſciſſionem vino, aut decocto hordei comm. & fl. roſ. rubr. c. melle roſat. os ac gingivas colluere jubet. *Celſus* ait, pure exempto, ſi levis plaga ſit, ſatis eſſe ore calidam aquam continere, ſi major, extrinſecus fovere lenticulæ cremore: ex quo loco forte *Ferrarius* ſuum illud modum, quem antea recenſuimus, adornavit. Idem Celſus mandere liguſtrum oportere, ſuccumque illum ore continere præcipit: ergo etiam hoc experimentum ex eo in ceterorum libros meavit. Alii poſt ſectionem illam celebratam os cum decocto myrrhæ & pauco ⊖e colluunt, quibus pro cujusvis arbitrio facillime alia quoque addi poſſunt. Poſt exciſionem *P. Ægineta* ſuadet etiam uſtionem ferro candente: quæ utique laudabilis eſt, ſi putredo ſimul

 adfuerit,

adfuerit, *vid. ad. h. l. Foreſt. l. jam. d.* Sic *Paræus l. d.* inquit: niſi inuſſeris, malum ſemper reverti ſolet. Idem uſtione multos ad priſtinam reduxit ſanitatem: conf. *Joh. Schenck. à Graffenb. Obſ. M. l. 1. de ging. obſ. 1. p. 197. Placentium Chir. l. 1. c. 20.* qui ferris △itis incidentibus hancce ſuperfluam in gingivis carnem 4. vicibus removit: quale exemplum & nos ſupra recenſuimus non unum; quamvis & hæc ſæpe fruſtra adhibeatur, quod accidit cumprimis, ubi vel os carioſum vel cancroſa diſpoſitio ſubeſt, in qua neque ferro, neque medicamentis, neque igne quicquam obtinetur, ſed omnis cura atque induſtria Medicorum fruſtranea eſt. Dente corrupto aut fracto, vel aliter vitiato oſſe, ubi incidit Epulidem renaſci, locus aperiendus, dens eximendus eſt, teſta oſſis ſi qua abſceſſit, recidenda, ſi quid vitioſi eſt, radendum, tum ulcus, ut alias ſolet fieri, occludendum eſt.

§. 7.

Hæc ita ſecundum Artis Leges fieri debent, quamvis non ſemper optatum finem iis aſſequamur; nonnunquam enim inciſionem excipit nullis remediis ſiſtenda, hincque lethalis hæmorrhagia: cujus rei notabile refert exemplum *Zacut. Luſit. l. 1. Pr. adm. Obſ. 87.* Non tamen his ab operatione deterreri ſe patiatur cordatus Chirurgus, ut *Platerus* fecit, qui hanc metuens, cum non neceſſe putaverit auferri, retinuit; plerumque enim & omnino neceſſum eſt eam exſcindi, & à tali hæmorrhagia nullum periculum metuendum eſt. Attamen, quia difficulter ſectionem noſtrates admittunt, & à ferro & igne, neſcio, quâ inani perſuaſione, mirifice abhorrent; antequam ad extrema hæc accedas, cathæreticis prius (ſi modo Excreſcentiæ natura id permittat) res tentari poterit: qualia ſunt ex levioribus quidem chalcitis ſeu ⊕. uſtum. ♀ uſtus, ſory, ærugo, vel per ſe, vel cum æquali pondere gallæ aut O. uſti, quæ quidem jure & experti commendant veteres Græci, item *M. Sebiz. in Sp. M. Pr. l. all. Arn. Weickard. theſ. pharm. l. 4. G. Walther. in ſylv. Med. lit. G.* quibus accenſendus eſt etiam lapis medicamentoſus *Crollii.* Ubi

tar-

tardius consumitur, exedentia necessario apponi suadet *Sennert. in Praxi l.d.* quale est ærugo vel per se, vel cum æq. p. gallar. Probe autem hic attendendum, ne æger salivam deglutiat; aut denique ▽a viridis ev ⊕is, pauco auripigmento, O. & quibusdam vulnerariis, addito melle, in ▽am infus. & decoctis, hic commode adhiberi possunt, quo affrictæ gingivæ à luxurie, flacciditate, & putredine defendantur; exempli loco sit vel ▽ virid. *Hartman.* vel ▽ virid. *Plateri*, cujus descriptio in fine obs. ejus prostat. Fortius agunt lapis infernalis, ☿▽atus, ▽, oleum ⊖li & his similia. Si successus respondeat expectationi, ulcus mundandum iis, quæ simul reliquias mali possent exstinguere, ex quibus sunt unguent. apostol. & efficacius Ægyptiacum, vel fuscum Fel. Würtzii, addito melle rosato & pulveribus, pro re nata, usurpanda. Huic scopo quæ ulterius inserviant, vide, sis, apud *Sennert. in Praxi l.c. Forest. Obs. Med. & Arn. Weickard. l. all.* aliosque. Antequam hunc locum relinquamus, meminisse juvat *Scribon. Largi*, qui in hoc casu sandaracham nobis commendat, quæ quidem Græcis & proximè seqq. seculorum Medicis arsenicum rubrum vulgo putatur: uti Arabibus Sandaracha est gummi juniperinum. Unde mirari subit *Johan. Rhodium*, Virum supra modum doctum, hanc ipsam Arab. Sandaracham fuisse commendatam existimare, cum *Largus* noster longe Arabibus omnibus sit antiquior, utpote Tiberii Cæsaris coætaneus: Inductus autem fuit sine dubio, quod auripigmentum seu arsenicum rubrum nimis periculosum existimaret, *Plinio* jam docente *l. 12. c. 26. summam ejus dotem esse septicam*: aliâs vero est notum, quam imprudenter arsenicum, etiam in sanis carnibus excedendis, imperiti nonnulli adhibeant, unde & ego ab eo abstinere potius suaserim, quam periculosum experimentum facere; quamvis & *Dioscor. l. 5. c. 5.* vulnera purgare affirmet. Iis igitur, quæ modo laudavimus, aut similibus frustra adhibitis, aut natura Epulidis exclusis (neque enim omnes hæc ferre, sed quasdam iis valde exasperari cum *Wepfero* supra notavimus) ad ferri auxilium intrepide accedendum est.

§. 8.

His tandem etiam DIÆTA ſubnectenda foret: ſed eam ipſe morbus ordinat & præſcribit. Quæ enim maxime hic vitanda ſunt acria, ⊖ſa, acida, nec ipſe morbus admittit, cum in oris cavo exquiſitiſſimo ſenſu præditis partibus incumbat hæreatque. Alvum vero ſegniorem laxativis idoneis ſubinde eſſe excitandam, ſupra eſt monitum, & quilibet prudens ſponte intelligit: reliqua etiam pro incidentium ratione facile perſpicit. Ad præſervandum vero ab hoc malo utile erit cum ſanguini, tum dentibus & gingivis ſedulo proſpicere: quorum prius per bonos mores, vitata omni luxuria & evitatis acrioribus, craſſioribus & qui ſcorbuto alias miniſtrant, obtineri poteſt: hoc autem, ſi quis munditiei ſtudioſus dentes à ſordibus, gingivas à laxitate dentifriciis, orisque collutionibus ſubinde cuſtodiat.



V. RE-



V.
RELATIO CHIRURGICA
de
Pustulis in labiis pueruli lactentis, à Nutrice Lue ♀ laborantis infecti.

Ego N. N. Chirurgus juratus Parisiensis hisce attestor, me requisitum & vi sententiæ, die 11. Julii An. 1674. publicatæ, ablegatum fuisse, ut Johannem Tiffartum, Nicolai Tiffarti, Fabri lignarii filium, ut & Ludovicam Ajournel, Johannis Coquebrunnii conjugem & filioli supradicti Nutricem inspicerem, an Lue ♀ laborent & uter alterum infecerit? referrem. Deposito itaque juramento consueto in ædes Nicolai Tiffarti me contuli, ejusque filium, Johannem Tiffartum, trium annorum puerulum inspexi & in ejus labiis, scroto & natibus pustulas Venereas reperi. A meridie in aliam domum, sub insigni Cygni albicantis, in via N. me conferens tertiam cameram in aula conscendi & Nutricem pueruli, Ludovicam Ajournel

 inveni,

inveni, in qua ſimiliter talia tubercula in ambitu papillæ mommarum, in partibus genitalibus & ano obſervavi. Unde tam Nutricem, quam infantem Lue ♀ laborare exiſtimo. Interim difficile judicatu eſt, quisnam prius infectus fuerit: eaque de cauſa nova inſpectio tam in Parentibus infantis, quam Viro & Marito Nutricis inſtituenda eſſet. Sign. Pariſiis die 15. Julii, 1674.

RELATIO ALTERA
de
Inſpectione Parentum & Mariti.

Ego Chirurgus Pariſienſis juratus hiſce refero, quod vi ſententiæ, die 7. Aug. 1674 publicatæ, die 13. ejusdem requiſitus fuerim, ut Nicolaum Tiſſart, Fabrum lignarium Pariſienſem, & Johannem Sialam, ejus conjugem, ut & Johannem Coquebrun, Ludovicæ Ajurnetiæ Maritum, inſpicerem & de ſtatu illorum certi quid atteſtarer, cum in priori mea relatione de dato 15. Jul. 1674. exiſtimaverim, difficulter admodum judicari poſſe, an Joh. Tiſſart puerulum 3. annorum hicque Nutricem ſuam, an vero hæc illam Lue ♀ infecerit, niſi pueruli

ruli Parentes & Nutricis Maritus simul inspectioni oculari subjicerentur. Hunc ergo in finem, præstito prius juramento consueto, in vicum N, ad Nicolaum Tissartum me deduci jussi, in quo prævia inspectione accurata ne minimam q. maculam, multo minus signum aliquod Luis ♀ aut præteritæ, aut præsentis observare potui; quemadmodum & Mulierem s. Conjugem ej. sub inspectione integra sanitate gaudentem inveni. Postquam autem eodem adhuc die ad ædes, sub insigni Cygni albicantis, in platea N. fui delatus & Nutricis Maritum inspexi, in sinistro ejus inguine cicatricem, adhuc rubicundam, cum duritie aliquali reperi, quæ meo q. judicio à caustico quodam, illic applicito, oriebatur. Antedictus enim Coquebrun, me percontante, referebat, se ante 8. vel 10. menses hoc in loco tumorem, eumque insignis magnitudinis habuisse, quem Chirurgus sub deligatione pro abscessu aliquo habuerit.

Meâ a. sententia tumor hic nihil aliud quam bubo Venereus fuit, qui ad perfectam sanationem deduci non potuit, adeoque duritiem talem in cicatrice reliquit, relicto in corpore Coquebrunnii veneno. Hic igitur suam Conjugem, & hæc

pue-

puerulum lactentem infecit. Sign. *Parisiis die 16. Julii.* 1674.

Similem CASUM vidi olim Argentinæ in Nosocomio Venereo, vulgò in dem Blatterhaus.

CURATIONEM

per panaceam ☿ rialem vid. in *Polychrestis* nostris *exoticis*.

Quandoquidem verò pustulæ consimiles cum labrosulcio seu Cheilocace Exterorum facile confundi possint; hinc ad discrimen felicius addiscendum subjungere liceat *Dn. D. Raygeri* Disput. Inauguralem *de Labrosulcio*, seu *Cheilocace*, An. 1698. Altdorfii ventilatam.

CAPUT I.

THESIS I.

Cum ex recepto more in nomina, tanquam τῶν ὄντων νοήματα inquirere prius nos oporteat, quam ad realem pertractationem nos recipiamus, eadem & ego incedam via, & paucis Ὀνοματολογίαν, præmittam.

II.

Dicitur ergo propositus affectus *Græcis* χειλοκάκη, *nomine* ex χεῖλος *labrum*, & κάκη *vitium* composito, adeoque partem affectam designante, in *Latinam* civitatem quoque recepto, ubi *Cheilocace* usitatum legimus; aliâs autem peculiare nomen *Labrosulcium*

à præ-

à præcipuo ac maxime conſpicuo ſymptomate deſumtum apud *Bootium loco antea citato* invenimus, quia malum hocce conſpectius reddunt foveolæ binæ in utroque labio, unæ in latere oris dextro, alteræ in ſiniſtro, quæ ipſum labii corpus anguſto quidem, ſed profundo ſulco, dividunt.

III.

Anglis & *Hibernis* (quibus idem morbus omni tempore familiaris eſt, interdum vero etiam, Epidemiæ luis inſtar, in quamplurimos populariter graſſatur, rariſſime tamen ac vix unquam adoritur adultos, ſed infantes duntaxat eosque ferè ab altero ætatis anno, quamvis & teneriores aliquanto, & paulo vetuſtiores, non ſint ſemper ab eo immunes,) appellatur Mouth Kanker, ſive Kanker of the Mouth. *Belgis* huic ipſi malo, propter ſcorbutum popularem, obnoxiis Water Kanker nuncupatur. *Germanis* nomen proprium propoſiti affectus in ſuo Idiomate nondum innotuit: poſſet tamen ad imitationem Belgarum Waſſer-Krebs / oder eine wäſſerichte Krebshafft-ſchwirige oder eyterige Geſchwulſt mit tieffen Lefftzen-Schrunden inſigniri.

CAPUT II.

TH. I.

Miſſa *Onomatologia* ad *Prægmatologiam* recto tramite progredior, eamque exordior a *Deſcriptione*, quæ autore *Galeno in Lib. de Medicis difinitionibus* ἐςὶ λόγος τυπωδῶς ἐμφανίζων τὰ πράγματα, *eſt oratio, qua res per rudem imaginem repreſentat.* Sed enimvero cum in Medicina definitiones ad Logicorum regulas ad amuſſim exigere nimis ſeverum foret, dabo ſequentem Medicam uſu ſufficientem.

II.

Cheilocace ſive Labroſulcium eſt tumor p. n. durus & non ni- „
hil rubicundus, ſed nequaquam fervidus aut inflammatorius, la- „
bii modo utriusque, utplurimum ſaltem ſuperioris, aliquanto ma „

„gis introrſum quam ad exteriorem partem vergens, ſicque labia à „gingivis & dentibus longius abſcedere & foras aliquatenus repli- „cari magna cum deformitate efficiens, præcipue autem foveolas „binas in utroque labro, unas in latere oris dextro, alteras in ſini- „ſtro, (quæ ipſum labii corpus anguſto quidem ſed profundo ſul- „co, ſanie madido aut craſſo pure obſito, interdum quoque cruſtu- „lis ſuccreſcentibus, dividunt) producens, quandoque ad partes „vicinas glanduloſas latius ſe diffundens, enatus à lympha acido- „⊖ na viſcida in glandulis ibidem diſpoſitis & ſubſtantia carnoſa „extravaſata coagulata, atque per moram ulteriorem acrimoniam „virulentam planeque cauſticam nacta.

III.

Genus definitionis poſuimus *tumorem p. n.* utpote actiones, nempe aſſumendorum commodam apprehenſionem, & concinnam loquelæ expreſſionem, atque in quibusdam ſuctionem lactis, lædentem; ſic enim diſtinguitur à labiorum in labeonibus, labronibus ac chilonibus inde dictis (qui plerumque inſipientes & hebetes eſſe ſolent, teſte *Johanne Sigismund. Elsholzio in Anthropometria Cap. XVIII. p. m. 94.*) notabili craſſitie. Reliqua verba *differentiam* complectuntur *ſpecificam*; illis ſiquidem probe penſitatis haud difficile erit præſentem affectum ab aliis labiorum & oris affectibus diſtinguere, ubi foveolæ deſcriptæ cum ſulco haud obvenire ſolent. Nam tameſi aliâs quoque *fiſſura labiorum* occurrat, illa tamen ſuperficialis tantum, ſive in membrana labia inveſtiente ſaltem eſt continuitatis ſolutio, à nimia rigiditate vel tenſione enata, qualem vel interni vapores, ex ſanguine in febribus aliisque morbis calidiore aſcendentes, vel aër externus ſiccior, aut aſperior moliri ſolet. Non minus longe aliter comparatum eſt cum *labio leporino*, quàm cum labriſulcio; labium quippe leporinum connatum eſt ab ipſo utero vitium, & cum manifeſto hiatu inter diviſas penitus labii oras intercedente, abſque tamen ullo puris vel ſaniei effluxu.

IV. Affi,

IV.

Affinis equidem videtur esse labrosulcio *Parulis*, quam descripsit *Aëtius Tetrabibl. II. Serm. 4. cap. 24 & 25.* quod sit *inflammatio partis alicujus gingivarum cum tumore, quæ, ubi non suppuratur absolvitur.* Sed vero eadem si recte inspiciatur, tumor est vel excrescentia in gingivis perruptis, circa molares obvia, sine tumore externo labia obsidente: deinde adultos quoque invadit scorbuticos, cum labrosulcium infantes potissimum incommodet; hinc *Excellentissimus Dominus D. Georg. Frid. Francus in Disputat. sua inaugurali de Epulide & Parulide cap. III. §. 7.* ex observatione ἰατρικωτάτȣ *Johann Jacob. Wepferi* recte annotavit, nullum sexum, nullamque ætatem dentatam esse, cui non quandoque gingivæ nunc versus buccam, nunc versus linguam aut palatum, in utraque maxilla, tumore inflammatorio corripiantur, plerumque præcedente vel comitante odontalgia, quandoque simul horrendè malas intumescere, idque ob circulum sanguinis ex arteriarum ramusculis in surculos venosos & lymphaticos impeditum, vel in gingivis, vel circa radices dentium, subinde in utroque loco simul.

V.

Sic etiam facile discernere licebit labrosulcium ab *Epulide. Epulis* quippe vocatur *excrescentia carnis gingivarum luxuriantis*, ἀκριβῶς docente *Dn. Jacobo Pancratio Brunone, in Amaltheo vel Lexico Medico p. 673.* atque talis ab inflammatione exsurgit ad intimum molarem, cum febre & dolore nonnunquam, teste *Paul. Aegineta de Arte medica Lib. III. cap. 26. p. 154.*

VI.

Sed & absque difficultate Medicus prudens Labrosulcium & *stomacacen*, sive στομακάκην ab invicem discernet: posterior quippe gingivarum laxo & fluido tumore, pruritu, cruentatione, fœtore & putredine instar soricis se prodit, ut propterea perspicacissimus *Hippocrates de internis affectionibus text. 34. n. 9.* jam dudum scripserit: *in Splenis morbo* sive scorbuto, καὶ τὰ οὖλα κακὸν ὄζει, καὶ ἀπὸ τῶν ὀδόντων ἀφίσταται, *& gingivæ male olent, & à dentibus abscedunt.*

VII.

Intereà non ſunt confundenda cum Labroſulcio *Aphtha*, ulcuſcula illa utplurimum alba, quandoque à bile tingente admixta copioſiori ſubflava, quandoq; ab acido bili admixto nigra vel livida, quandoq; à ſanguinolentis ex vaſculis capillaribus eroſis affuſis portionibus rubra, plus minus profunda, & corroſiva, in ſuperficie oris, labiorum, palati, buccarum, linguæ & faucium conſpicienda, cum inſigniter moleſto ardoris ſenſu conjuncta, à ſimili cum labroſulcio cauſa enata; quemadmodum *Bootius* l. a. confirmat, ut plurimum ac fere ſemper hunc morbum comitari aphthas, i. e. ulcuſcula oris in palato, lingua, buccis, labiis, gingivis; quanquam infinitus ſit infantium numerus, qui aphthas patiuntur absque eo ut in Cheilocacen incidant, ſicuti rurſus non raro accidit, ut idoneis remediis adhibitis aphthæ aboleantur, Cheilocace ſuperſtite.

VIII.

Neque cum labroſulcio confundi debet *Nodus labii*, Belgis een Lip Knoop dictus, qualis ictu, caſu aut percuſſione, imo etiam ubi dentibus apprehendimus labium, in eo produci, & ex doctrina *Albucaſis*, quæ habetur *II. part. Chirurg. Part. 27.* cultro primo exſcindi, hinc alumine uſto conſpergi à Chirurgis ſolet, teſte *Jobo à Meekren, Chirurgo Amſtel. in Obſerv. Medico-Chirurg. cap. XXXI. p. m. 80.*

IX.

Tandem etiam diſcrimen obſervandum inter Labroſulcium & *Cancrum verum*: in hoc namque tumoris notatur rotunditas, & inæqualitas, color ejus conſpicitur lividus aut fuſcus, adſunt circa tumorem aſſidui punctivi dolores, venæ in circuitu tumoris turgidæ ad adjacentes partes protenſæ conſpiciuntur, & ſi ſit exulceratus, caro eroſa inæqualis & ſubnigra ſorde madeſcit & horrida apparet, ex qua continue ſubnigrum aut fulvum virus, h. e. tenuis & erodens humiditas emanat, quæ utplurimum gravi odore adſtan-

ſtantium nares ferit: conferatur *Franciſc. Joël. Operum Medicor. Tom. VI. de Chirurgia p. m. 191. & 223.* Adhæc Cancri tumor exulceratus magnitudinem ovi palumbis, imo medii ovi gallinacei aſſequitur, ſicuti teſtatur *P. Marchetti Obſ. XXIX. & XXX.* & ex eo refert *Theoph. Bonetus in Mercurio compitalitio, ſive Indice Medico-Pract. lib. III. de affectibus à lit. C. incipientibus ſub titulo Cancer. §. 19. p. 72.* quamvis diffitendum non ſit, Cheilocacem ad Cancri virulentiam propinquo ſæpe accedere gradu; hinc erudite admodum *Celeberrimus Joan. Nicol. Pechlinus, Sereniſſ. Cimbriæ Ducis Conſiliarius & Archiater in Obſerv. Medico-Phyſicarum, lib. I. obſ. 67. p. 176.* ita ſcripſit: At nunc quoque ne in maculas tantum puſtulasque & tubercula, „ deſinere morbum credas, vidimus etiam inScirrhum & Carcinoma, „ tranſiiſſe vehementiorem ſcorbuticæ ſalſedinis gradum. Non in-„ frequens, (poſtea addit) maxime in puerulis, oris quoddam vul-„ tusque dehoneſtamentum, Cancer, in Belgio Waterkanker di-„ ctus; hic ipſe à ſcorbutici ⊖is, ſed lento ſeri ſanguinisque glutine„ inviſcati, acrimonia plane cauſtica, in glandulis primum oris inter „ nis gingivalibusque originem ſumit, mox in palatinas & maxillares, „ nunc etiam gulæ iſtas, tandem & univerſi vultus glanduloſi corti-„ cem prorepens miſeroque aliquot annorum ſpectaculo & triſti pa „ tientia ægros tandem interficiens. Interim tamen recte animadvertit *Cornel. Stalpart van der Wiel, Obſervat. rariorum Medico-Anatomico-Chirurgicarum Cent. poſterioris Part. Prior. in Scholiis ad Obſ. XIII.* parvum labii tumorem coloris cœrulei & tactu mollem cancrum dici non poſſe, verum ſi color iſte cœruleus ſit magis plumbeus aterve, & tumor tactu durus, ſolidus, & renitens malignus evadat, pro cancroſo habendum, & eo caſu tempeſtive forcipe auferendum eſſe; atque ibidem *Cheilocacen* expreſſe *Cancro vero* contradiſtinguit, quando ſcribit, in infantum labiis, aliam nonnunquam exulcerationum malignarum ſpeciem provenire, quæ cavæ duræque, nec ſine dolore nigricantes, ſubitoque proſerpentes, à ſcorbuto plerumque, adeoque male conſtituta ſaliva oriantur, & popularibus ſuis Waterkankers appellentur.

X.

Ceterum propoſitum labroſulcium Medicus etiam facile dignoſcet à *tumore* eorum *phlegmonode*, quia ibi tumorem nequaquam fervidum, & inflammatorium adeſſe expreſſe in definitione monuimus. Similiter tumorem labiorum *Oedematoſum* & colore albo & mollitie diſcrimen ſuum à labroſulcio ſenſibus prodere externis, palam eſt. De reliquo labia ex *Lue Gallica* ulcerata, inflata, ſubnigra, tumida, plumbea, & Carcinomatis inſtar dura, qualia annotavit *P. Foreſtus Obſ. Medicinal. Lib. XIV. de ægritudinibus labiorum obſ. 2.* ſimul concurrentia alia Luis Venereæ ſymptomata monſtrabunt.

XI.

Sed ſatis de hiſce, dum nunc concludo, ſi quæratur ad quamnam *morbi ſpeciem* pertineat Labroſulcium? reſpondendo, idem „morbum auctæ magnitudinis & ſolutæ unitatis complicatum eſſe.

CAPUT III.

TH. I.

Cum omnis morbus expoſtulet *ſubjectum*, cui inhæreat, & in quo ſuſtentetur, proximum nunc erit, ut ego etiam inquiram in *Labroſulcii ſubjectum*, quod quidem juxta Philoſophorum placitum ſtatuere licebit *duplex*, nempe vel *ut quod*, ultimum ſeu mediatum, ſcil. ipſum compoſitum totum *corpus vivens*, ſive *homo* ex *corpore extenſo organico* & *anima rationali* conſtans: vel *ut quo* primum ſive immediatum, nempe *labia*, hæc quippe *tumor* obſidet, & *ſulcus p. n.* dividit, adeoque ceu *morbus auctæ magnitudinis* & *ſolutæ unitatis* proxime afficit.

II.

Sunt autem *labia*, quæ & χείλεα ἀπὸ τοῦ χέειν λόγον, quod vocem fundant, appellantur, annotante *Adr. Spigelio de human. corpor.* *fa-*

fabrica lib. I. cap. 1. cap. 6. opercula oris dentium deformitatem tegentia, numero *duo*, *ſuperius* ἀνώχειλον, *inferius* κατώχειλον, quorum *extremitates rubea* πρόχειλον, ſin committantur invicem προςόμιον dicuntur; ipſum autem *foramen*, quod apertura ſua producunt, τὸ ςόμα h. e. os cognominatur.

III.

Inceſſit vero malum noſtrum quandoque *utrumque labium*, utplurimum tamen *ſuperius* duntaxat eo afficitur, & quando *ambo* ſimul hæc labes obſidet, longe tamen deterior ſemper eſt ſuperioris, quam inferioris labii conditio; interdum ea ipſa latius ſe diffundit, & *partes* alias *glanduloſas* oris interioris ambitu circumſcriptas & ſubſtantiæ affinitate junctas, communis cauſa prehendit.

IV.

Nec mirum, cum qualis *contextus* labiorum *glanduloſus conglomeratus* ſub membranulæ tenuioris amiculo abſconditus eſt, talis in universa buccarum, palati, fauciumque regione reperiatur, gingivarum verò ac linguæ ſpongioſa laxaque caro, glandulis etiam interdiſtincta minimis, propter contiguitatem & inundationem, quam a cauſa morbifica communem veluti ſuſcipit, non poſſit non ſimiliter vitium capere.

V.

Labiorum oris autem conſtitutionem ſi diſtincte examinare velimus, videbimus illa foris quidem tenella *cute*, intrinſecus verò *membrana* ori reliquo, œſophago & ventriculo continua integi, ſub illa *glandularum* aliquarum minimarũ contextum adeſſe, (quales etiam Lugduni viſæ ſunt ab *Olao Borrich.* in labiis humidioribus ictericі & febricitantis, à *Sylv.* in Noſocomin diſſecti, ſicuti ipſe perſcripſit ad *Th. Barth. Epiſt. Medicar. Cent. III. Ep. 97. p. 420.*) reliquam eamque præcipuam ſubſtantiæ partem conſtituere *carnem* à *Th. Bartholin. Anat. Lib. III. Cap. XI.* indigeſtam & fungoſam dictam, à *muſculo labiorum communi circulari* ſeu *in orbem circumcirca expanſo* ac reliquis *muſculorum* huc uſque exporrectorum *fibris motrici-*

tricibus efformatam; porrò notare licet *arterias* à partibus propinquis ad labiorum extimam membranam distributas, sanguinem cum individuo comite sero, pro vita & nutritione, necessarium adducere, purpureumque illum colorem & splendorem, pulchritudinis & sanitatis optimum indicem, labiis conciliare; *venulas* socias eundem munere suo defunctum revehere, & à morbosa stagnatione sive extravasatione vindicare, demum sensus motusq; beneficium largiri *nervulos*, qui à *quinti paris* rami minoris inferioris ramulo primo, in quatuor propagines diviso, plurimis fibrillis labro superiori accedunt, nec minus ab ejusdem paris rami majoris ac posterioris secunda ac media propagine, in plures fibrillas dirempta, labio inferiori prospiciunt, sicuti accuratissime investigavit & descripsit clarissimus *Raym. Vieussens, in Nevrographia universali lib. III. c. III.*

VI.

De reliquo, sicuti labiorum usus naturalis multiplex est, ut os claudant, & dentes partesque interiores à frigore ac externis injuriis tueantur, ad edendi & bibendi commoditatem faciant, ad vocis & loquelæ expressionem, atque sputi rejectionem symbolum suum conferant, denique ornatum vultus, animi & corporis speculi, absolvant, ita labrosulcium multiplicem illum usum lædere, ratio declarat & experientia confirmat.

CAPUT IV.

TH. I.

Cum juxta Medicinæ Principem *Hippocratem de arte t. XIX. n. 20. & 21. ejusdem scientiæ sit, morborum causas nosse, & morbos ipsos omnibus medicamentis, quæ augescere morbum prohibent, curare posse*, adeoque juxta eundem *de morb. mulier. l. t. XXII. n. XI. morborum vires considerare oporteat, & causas ex quibus morbi fiunt exquirere*; aurei illius moniti memor ego

quo-

quoque vivam, posthabita vana *Acri Agrigentini* Empiricorum Principis opinione, qui causas morborum incognoscibiles esse reputabat, referente *Galeno lib. de subfigmentis Empiricorum inscripto cap. I.*

II.

Jam verò supersedebo ego causis tumoris labiorum, in genere considerati, communibus recensendis, quas statuunt esse serosos humores ibidem p. n. collectos ac stagnantes, & ab acido coagulatos partes has distendentes; multo minus cum *Paracelso* singularem in labiis tumorem *alcola* ipsi dictum, carnis videlicet quandam superfluitatem, ex venis *Jovialibus* per *Martis* regionem transeuntibus, accersam; neque cum *Sylvio* augmentum substantiæ carneæ, vel humorum extra locum naturalem & intra substantiam labiorum effusionem tanquam causam genericam allegabo; nec etiam cum *Cartesii* asseclis *tumorem* vel *intra uterum* jamdum evenientem à fibris musculosis adhuc teneriotibus à copiosiori succo chyloso nutriente diductis, & spiritibus obrutis, ut illum ad alias partes commode nequeant remittere, vel *extra uteri ergastulum* demum notabilem talem labiorum tumorem à particulis spissioribus cum succo nutricio chyloso ad labia delatis, ob viscositatem suam retentis, fibrisque & glandulis cutaneis tenacius tunc adhærescentibus, repetam, quemadmodum tales hypotheses recensuit *Joh. Dolæus Encyclop. Chirurg. rationalis lib. I. cap. XIX. p.* 449. *& sequentibus.*

III.

Quin potius, observato consueto *causarum* ordine, *causam proximam & immediatam Labrosulcii*, in definitione supra jamdum expressam, primum pono lympham viscidam acido sali-„nam in glandulis & substantia carnosa labiorum affectorum ex-„travasatam, coagulatam, atque per moram ulteriorem acrimo-„niam virulentam, planeque causticam nactam: Nempe enim lympha, quæ naturaliter vel prorsus ἄποιος, vel exacta temperata esse debet, dum particulæ ejusdem salinæ sub aqueis & gelatinoso-oleosis, seu balsamicis atque terreis involutæ obveniunt, hic p. n.

ob particulas ſalinas in fluorem evectas, & depreſſis gelatinoſo-oleoſis ſeu balſamicis emergentes, atque ſpiculis ſuis rigidioribus caput veluti extollentes, acrimoniam induit acido-ſalinam, quæ ſucceſſu temporis invaleſcit, & inſtar aquarum ſtygiarum cauſtica evadit: eadem porro lympha, quæ in ſtatu ſecundum naturam fluida tenuisque eſſe ſolet, in præſente affectu notatur eſſe tenax, viſcida, glutinoſa, à particulis admixtis chyloſis ſimilibus viſcidis & acidi connubio talis reddita, ideo *pituitæ vitreæ* quodammodo comparanda, ſicuti *Fr. de le Boë Sylvius Prax. Med. lib. I. cap. XIV. §. 22.* pituitam viſcidam acido junctam vitream componere haud obſcure innuit, atque aliâs ſpiritus acidi operationem in frigore producendo multum à pituita promoveri §. *præced. 19.* ipſum docere experientiam, Doctorum æque ac imperitorum omnium magiſtram, ſcripſit.

IV.

Cauſa antecedens, ſive *mediata propinqua*, eſt *lympha præternaturaliter acido ſalina viſcida*, ex primis viis ad vaſa chylifera, hincque ad ſanguinea & nervoſa vaſa, & per hæc ad labia, tanquam partes in noſtro affectu ſubjectas, tendens, tum originaliter ipſe *liquor gaſtricus ſive fermentum ſtomachale acidum nimis fixum*, id enim, ita docente *B. Ettmüllero in Medic. Theor. & praxi generali inſtructo h. e. fundamentis Medicinæ veris Patholog. cap. II. §. 26. p. 17.* non rite alimenta digerit, unde in liquamen vel paſtam plus minus viſcidam, craſſam & tenacem, ſæpe ex debitæ volatiliſationis defectu, acidam abeunt, hincque non tantumodo cumulatur præternaturaliter cruſtà inteſtinorum & ſtomachi pituitoſa, ſed etiam id, quod ſanguini infunditur, ineptum eſt, ut ipſi aſſimiletur, aut partes ſolidas nutriat; quapropter obruuntur quaſi principia maſſæ ſanguineæ activa, hæcque craſſeſcit, ſpiſſeſcit, & imminute fermentatur tardeque circulatur, quin & viſcidior iſte chylus, dum in poris partium circa vaſa capillaria ſubſiſtit, viſcera inſtar ſpongiarum imprægnat, & proprio acido coagulatus in ſcirrhos abit, quæ mala eo ſunt pejora, quo acidior ſimul maſſa iſta chyloſa exiſtit. Porro

in

in causæ hic propositæ classe etiam recenseri apprime meretur *scorbuti* à fluidorum catholicorum *acore* enata *species*, sicuti *Exc. Pechlinus l. c.* id testatur, & ulcera telephia ceteroquin inde evenientia comprobant. Non minus *malum hypochondriacum*, *lues Venerea*, (quam in utero vel extra ipsum à nutrimento materno infecti infantes quandoque contrahunt) & hujus indolis *morbi*, ab *acido* geniti, hic commemorari debent: ad cujus asserti confirmationem facit *Joh. Muys, Prax. Chirurg. rational. Decad. II. Observat. X. p. 122.* ubi is refert, in puerulo bienni, qui jam per tres integros menses quartana laboraverat, se inter ejusdem labium superius & gingivam invenisse ulcus, quod ante quatriduum initium suum ceperat, satis alte sursum vergens, cavum, durum, dolens, nigricans & graveolens. Neque silentio involvendæ *glandulæ* tum *secretrices*, tum *reductrices*, tales quippe, ubi humores à succi nutricii distributione restibiles, quibus aliosum ablegandis inserviunt, præ meatuum suorum obstructione diutius detinuerunt, eos sensim acescere cogunt, in permagnum œconomiæ naturalis detrimentum, uti bene monuit *Gualterus Charleton. in Lib. singul. de Scorbuto Cap. VII. Art. XVI. p. 121.* Interim ne quis dubitet, ejusmodi acidum acre in corpore vivente dari posse, ex eodem *Charletono*, *l. c. Artic. III.* liceat ὡς ἐν παρόδῳ memorare visa exempla eorum, qui lotii sui aspergine ita corroserant linteamina, non aliter quam si -us ⊕ii iis inspersus fuisset, itemque aliorum, qui sudarium corruperant hæmorrhagia pariter corrosiva; porro exinde etiam allegare juvabit historiam Viri cujusdam Equestri dignitate ornati, in agro Glocestrensi, qui prodigioso quodam convulsionum genere per longam annorum seriem excruciatus nonnunquam sudorem profuderat adeo corrosivum, ut instar aquæ chrysulcæ lintea exederet, conferatur *Willis. de Morbis convuls. cap. IX. p. 511.* Tandem ad causæ mediatæ censum etiam sano sensu referri poterit *ætas infantilis*, utpote cui Labrosulcium præcipue infensum esse supra indicavimus, quatenus ob lactis continuum usum, & ἀδδηφαγίαν sive voracitatem ad satietatem & lubitum admissam, *acidi viscidique exsuperantia*

in ea facilius quam alibi emergit, & labia ob substantiæ teneritatem partim promptius lympham peccantem imbibunt, partim ab hac facilius se erodi & exulcerari patiuntur.

V.

Restant nunc enumerandæ *causæ procatarcticæ* in *rebus nonnaturalibus* inquirendæ. Illas autem inter 1. occurrit *Aër* particulis acribus, acidis vel acido-salinis, inquinatus, præsertim maritimus; nam quemadmodum Vir Prænobilissimus, Amplissimus, Excel-„lentissimus atque Experientissimus Dn. D. *Mauritius Hoffmannus* „Senior, Facultatis Medicæ Professor Primarius Celeberrimus, „& h. t. Decanus Spectatissimus, Potentiss. Electoris ac Sereniss. „Marchion. Brandenburgicor. & Duc. Wirtenberg. Consiliarius & „Archiater meritissimus, Dn. Patronus & Promotor meus ad tum-„bam usque venerandus, in Sciagraphia Morborum Contagioso-„rum Disput. I. Thes. 5. 6. 7. & 8. atomos aut particulas exiles quaquaversum avolantes aëri permixtas seminaria sæpe insensibilia morborum homogeneorum constituere, receptusque à corporibus dispositis aut admissas effectum sibi similem producere, non quidem semper simul atque tangunt, sed postquam tetigerunt, accuratissimè docuit, ita probabile etiam est, *aërem*, effluviis marinis acido-salinis inquinatum, quatenus *inspiratur*, salivæ liquori gastrico & consequenter universæ massæ sanguineæ acrimoniæ similis labem affricare, & quatenus *corpora ambit* spiculis suis acribus tenellam labiorum cutem lancinare, perfodere vel ad minimum Labrosulcium jamdum genitum magis exasperare ac exacerbare, quod ipsum videtur non solum *Bootius* sæpius citatus confirmare, quando in Anglia & Hibernia labrosulcium interdum Epidemiæ luis instar in quamplurimos populariter grassari annotavit, sed & *Excell. Pechlinus Observ. alleg. p. 169.* ad aëris fluidum marinis vaporibus iisque salsuginosis respexit, atque cum antehac perlustrasset tractum Italiæ maritimum, qui mari Hadriatico adjacet, ab aërei fluidi marisque salsa atmosphæra plurima ibi nata incommoda sibi visa recordatus

datus eſt, meminitque nullam fere fuiſſe urbem, quæ non propterea peculiari affectu ſalſo-catarrhali fuerit infeſtata, hic in pedum ulcera morbumque coxendicum, hic in Pleuritides & Phthiſes, alibi Ophthalmias, Epilepſias, aliaque morborum monſtra, deſinente fluore ſalſo lymphatico.

VI.

Poſt aërem morbificam tragœdiam præcipue ludunt *aſſumta*, ſcil. *chylus maternus* & *lac*, ſive jam ab ipſa matre & nutrice acrimonia acido-ſalina viſciditati involuta fuerint corrupta, ſive ob digeſtionis defectum, uberioremque copiam, in ventriculis infantium in liquamen acido-viſcoſum degeneraverint, ſive à liquore gaſtrico ibidem acorem vitioſum demum mutuata ſint: dein *cibi* acidi vel acido conditi, muriatici, fumo indurati, viſcidi, glutinoſi, piſces marini, nec minus *ſaccharata* & *mellita* edulia, quæ, utut palato abblandiantur ſua dulcedine, in receſſu tamen habent notabile acidum, quod per deſtillationem ex retorta, vel per fermentationem manifeſtum. Similiter nocent *potulenta acida* & *auſtera*: quo pertinent in Germania Rhenana, Neccarina, Bacharacenſia, Moſellana, Rhingovica, in Gallia Pictonica, Lutetiana, Aurelianenſia & ſimilia vinorum genera, acidum multum in receſſu gerentia.

VII.

Adhæc peccantis acidi viſcidique uberiorem proventum juvant: *immodica quies corporis*, quatenus humores ad ſtagnationem diſponit, & viceverſa *motus vehementior continuatus*, quatenus ſpiritus exhaurit: *vigiliæ perſeverantes*, quatenus ſpiritus animales conſumunt, ac per conſequens quorumvis humorum acrimoniam intendunt, teſte *Sylvio Prax. Medic. Lib. I. cap. XI. §. 20.*; *meticuloſitas & teror*, quatenus principia activa in humoribus & ſpiritibus deprimunt, tandem *alvi adſtrictio* pituitam inteſtinalem relinquens magis glutinoſam & acidam.

CAPUT V.

TH. I.

Quod *Hippocrates* aureis veluti literis menti nostræ inscriptum esse voluit, *in lib. de Medico text. XII. n. 5.* Μόνος ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος εἰκότως ἐπιχειρεῖ, *solus is, qui signorum cognitionem habet, ritè curationem seu operationem aggreditur*, idem & mihi dictum esse reputans, *signa* curationi præmittam, ne similis videar incauto illi hominum generi, ludibrio artis nato, quod neglectis signis

Uberis ac fluvii cancrum distinguere nescit,
Cardiacum morbum residere in poplite credit.

II.

Quum autem non solum *signa* in morbi notitiam nos deducant, sed & illorum beneficio de morbi eventu prædicere possimus, hincque signorum alia διαγνωστικά *diagnostica*, alia vero προγνωστικά *prognostica* sint & appellentur, ceu optime docuit *Illustr. Herm. Conringius, in introductione in universam artem Medicam cap. VI. p. 214. diagnostica* primum rimari ordo jubet.

III.

Hac ipsa autem, quia in *definitione* supra cap. II. th. II. allata jamdum expressa, breviter hic repetenda & declaranda erunt. Nimirum inter eadem labrosulcii *diagnosin* præbentia obvenit primo *tumor*, à glandulis & substantia carnosa, labia componentibus, propter lympham inibi extravasatam & coagulatam intumefactis, extensis sicque durioribus redditis, emergens; neque est, ut quis dubitet tumorem talem in glandulis labiorum, utpote naturaliter tam exiguis, ut ferme sensum fugiant, hærere posse, sed ego tali dubitanti cum *Cl. Muys Prax. Chirurg. rationalis Decad. II. Obs. IX. p. 120.* & seq. acclamo, num putas impossibile glandulam exiguam „ad tantam magnitudinem pervenire posse? perpende quæso, „quantum unius & ejusdem uteri magnitudo differat in virgine &

partu-

„parturiente, perlege disputationem quam Clariss. Dn. Joh. Munnicks, Profess. Utrajectinus An. 1678. de 20. Novembr. publice ventilandam proposuit, in qua narrat virginis alicujus tubam uterinam tam late extensam fuisse, ut centum & duodecim aquæ libras contineret: Ita omnino comparatum est cum partibus minimis, ut ab infarctu humorum, in reciproco suo commeatu interceptorum, in longe majorem molem extendi possint, idque præsertim in glandulis locum habet, quarum substantia laxa, spongiosa, vasculosa, fibrosa, & mucosa deprehenditur: unde modo allegatus *Muys* aliud adduxit experimentum, quod ad rem propositam propius accedit: scilicet, se, ubi à frigore supra modum læsus erat, non raro glandulas circa collum, quas in statu sanitatis tactu reperire non poterat, in tantam molem excrescere advertisse, ut ovum columbinum superarent.

IV.

Tumor autem porro in labrisulcio notatur nonnihil tantum *rubicundus*, sed nequaquam *fervidus* & *inflammatorius*, quia ibidem haud subsistit & transparet sanguis ♀eo ⊖nus biliosus fervidus, sed lympha acido-⊖na moleculis chyloso viscidis involuta in motu suo impedita stagnat; idem tumor dein utplurimum occupat solum *labium superius*, cujus deterior etiam, si ambo simul hæc labes obsidet, semper est conditio: an quia labii superioris crebrior est motus, affluxum lymphæ peccantis alliciens? an quia canaliculi lymphatici sub cute genarum, à *Nuckio in Epistola Anatomica de Inventis novis p. 141.* annotati, recta pone aures in glandulas mucosas lympham suam non, uti quidem debebant, evomunt, ut inde in lymphatica jugularia, & sic porro in subclaviam unam & alteram reducatur?

V.

Adhæc dictus modo tumor magis *introrsum* quam ad exteriorem partem vergit, quia diverticula lympha subsistens ibi facilius, quo recedat & commoretur, invenit, ob interiorem labiorum & gingivarum substantiam laxiorem, molliorem & glandulosam, quam

in

in exteriori fibroso cutis labia investientis contextu. Interim *labia* à gingivis & dentibus *longius abscedunt*, quia tumor glandularum medio interpositus loco illa ab hisce necessariò magis sejungit; non minus *labra* ipsa magna cum deformitate *foras replicantur*, quia cutis superinductæ fibrosa retiformis texturæ ulteriori extensioni reluctatur, adeoque suprà ejusdem oras necessario glandulæ tumidiores & ulterius expansæ protuberant.

VI.

Tandem deformitatem morbosam conspectiorem etiamnum reddunt *foveolæ binæ*, in labio utrinque dextrorsum & sinistrorsum notabiles, quæ ipsum labii corpus *angusto* quidem sed *profundo sulco* dividunt, quoniam tenuior ibidem labiorum substantia solutionem continui faciliùs admittit, & lympha acris peccans ex limbo labii superioris illuc sponte magis defluit, ex inferiori autem labio factâ pressione ad latera recedit, hæcque ipsa dum subtus cuniculos agit, & acrimoniam suam corrosivam exserit, profundum *sulcum* ulterius efficit, qui vel *sanie madet*, lymphâ existente ichorosa tenuiori, vel *crasso pure obsitus est*, portionibus crassis chyloso purulentis pluribus illi admixtis; interdum *crustulæ* succrescunt, ab aëre ambiente calidiori vel sicciori, ichoris vel puris superficiem incrassante seu condensante genitæ; demum quandoque *malum* ad *partes vicinas glandulosas* latius sese diffundit, quando uberior causæ peccantis copia labiorum limitibus sese coërceri renuit. Labrosulcii individui quoque comites sæpius sunt *Aphthæ*, ulcuscula nempe illa in superficie labiorum palati & buccarum &c. obvia, de quibus jamdum supra th. VII. cap. II. verba feci, quatenus lympha peccans alias etiam oris partes corripit glandulosas, & erosionem illarum molitur.

VII.

Sed satis de signis *Diagnosticis* labrosulcii; quod *Prognostica* nunc attinet, sciendum, *malum* hoc nonnullis sponte aut levibus remediis *sanescere* (ubi causæ morbificæ minor adest exuperantia, & acrimonia magis refracta, eidemque maturè remediis idoneis

obviam

obviam itur) ast plerumque si diutius negligatur, (nec principio occurratur, aut remediis incongruis vel ineptis perperam curatio instituatur,) illud *contumacissimum* evadere, (ita ut postea difficillime tollatur, & multo opere ægrè sanatum, aut sanitati proximum ægrè rebellet) in nonnullis vero idem penitus *immedicabile* reddi, & serpente contagio miseros infantes lenta tabe conficere; & tandem letho mittere, si intra aut extra uterum dyscrasia insignis scorbutica acris infantibus à Matribus & respective Nutricibus sit communicata, vel aëris ambientis noxia diathesis affectum morbosum exacerbet, quod tunc præcipue, teste *Bootio*, usu venire solet, quando epidemice hæc labes sævit.

CAPUT VI.

TH. I.

Medicum æger desiderat curantem, non eloquentem, & recte *Galenus*, alter post *Hippocratem* Medicinæ Princeps, *lib. V. de locis affectis cap. VII.* scripsit: *Se male imprecari iis, qui Medicæ speculationis vel principes se esse jactitant, nullius vero ægri volunt aggredi curationem, cum plerique non ratiocinatione, sed auxilio indigent.*

II.

Proin nunc mearum quoque erit partium, ut *Curationem* etiam in medium proferam. Illa ipsa vero sequentibus innititur *Indicationibus*: (1) *Ut lympha acido-⊖næ viscidæ ulterior affluxus ad glandulas & substantiam carnosam labiorum affectorum prohibeatur.* (2) *Ejusdem lymphæ in partibus affectis præsens & peccans acrimonia atq; visciditas demulceatur.* (3) *Foveolæ binæ cum sulco sanie madido aut pure crasso obsito, in labiis conspicua mundificentur, detergantur, ac consolidentur.*

III.

Indicationi primæ inserviunt *Evacuantia* & *Alterantia*. Inter *Evacuantia* ad peragendam feliciter curationem *Bootius* commen-

dat *purgantia*, non ſemel nec iterum, ſed repetitis vicibus (ita ut idoneum temporis ſpatium ſemper interponatur) exhibenda, & quidem pro captu corporum & ætatis ſatis valida, præcipue ex *Senna* & *Mercurio dulci*, duobus hiſce ceteris in propoſito malo præſtantibus, paranda. Quod ſi cum infante tractabili res ſit, ac immuni ab illa plerorumque pervicacia, qui omnia ferè oblata reſpuunt, aut non niſi difficillime admittunt, magnopere conducere allegatus *Autor* teſtatur purgare *decoctis*, paratis ex *fumaria*, *betonica*, *philliti*, *radicibus lapathi*, *cichorii*, *polypodii*, *ſenna*, *agarico*, *coriandro*, *tamarindis*, cujusmodi decocti bini ternive hauſtus die dandi, tertio aut quarto quoque die, per ſat longum temporis ſpatium.

IV.

Sed enim vero cum in propoſito affectu *duo* occurrant *impedimenta*, à quibus moleſtior fieret purgatio, *acrimonia* ſcil & *viſciditas materiæ evacuandæ*, uti alias erudite diſſeruit *Beatus Etmüllerus*, *in Medic. theor. & prax. generali inſtructo part. Patholog. cap. V. §. 36. p. 148.*, illa ante omnia removere oportebit, uſu *præparantium*, acrimoniam acidam temperantium, ac ad blandam ſalſedinem redigentium, nec minus viſciditatem reſolventium & attenuantium, vel purgantium uſui præmittendorum, vel cum eodem conjungendorum. Eapropter aliquot ante purgationem ſuſcipiendam diebus infanti labro ſulcio correpto exhibeatur *pulvis digeſtivus, ex ocul. ♋. præparat. ♁ diaphor. rad. ari præpar. & cinnab. nativa*; vel ad imitationem adducti *Ettmülleri in valetudinario infantili cap. III. §. 9. Syrupo de ſpina cervina, Syrup. roſ. ſolutiv. de ambubeja, Syrup. de cichor. cum rhabarbar*, cum *aqua fœniculi* dilutis, ad purgandum corpus exhibendis: admiſceantur *ocul. ♋. ∽us ⊖*ci aniſatus*; vel pulveri *radicis jalappæ*, ceu congrui hic purgantis, tempore uſus addatur pulvis *C. C. Philoſoph. præparat.* Robuſtioribus & paulo ætate provectioribus *rhabarbarum ſyrupo* alicui *catharctico* intermixtum, *pilulam* unam & alteram *aloëticam*, ad imitationem *Ludovici in pharmac. moderno ſeculo applicanda*

canda confectam, *Mercurium dulcem* rite paratum cum *Extr. Scorzoneræ*, vel *Trochiscum* unum alterumve *Hermeticum Cl. Scretæ in Tr. de febre castrensi maligna p. 222.* descriptum, pro ætatis discrimine, dare licebit.

V.

Post purgationem inter *evacuantia* huc apprime faciunt *diaphoretica*; quare infantibus pro potu præscribatur d*ecoctum C.C. cum rasp. rad. sarsaparill. scorzoner. chinæ, ras. ligni sassafras*, cum aqua simplici paratum, assumtis ad decoctionem, in gratiam saporis, *liquiritia rasa*, *sem. fœniculi*, *passulis majoribus* exacinatis, vel *minoribus* mundatis.

VI.

Quod si grandior sit infans, *Bootius sanguinem* è brachiis, vel hirudinis suctu, vel scalpello etiam *aperta vena* detrahendum esse suadet: sed præsidium hoc rarius ego necessarium crediderim, persuasus à *Gualtero Harris de morbis acutis infantum p. 74.* infantes victu tenuiori & minime lauto nutriri solitos *vera plethora* (utcunque fuerint floridi) laborare haud habendos: humiditatem iis inesse, qua diffluere omnes solent, atque ejusdem humidi in acidum præternaturalem ac facilem conversionem, esse omnium illis ægritudinum causam, neque credibile, sanguinem corpore eductum posse humidum temperamentum, idque præsertim in acidum jam degener, proprie corrigere.

VII.

Ita nec mihi arridet ejusdem *Bootii* consilium, quando utilissimum esse vult, *hirudines* faciei admovere iisque sanguinem tum ex fronte & temporibus, tum ex labiis ipsis affatim deplere, idque bis aut ter facere: tenelli quippe infantes ejusmodi suctionem dolorificam futuram haud perferent, sed & præcipue facta continui solutione facile à lymphæ acris affluxu vulnuscula inflicta minima cum faciei dehonestamento in ulcuscula sanie madentia aut pure crasso obducta degenerabunt: ne dicam de terrore, quem infantes inde procul dubio concipient.

VIII.

Fonticulos in alterutro, aut exigente neceſſitate in utroque brachio, vel per ſimplicem in conſuetis muſculorum interſtitiis cutis ſectionem, vel per impoſitum ibi cauteriũ potentiale, excitandos ego mallem, lymphæ vitioſæ quantitatem ſufficienter imminuentes, & futurum ad labia affluxum avertentes; cui ſcopo quoque ſubſerviunt *veſicatoria*, nuchæ aut brachiis admota, veſiculis inde excitatis, ope impoſiti *Empl. de meliloto* quarta parte *Emplaſtri veſicatorii* remixti, aliquamdiu apertis ſervandis.

IX.

Olim *harenarum* vel *arenarum* magnus & frequens erat uſus ad morbos à ſeroſa quadam colluvie oriundos; calore quippe ac ſiccitate ſua humores ſeroſos intercutaneos attenuaſſe, diſcuſſiſſe, vel per inſenſibilem tranſpirationem eduxiſſe obſeruatæ ſunt. Et hujuscemodi remedii plurima fit mentio apud autores Medicos. *Græce* quidem vocatur ψαμμισμὸς ἢ ψαμμοκόσια, Latine *Harenatio* & à *Baccio Saburratio:* commendaturque ab *Aetio Tetrab. I. ſerm. III. cap. IX.* ab *Aegineta lib. III. cap. XLVIII.* à *Baccio de Thermis lib. II. cap. XVII.* à *Plinio Natural. Hiſtor. Lib. XXXI. cap. VI.* Variis autem adhibebatur modis, vel enim corpus arenis involvebatur calidis, ut ex *Q. Seren. Sammonico* patet, *de Hydropiſi depellenda p. 17. ex editione Roc. Keuchenii.*

Nec non & tepidis convolves corpus harenis.

vel patientes deambulabant & volutabantur in eadem, conf. *Iſaac. Cauſabonus in Comment ad* Sveton. *Auguſt.* & ex eo *Joh. Schildius in Comment. ad l. c. p.* 278. nam & hic coxendice ac femore laborans harenarum & arundinum cura confirmabatur. Verum quia ψάμμωσις ſive arenatio noſtro ſeculo eſt inuſitata, monente *Rolfincio in Epitome Methodi cognoſcendi & curandi particulares corporis affectus lib. III. cap. IX p.* 236. eandem miſſam facio, tametſi *ſudatio in laconico ſicco*, ſi hoc ſubire infantis conditio permitteret, arenationi ſubſtitui poſſet.

X. Ha-

X.

Hactenus locutus sum de *Evacuantibus, primæ indicationi* subordinatis; nunc ad *Alterantia* propredior, quæ ipsa *secundæ* simul subserviunt *indicationi*, & talia, quæ acrimoniam acido-salinam debellant, existunt *terreo-alcalina* aliàs dicta, e. g. *C C. Philosoph. præparatum & ustum*, ♁ *um diaphoreticum*, *terræ sigillatæ variæ*, tum *ostradocerma* & *testacea* quævis præparata, nec non *fixiora metallica*, ♂ *lia ac* ♄ *nina*, communiter *præcipitantia*, sed rectius acidum *invertentia* & *absorbentia* dicta; dein huc quoque conferunt *oleosa*, acidum involventia, e, g. *Emulsiones ex hordeo, amygdalis dulcibus, seminibus 4. frigidis majoribus, sem. papav. alb. cum decocto C. C. raspati* paratæ: item *juscula pinguia* ad *gelatinæ* consistentiam cocta, ipsæ *gelatinæ* ex *ebore C. C. raspato, pedibus suillis* &c. elicitæ: Demum *aquea*, acidum diluendo temperantia, e. g. *decoctum hordei, passul. minor. C. C. raspati* jamdum propositum, *rad. Scorzoneræ*, *Sarsæparillæ* &c. quale pro potu aut solum concedendum, aut vino aut cerevisiæ in sufficiente quantitate affundendum; interea ut viscositas simul peccans corrigatur, opem præcipue ferunt alcalia volatilia urinosa; „ simplicia & composita ⚹ osa, e. g. ⚹ us & ⊖ volatile C. C. ⚹ ⊖ ⚹ ci „ simplex & anisatus, vel succinatus, ⊖ volatile ⚹ osum Sylvii, ⚹ us „ bezoard. Bussiab, Exc. *D. D. Kænigio* communicatus Miscell. Nat. „ Cur Decur. III, Ann. I. Obs. 149. p. 244. quæ in dosi minori paucarum guttarum ætati respondente, cum *jusculis* & *vehiculis* idoneis, infantibus propinanda sunt.

XI.

Atque cum his studiosè usurpanda sunt *appropriata antiscorbutica*, seligenda ex *Charleton.* supra citat. *de Scorbuto cap. XIII.* Sic *Dn. Johannes Mauricius Hoffmannus* unius anni puero cujusdam mulieris pauperis exulis, Labrosulcio scorbutico adeò defœdato, ut præter foveolas binas in utriusq; labii concursu dextorsum & sinistrorsum notabiles, cum sulcis pure viscido repletis, universa labra tumidiora & carne erosa luxuriante horrendum in modum protube-

rantia apparuerint, felici cum successu dedit *Essentiam antiscorbuticam ex turionibus abietis*, ad imitationem *Mollenbroccii in Tr. de Varis c. XIII. n. XXI. p.* 117. paratam, cui postea *Tincturam suam travmaticam balsamicam*, demumque *balsamum 🜍is anisat.* ad aliquot guttas subjunxit. Hinc in usum quoque vocare licebit Tincturam ♁ii 🝆 satam, Elix. proprietat. dulce antiscorbuticum, Tincturam salutis Langii, sive essentiam myrrhæ, essentiam balsami Peruviani cum ∽u ⊖ ✳ci vinoso paratam, & alia balsamica, sua virtute & acrimoniæ noxiæ contraria, & consolidationi labrosulci profutura.

XII.

Ubi insuper notandum, si infans, labrosulcio laborans, adhuc *lacte* Matris, vel Nutricis alatur, & cumprimis si culpa in tali lacte originaliter hæreat, Matri vel Nutrici similibus scopis destinata propinanda esse medicamenta ac hucusque commendavi.

XIII.

Interim si *dolor* infantem insignis simul divexet, aut *vigiliæ* affectum alioquin satis molestum exacerbent, *opiata* etiam in justo præbio assumere licebit, hæcce quippe acrimoniam omnem simul temperant, ex fide *Sylvii Prax. Med. lib. I. cap. XV. §.* 37.

XIV.

I*ndicationi III.* diversis pro diverso *morbi tempore & statu* succurrendum erit remediis: nam pro *detersione & mundificatione*, juxta experientiam *Bootii*, conveniet præcellens *decoctum chærephylli, quinque folii, myrrhidis, rosarum ac salviæ*, in quo ⊖ ⊕*li albi* seu, quod idem est ⊕*lum album* iteratis solutionibus filtrationibus ac coagulationibus summopere depuratum, sat magna copia dissolutum sit, sive eo cheilocace abluatur, sive lintea intincta imponantur. *Excellentissimus D. D. Hoffmannus Junior* supra nominatus, in fidelissima sua informatione privatissima, qua hucusque usus sum, mihi communicavit sequens *decoctum*, quod infanti (cujus ante mentionem feci) apprime profuit, tepidè cum penicillo intincto illitum:

Rec.

Rec. Fol. plantag.
salviæ
veronicæ
Flor. aquileg. an Mj.
Rasur. lign, sanct. ℥ß.
Coq. in ▽ fabror. ferrariorum ℔iß. ad remanent. ℔j.
Colaturæ adde syrup. de scabiosa ℥j.
de rosis siccis ʒij.
Tincturæ salutis Langii, sive myrrhæ ʒiij. M.

Vel ad exemplum *Joh. Muys, Prax. Chirurg. rationalis Decur. II. Obs. ultima* sub finem, præscribatur sequens *unguentum* acido corrosivo resistens:

Rec. Theriacæ ʒiiß.
Unguent. Ægypt. ʒiß.
G, laccæ pulv.
~us ⊖ ✱ci an. ℈ij.

M. F. *Unguentum*; quo cum pauculo *Spiritus vini* mixto calidè quotidie sexies lavetur pars affecta, eique imponantur lintea eodem medicamento imbuta. *Venerandus Dominus Parens meus, Carolus Reyger, Phil. & Medic. Doctor, diversorum Regni Hungariæ Statuum Archiater*, in Liberi Baronis cujusdam filioli unici, quinque annos nati, cheilocace optimam expertus est mane & vesperi factam inunctionem cum *spiritu vini camphorato*, superimposito dein *melle rosato* cum pulvere *terræ sigillatæ* & *aluminis usti* intermixto; *Stalpartus van der Wiel, loc. cit.* sequentem deprædicat mixturam:

Rec. Mellis rosar. ʒj. Ægyptiaci ℥ij.
Ol. ⊕li gutt. aliquot. M.

Pro *consolidatione* autem *foveolarum*, atque *sulcorum* cum reliqua labiorum carne *æquatione*, vel applicetur *linimentum Bootii è saccharo ♄ni, aqua plantaginis & ∘/∘ rosaceo* confectum, vel, quod remedium in Moniali octo annorum jugi obsequio & filiali cultu prosequendus *Dominus Parens meus* utile pro hoc scopo annota-

vit,

vit, *syrupus de rosis siccis* illis illinatur, parum addito *aluminis usti*; vel labrosulcio, ex ejusdem singulari observatione, inspergatur *nux moschata ad ignem ustulata & pulverisata*, eine zu Kohlen gebrante Muscatnus, utpote quæ egregiè exsiccat & consolidat. *Joh. Munnicks, Med. D. & Profess. Celebris in Univers. Ultraject. Prax. Chirurg. l. III. cap. XIII.* alias in labiorum ulceribus præscribit *ungt. rosac. nutritum & album camphoratum*, aliquamdiu in mortario plumbeo invicem permiscenda & subigenda. Ab *Excellentissimo* D. D. *Hoffmanno Juniore* sequens accepi:

Rec. Ungt. nihili ℥ß.
pomat.
de liquirit. an. ʒij.
☍ ovor. ℈ij.
Spermat. ceti
Ocul. ♋ præp. an. ℈i.
Camphor. gr. iv. M. ad Usum.

Ceterum sciendum, si cum *luis ♀eæ* contagio labrosulcium sit conjunctum, & refractarium blandioribus cedere nolit; ▽*m aluminosam Gabr. Fallopii*, ab eo præscriptam *de morbo gallico cap. XCIII. p. 742.* vel *aquas virides Plateri & Hartmanni*, legendas in hujus *Prax. Chymiat. cap. LII. §. 4. & 5.* in subsidium vocandas; tum *curationem* etiam internam adversus *luem ♀eam* instituendam esse.

XV.

Quod superest, quia sine *Diæta* omnis remediorum usus frustraneus deprehenditur, ejusdem quoque ratio habeatur. Videlicet infantes detineantur in contuberniis *aëre* temperato gaudentibus, *frigus* omne ambiens diligenter arceatur, sæpius parentur *suffimigia* ex *tacamahaca*, *mastiche*, *olibano*, *styrace*, *succino*: Mater quoque ac Nutrices sibi caveant à *corporis refrigeratione*, hisque pariter ac infantibus, quamdiu lactationi vacant, prohibeantur *edulia* acria, acida, ⊖e condita, fumo indurata, viscida, glutinosa,

sa concoctu difficilia; non minus æqua *quantitas* in assumendis nutrimentis attendatur. *Vinum* interdicatur acido saturum, *motus corporis* sit moderatus, justo tempore procurandus: *vigiliæ per hypnotica* vel *opiata* correcta sedentur: *diaphoresis* per frictiones cum linteis calentibus liberior reddatur: *alvus* segnior cibis laxantibus promoveatur, vel *enematum* vel *suppositoriorum* ope sollicitetur: denique *animus* ad *hilaritatem* per ludicra aliaque oculis & auribus grata objecta componatur.



VI.

RELATIO CHIRURGICA
de
OBSTRUCTIONE AORTÆ
indeque oriente Syncope.

Relatio hæc inserta est *Diario Medicinæ Parisiensi*, Mens. Jun. & Jul. An. 1686. Art. V. p. 31. ubi Vir 50. annorum à tribus annis palpitationi cordis & lypothymiæ (qua nunquam non per dimidium horæ quadrantem ceu mortuus, cum sudore frigido, humi jacebat) obnoxius tandem vehemente ira abreptus subito exspiraverat. Sectioni autem subjectus vasa infimi ventris san-

guine ſpiſſo referta, epar valde magnum lienemq; craſſum continebat: Pectore omni fere ſanguine deſtituto, ita ut ex omnibus ejus vaſis vix 2. cochlearia ſanguinis obtinere potuerit. In utroque enim ventriculo cordis, (quod craſſum admodum & pingue fuit) vena cava, arteria & vena pulmonali ne gutta quidem ſanguinis continebatur.

Circa principium arteriæ aortæ os ſolidum, utut liberum & nuſpiam adhærens, inventum fuit, quod fere penitus hoc vas ſanguiferum obſtruebat; quemadmodum hæc αὐτόπτης teſtari poſſum, cum die inſeq. in conventu, quem Eruditi Pariſienſes omni ſeptimana in ædibus Dn. *Abbatis Roquii* inſtituebant, portio arteriæ magnæ, cum polypo hoc oſſeo, à Chirurgo fuerit allatus. Varia autem tunc judicia ferebantur, partim de generatione, partim de effectibus hujus obſtructionis, quæ in cauſa fuit, ut ſanguis non niſi ſub inſigni corporis motu è corde in aortam propelli potuerit: unde Virille equo vectus à malo fuit immunis, ſtans vero & pedibus inſiſtens in lipothymiam, ſyncopen & palpitationem cordis ſæpiſſime incidebat. Oſſiculum enim aortæ ingreſſum obſtruens in cauſa fuit, quo minus circulus ſanguinis continuari potuerit;

rit, quo interrupto neque ſanguis per cavam in cordis thalamos redire valuit, ita ut neque ~ elaborari, neque ſanguis in reliqua vaſa impelli potuerit. Quum vero vis cordis elaſtica ſic augeretur ejusque fibræ aut nimium corrugatæ, aut plus juſto extenſæ tonum ſuum amiſerint, mirum non eſt, ſyncopen tam crebro acceſſiſſe: haud aliter ac idem à nimia cordis tenſione fieri ſolet, prout id Excellentiſſimus Tubingenſium Anteceſſor, Dn. *D. Camerarius*, in *Diſp.* ſua *Inaugurali de Tenſione Cordis*, elegantiſſime deduxit, quam, cum in pauciſſimorum ſit manibus, pace Nobiliſſ. Autoris, itineris quondam Comitis dulciſſimi, hic boni publici ergo ſimul inſerere liceat, quo in caſibus ejusmodi ſubitaneis eo promptius & cordatius proximo ſuccurrere, ejusque vitam ab interitu vindicare poſſimus. Verba ejus hæc ſunt:

Inter alia, quæ Curioſiſſimi hujus Seculi fervor quotidie adhuc ſuggerit, Artis Medicæ Tentamina, Celebres hodie ſunt Injectiones. Immittunt enim Cultores hujus Artis ſeduli apertis vivi corporis vaſis varia liquida, artificioſi ſiphonis ope, modo curioſæ indagationis, modo reſtituendæ ſanitatis gratia, prout varia talia ſuppeditant experimenta Viri Celeberrimi *Boyle*, *Clarck*, *Elsholtius*, *Ettmüllerus*, *Fracaſſatus*, *Garmannus*, *Hofmannus*, *Major*, *Schottus*, *Wren*, qui primus hujus Infuſionis Author dicitur, & Alii. Immittunt in cadaverum vaſa ac viſcera, Ceram diverſicolorem

lorem, Mercurium, Lac, aliosve liquores, quarum injectionum dexteritate celebres præcipue sunt *Gräfius*, *C. Bartholinus Nepos*, *Svvammerdamm*, *Nuck*, *du Verney*, *Brunnerus*, *Peyerus &c.* Immittitur etiam aër per insufflationem ipsis vasis, cum flatus beneficio variæ delitescentes partes deteguntur & meatus; de quo scripsit *Riolanus Anatomen Pnevmaticam.* Non solum autem ad partes, sed & causæ morbificæ lædendi modos detegendos talem aëris immissionem non parum conferre censeo. Cum ergo Inauguralis Disputationis ab Illustri Facultate Medica Hujus Academiæ mihi demandatæ Thema eligerem, arrisit EXPERIMENTUM à me inter alia privatim per Inflationem institutum, quod sequens est:

Mense August. prioris anni canis fœmellæ venæ jugulari sinistræ vehementi nisu inflatum aërem brevi vitam eidem ademisse & quidem secunda vice expertus, ultimo dicti anni mense tentavi, quid levior ac brevior valeat inflatio, ubi tale apparuit Phænomenon: Catuli venam jugularem dextram non præcipiti, sed provido denudatam cultro incidi, effluxit, quoniam studio non ligaveram, parum sanguinis, inflatione immisi aërem leviter absque insigni vehementia; quietior inde jacuit canis, fermè immobilis, absq; clamore, obmutescens, sine vigore quovis aut vivido aspectu; oculis semiapertis, membris flaccidis, collapsis, quasi resolutis, manus, queis ipsum tenuerat, licet retraxerit Socius, fortiter ego membra digitis vellicarim, non tamen movebatur: Linteolo aceto imbuto venam, ut sanguinis prohiberem effluxum, compressi. Jacuit Canis immobilis ad minimum per medium horæ quadrantem, tandem sensim sensimque se recolligebat, pedibus rursus insistebat, & alacrior factus membra agiliter movebat. Postea in ejusdem Canis sinistram detectam jugularem flatu valde vehementi transmisi aërem, inde apparuit frequens pulsatio, ejulatus, membrorum nullus rigor nec concussio, sed potius flaccescentia, sub finem canis os sæpius aperuit, & continuata insufflatione quiete obiit. Effluebat è vulnere Venæ sanguis spumosus, nec tamen ad se rediit canis; aperto abdomine & thorace peristaltice adhuc move-

movebantur intestina, Cor, ejus cavitates & vasa, aëre valde distenta, præcipuè autem auricula dextra adeò, ut inflata vena Cava & ligata arteria pulmonali magis expandi non potuisset, omnibus ejus fibris pellucentibus, à sanguine plane vacua, in neutro cordis ventriculo grumus conspiciebatur sanguinis, sed hic è ventriculis vulneratis fluidus cum aëre & spumosus profluebat, pericardium à corde penitus replebatur, ejus & cordis vasa coronaria plus aëris, quam sanguinis, continebant. In universo corporis ambitu arteriæ pariter ac venæ rubentes optimè erant conspicuæ, bullasque in minimis quoque ramulis manifestè exhibebant. Priori mense alium Canem meæ subjeci indagationi. In venam ejusdem dextram jugularem, ab omnibus incumbentibus liberatam, inflatu leviori ac breviori immisi aërem, unde mox canis obmutuit, flaccida membra penitus non movit, absque ulla vivacitate immobilis jacuit, licet acriter pressus & vellicatus. Postea successivè sibi reddi videbatur, & iterum alacri agilitate vegetus singula movit membra. Hinc eandem venam denuò sed intensiore spiritu insufflavi, unde canis ad illum virium & partium collapsum mox iterum delapsus in tali statu per horæ fere quadrantem permansit, inde verò post respirationem hianti ore frequentissimam tandem expiravit.

Occasionem, ut hæc tentarem, eorumque considerarem phænomena, primam suppeditavit Famigeratissimus *Dn. D. Wepferus* Senior, meo longe major encomio: Qui cum Parentem meum hîc Tubingæ viseret pro solita sua ac singulari humanitate inter alia plura ingeniosa & utilissima faventissimè, cum adhortatione ad tentanda paria, mihi communicavit scripto consignata phænomena, apparentia in enectis ab inflata hic sinistra, ibi dextra jugulari vena, vervece adultiore & vacca utero gerente. Occasione igitur propositi hujus experimenti, DEO T. O. M. favente, cujus auxilium devotus imploro, Tensionem cordis aliquando Lipothymiam inducentem deducere constitui. Novi Artis esse, non solum instituere experimenta, sed & de factis ratiocinari, & ex illis conclusiones

deducere; tenues tamen tentabo vires. Non nego, non tales ſolum, ſed & plures alias ex hoc phænomeno poſſe ac debere deduci Concluſiones; concedo ad lumen in Phyſiologia ſuper hoc Tentamine varias formari poſſe reflexiones. Verùm cum Theſes pro Certamine Inaugurali, non verò Tractatum conſcribere, utilitatem in Praxi, ad quam omnia Artis Medicæ collimare debent, intendere, ingenii tenuitas, ætas, temporis ac ſcopi conditio velint, in ſequentibus ſolis ſubſiſto: Ponens

I.

Inflari non raró ſolet Corpus Humanum.

NOn partes ſolùm corporis, ſed & quæ cauſæ morbificæ nomine veniunt, in Fluida diſpeſci ſolent & Solida. Iſtorum autem ambitum Humoroſa non exhauriunt, ſed in dicta Cauſarum claſſe frequenter etiam occurrunt Spirituoſa, ſub quibus comprehendo non tantum ſpiritus corporis, alias naturales, ſed à craſi ac texturâ debita degenerantes, verum & vapores, halitus, flatus. Inflantur quidem inteſtina ac ventriculus in corpore humano, etiam cum naturaliter illud ſe habet; aër enim, qui cum cibis illuc deſcendit, expandit ſeſe, exſurgunt ex illa ciborum fermentativa reſeratione halitus, flatus, quos à ſumpto cibo in ſaniſſimis etiam percipies: tales autem concordem corporis ſymmetriam non ſolum non lædunt, ſed & ipſi multum proſunt; absque his enim ſi eſſet, ſubſiderent, contraherentur inteſtina, tenuia præſertim, & chylum motu ſuo periſtaltico tam facilè non transmitterent, ſicut & absque aëre cibus & potus per gulam ventriculo advehi non poſſent. Nec aëri debito, ſalubriter inflanti, denegatur via ad carnes ac alias partes per ductulorum oſcilla ſive poros reticulati corporis noſtri tegumenti, imò qua admittitur quovis ferè momento, per reſpirationem, ſub qua ampliatum à muſculis pectoralibus thoracem in inſpiratione intrat, aut pondere ſuo primum atque elaterio irrumpit, ſanguinis motum oſcillatorium ad inſtar penduli conſervaturus, prout *Cel. Borellus de mot. animal.* neceſſitatem ejus in animantibus explicat, ſive, quod

quod Celeberrimo Mathematico placere novi, ut aëris externi vi ponderosæ atque pressioni resistat. Et, quod in sanguine aër sit in sui expansionem adeoque bullarum productionem pronus, sequens Experimentum à Nobiliss. *Boyle* institutum, quod *Act. Angl. Phil. ann.* 70. *mens. Sept.* exponit monstrat: Sanguis calidus agni vel ovis in ampli orificii vitro, imponebatur recipienti, in eum finem præparato, & antliâ citò adhibita aër exquisitè (notentur quæ præfat. in Ist. Experim. monet) exhauriebatur; post longam expectationem subtiliores partes sanguinis incipiebant perrumpere & emergere per viscosiores sive spissiores & videbantur bullire in amplas uvas, quarum quædam æquabant magnitudine fabas vel nuces muscatas; & nonnunquam admirantibus Physicis præsentibus, sanguis adeò erat volatilis, & expansio adeò vehemens, ut ebulliret ex continente vitro, in quo non ultra quartam partem, ut æstimabamus, implebat, quando primò infundebatur. Hic aër extra corpus, flatus in corporibus vocatur ab *Hippocrate l. d. flatib.* (quem librum *Lemosius* Hippocratis non esse dicit, quem & quosdam alii pnevmaticæ sectæ addicto Autori adscribere novi) ubi quærit: Quid sine hoc tandem fit, aut cui rei non adest? Flatus ergo in corpore etiam naturaliter disposito reperiuntur. Verùm flatus extra debitam sæpe migrare sphæram, varias corporis partes magnâ cum noxa inflare, exurgere sylvestres, ἀλλοτρίους, peregrinos spiritus, bina veritatis Medicæ fulcra abunde monstrant. Non meus concedit scopus, ut singulos recenseam & exponam morbos, quos à flatibus deducit *Hippocrates*, quos simul illis addit celebris ejus Encomiastes, cujus Eruditio ex remotissimis Japoniæ, Javæ &c. oris nobis transmittitur, p. 8. d. arthritide inquiens: Non probabile est, morborum aliam esse originem & causam, quàm spiritus flatusvé, qui prout vel copiosiores vel parciores corpori se insinuant, eò morbus vel gravior vel levior existit; prout vel magis vel minus maligni simul & multi, eò vel majus vel minus contagii ægritudines adferunt: τῶν δὲ νόσων ἁπασέων ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτός. Liceat hîc solum Hypochondriacum producere Orgasmum, ubi agitationem, ebullitionem, infla-

tionem

tionem, turbationem, tumultus varios, modò in toto corpore, modò in una & altera parte excitat præternaturalis fermentatio sive effervescentia. Hypochondriacus morbus, qui mirâ ac ludibunda symptomatum varietate & causæ ab Autoribus assignatæ diversitate & ægros & Medicos fatigat, neque latè nimis, ut asylum esse solet multorum, cum circa causæ perscrutationem aqua hæret, à me extenditur, neque strictioribus, dum saltem cardialgiam cum vomitu dicit, coarctatur limitibus. In hoc affectu non rarò vel ob liquoris gastrici s. menstrui stomachici inopiam, impeditam spirituositatem, viscidi tatem, aquositatem, aut aliud vitium inertem illum reddens, vel ob ineptitudinem ac renitentiam alimentorum, vel ob utrumque, accedente ventriculi calore debili, fibrarumque laxitate, debita impeditur fermentatio, solutio, coctio, & turbatus solùm illam perficiendi conatus contingit; vicissim, cum vel alimenta, vel medicamenta, vel excrementa, vel humores corporis varii obviam in tali hypochondriaco morbo facti inter se invicem congrediuntur, modò hæc, modò illa, modò ista, ingens excitatur effervescentia, tumultus, impetus, orgasmus. In istis enim assumptis & illorum scobibus, in humoribus tam corpori aliàs naturalibus, sanguine, lympha, chylo, saliva, liquore ac muco, tam ventriculi quam intestinorum, bile, succo pancreatico ac semine, sed degenerantibus, quàm præternaturalibus, quæ, quales & quantæ sunt particulæ? Hæ diversitate texturæ seminali ad subintrationem, amicam junctionem, assimilationem ineptæ, cùm à balsamicâ blanda sanguinis degenerant textura, cum suavi, demulcente ac obtundente sero destituuntur, cùm amor ille socius, harmonia amica, unio non contrariorum refractorum, sed debita proportione junctorum solvitur, cum sui juris factæ ab invicem secedunt, præternaturalis agitatio s. effervescentia vehemens, (quam sæpe solam in Tympanitide & Colica flatulenta accusat *Celeberr. L. Schröeck Jun. Eph. Germ. Ann. 1. Decur. 2. Schol. ad obs.* 80.) orgasmus flatuum frementium autor excitatur. Varia aliàs dicit Orgasmi vocabulum. In negotio generationis frequens est Autoribus; occasione *aphor.* 22. *s.* 1. *&* 19. *s.* 4. multos exercet

Medi-

Medicos, non ſolum Commentatores, ſed & qui regulas purgationis objecto & tempori præſcribunt. Ne verbis ludere videar, peto ut liceat hic mihi efferveſcentiam, turgeſcentiam, agitationem tumultuoſam, inflationem tenſivam, pravum humorum motum & impetum & orgaſmum pro uno accipere, prout & Cel. *Wirdigius l. 2. c. 1. §. 25.* inquit: Ad motum orgaſticum ſpirituum referri poteſt à flatibus intumeſcentia, qui & l. c. c. 5. §. 8. orgasmum à flatibus conjunctum eſſe cum extenſione, expanſione & turgeſcentia dicit. Iſtam autem ſeditionem excitantia inæqualia, ut vocat *Hippocrates*, mota, minima, ad generales claſſes referri poſſunt, in ſpecialibus tamen caſibus, tam diverſa varietate ſymptomatum ludentibus, tanta variorum iſtorum eſt complicatio, ut vix enumerari queat. Ex humoribus, quos plerique Medici tanquam cauſas adducere ſolent, in humano corpore peccantibus, quos deſcribit per multa aliquot librorum capita, miſturas tandem poſſibiles (rejectis impoſſibilibus) operoſe computat, & calculo ducto elicit ſpecies 80084. *Sanctorius Sanctorius*, Juſtinopolitanus, *Method. vitand. errorum, qui in arte Medica contingunt, l. 7. c. 9.* In corpore certe, præſertim à debita ſua craſi ac textura deviante, iſtorum, qui hypochondriaci vocantur, tam diverſa ſalium ſulphurumque ſunt genera, ut vix imo nondum Hermeticorum ac Pyrophilorum officinæ tot produxerint aut monſtrarint: Ipſe *Hippocrates* ultra ſexcenta in notiſſimo iſto loco non uno *libri de veteri Medicina* (quem Hippocratis eſſe, ab ipſius dictionis Hippocraticæ proprietate & fere omnium hactenus Eruditorum conſenſu probat *Cel. Borrichius*) extendit: imo infinita eſſe dicit. Non ſolum autem cujusvis indoles, ſed & varia habitudo ſ. reſpectus ad ſerum, lympham, obvia varia alia, tam fluida quam ſolida in corpore miram gignit varietatem. In quo autem iſta heterogeneitas (liceat ita loqui) ſive diverſitas conſiſtat, diverſi ſunt Autores, pro varia, quas ponunt, hypotheſium diverſitate. Quærunt in alcali, in acido, in ſulphure, in Mercurio, in fixo, in volatili, in oleoſis, lixivioſis, nitroſa textura, in frigore, calore, ſiccitate, duritie, craſſitie, ſubtilitate, in concavitate, in fiſſura, in hamis,

dentibus, uncis, variis angulis, conis, acuminibus, ſpiculis &c. Alcali & acidum in hoc negotio multum faciunt, at ſpecifice non omne expedire valent, quod Celebrium hodie *Chymicorum experimenta* docent. Quæcunque autem talia ſeditionem moventia ſint, heterogeneitatem illam & ſpecialem determinari à propria textura ſeminali, fermento ſeu principio debito dicantur, neceſſe eſt. Illud autem in quo conſiſtat, alii ſubſtantiam totam, alii formam ſpecialem, alii ſingularem ac modificatam materiæ texturam, alii ideas certas impreſſas adducent, ſingula à poſteriori concludendo, à priori determinabitur nihil. Jam in Macrocoſmo quotidie obſervare licet tantas pugnas, ſeditiones, ebullitiones: cum per iſtas particulæ ſegregantur à ſe invicem, aër ſui juris factus vim ſuam expanſivam exerit, in iſto vero niſu ſufflaminatur, & ita bullæ ac flatus vi ſibi viam parentes excitantur. Experimenta qui deſiderat officinas non ſolum Chymicas, ſed & varias mechanicas ingrediatur. Perpendatur aër artificialis, ut vocant, qui per varia Curioſorum tentamina ſuo quoque elatere deprehenſus, quippe & gelu intenſiſſimo condenſatus nonnihil, nec tamen in priſtinam liquoris formam redactus fuit, circa quem plura experimenta inſtituerunt *Boyle Experim. Phyſ. Mech. 22. & Mayovv Tract. 1. c. 9.* Feci ego tale experimentum cum aceto & creta, ſimileque ſe præbuit phænomenon, imo & *Mayovv* ope antliæ ſuctoriæ c. 15. ex ſimplici aqua fervente talem deducit; ſive in corporibus latitans eductus modo fuerit, ſive quod alii volunt, ipſe humor in aërem converſus, quem ætherem impurum & vaporibus atque halitibus inquinatum cenſet *Thom. Cornel. Conſent. Phyſ. Ep. d. cognatione aëris & aq. p. 415.* Sic & in Microcoſmo hypochondriaco illæ tam diverſæ, ut dixi, particulæ, ſive rerum non-naturalium, ſive contentorum fluidorum, ſive viſcerum, glandularum, generationi humorum naturalium ac depurationi inſervientium, ſive aliarum partium vitio genitæ, cumulatæ, obviam invicem factæ, puræ præſertim & impermiſtæ, ab intertextu aliarum non irretitæ, potiſſimum ſecretæ, ut loquitur *Hippocrates*, juvante jugi ſanguinis motu

&

& calore non solum pugnam illam promovente, sed & aërem magis expandente, flatus excitant impetuosos, ludificantia eorum tripudia, & verminantes eorum cruces, ut loquitur *Arnobius*, cum orgasmo & effervescentia, dum intestinum illud particularum bellum non solum ipsas ita agitari, sed & totius massæ sanguineæ motum progressivum intendi, maxime depravari facit, ut ita tam partes sanguinis inter se, quam ipse localiter impetuose moveantur. Orgasmus talis cum urget flatulentus, prædominari, si ad generales refero classes, suam magis indolem, texturam ac energiam exercere videntur vel sulphurea, tenuia, seu salino- sulphurea exaltata, vel acida, viscida, cruda, vel salino- terrestria, tartarea. Patet ergo non raro inflari corpus humanum, ac si quis aërem se se expandentem inflatione immitteret. Non abs ratione unum & alterum mihi hic oggeri posset dubium: 1. Orgasmus Hypochondriacus, effervescentia descripta, datur, sed omnis est febrilis: Verum Resp. Aliquando tali orgasmo febrem se jungere, aut vice versa huic istum, non nego, at confundenda non sunt; effervescentiæ enim in corpore dantur non paucæ, quæ febriles non sunt, ut præter hanc meam, non pauci arthritidis, cardialgiæ, choleræ, hæmorrhagiæ, maniæ, epilepsiæ, scorbuti, cachexiæ &c. casus docent. 2. Orgasmus in hypochondriacis, qui febrilis non est, ab ataxia feroci spirituum, spasmodicas tensiones, crispaturas, distorsiones, motiones varias excitante, ab irritatione partium continentium oritur, non à flatibus; multi enim Moderni hypochondriacum morbum à nervorum deducunt convulsione; hinc quidam ipsum Epilepsiam vocavit ventriculi. ℞. Talem spasmodicum tumultum ab orgasmo dicto itidem non nego in multis casibus, at alius est iste ab eo, quem hic intendo. Flatus enim distendere negari non potest, at quis semper istam distensionem spasmodicam ab irritatione inductam esse probabit. 3. Tanta, qualis adducitur, salium diversitas non est, quin ad duos istos generales salium conceptus, acidum & alcali, reduci valeant, ut sub ipsorum complectantur ambitu, suam exerentes potentiam eo, quo duo hæc genera (præsertim soluta) sibi in-

vicem obvia agunt & reagunt modo, ipsa se temperant, destruunt & tandem in Sal tertium concordia quadam abeunt, ut ita omnis eorum actio radicaliter à generali ista triplici dependeat textura. Resp. De salium fossilium generibus, quorum figuras eleganti diligentia describit Cel. *Lister d. fontibus Medic. Angliæ cap. 1.* hic non dicam: Non solum Celeberrimi hodie quidam Chymici insufficientia dicunt hæc principia, hanc denominationem salium ambitum non exhaurire; verum & Patroni horum, qui omnia hic complecti volunt, infinitam tamen specialium salium diversitatem concedunt. Consulantur saltem præter alios *Tachenius* & *Zwelferus*, in specialibus quidem valde discordes, in diversitate deducenda tamen concordes. Ab acido vitriolico epilepsiam, à nitroso chronicas febres, ab aluminoso dephlegmato hypochondriacum morbum, à putrefactivo scorbutum deducunt Chymici, imo in uno eodemq; hoc morbo modo ad Tartari naturam propius accedere, modo adstringens referre vitriolum, modo alumen simulare, modo aquam stygiam imitari salia dicunt; alcalicum in corpore aliud subtilius, aliud acrius, aliud amarum, adstringens aliud, aliud insipidum, aliud dulce, aliud alio modo exorbitans accusant. *Tachenius*, *Etmüllerus*, & alii specialibus specialium morborum acidis specialia & appropriata jubent opponere alcalica. In generico ergo isto conceptu conveniunt, at in variis casuum differentiis multam, probe Medico pensitandam, fovent differentiam. 4. Sulphura non solum à salibus distinguis, sed & diversa eorum præsupponis genera, cum tamen hodie Exercitatiss. Pyrophili sulphuris omnem texturam ac energiam à salibus deducant, & nil nisi sal & acidum esse dicant. ℞. Novi non convenire Chymicis usu longo Clarissimis circa hæc, dum modo extendunt quidam, modo arctius contrahunt alii ista, quæ denominationem largiri suis rebus debent principia, pro hypothesium varietate; hinc tam diversæ sæpe φαινομένων rationes, ceu & Philosophis, qui, ut Celeberr. *Frommannus d. Fascin. l. 3. p. 5. cap. 4.* sed alia occasione loquitur, in libera Republica degunt omnes, hoc commune est; hinc aliquando contingit, ut quidam

exprobrent Philosophis, quod mortuus, sed fictus, *Cartesius*, in *Dialog. Mortuor. tom. 2.* dicit: La philosophie (je croy qu'un mort peut dire tout ce qu'il veut) ressemble à un certain jeu, que font les enfans, où l'un d'entr'eux qui a les yeux bandez, court après les autres. S'il en attrape quelqu'un, il est obligé de le nommer, antrement il faut qu'il lâche sa prise, & recommence à courir. Il n'est pas que nous autres Philosophes, quoy que nous ayons les yeux bien bandez, nous n'attrapions quelquefois la verité, mais quoy? Nous ne luy pouvons pas soûtenir que c'est elle, que nous avons attrapée, & de ce moment là elle nous échape. Novi, inquam, varias istas Modernorum Chymicorum hypotheses ac denominationes; at eo me trahi non concedo, ut ego Tyro istam decidere præsumam controversiam; sed quia sulphureæ concretorum particulæ, præsertim sui juris factæ, aliæ longe sunt à salinis, ut communiter describuntur, quod e. g. in vino ipsarum inflammabilitas, oleositas in resinositatem proclivis, docto dum tractatur artificio, prodit, distinctarum à salinis, crystallinis, tartareis ex eodem eliciendis, distinctos edere effectus censeo. Ipsum acidum & sulphur debite juncta amicè utique conspirant, sed secreta invicem se obtundunt, ceu in sanguine, sero, & aliis humoribus diversissimæ sed debitè harmonicæ continentur particulæ, quæ, rupto fœdere, secretæ mirè invicem agunt ac lædunt. Ipsa vero inter se differre minima in nostro corpore sulphurea innotescit, si resolutas & coagulatas, mobiles & immobiles sulphurum in corpore species à Chymicis exponi solitas, si quæ sulphuri modo dulci, modo amaro, modo suaviter odoro, modo fœtido, modo tenui, modo crasso, modo volatili, modo fixo, modo maturo, modo immaturo &c. cum aliis juncto in morborum productione quidam attribuunt, quis consideret; imo *Scheunemannus d. Morb. Sulphureo Cagastrico cap. 1. §. 5. p. 30.* dicit: Quot partes in corpore humano contentæ, tot sulphura, natura, proprietate ac virtute diversa. Jam porro progredior:

II.

Orgasmus flatulentus dum ad Cor pertingit, tendendo illud Lipothymiam inducit.

Orgasmus talis flatulentus exurgere solet plerunque in Ventriculo & Intestinis, ubi morbi hactenus à me indigitati fomes ac minera latitat. Concurrunt hic ingesta, sputi, salivæ portio, gastricus, intestinalis, biliosus, pancreaticus, alii etiam per ordinarias vias cum sanguine advecti liquores, facile autem minima horum dissimilia heterogenea, in statu nimirum p. n. extra suos limites debitos hostiliter congredi, efferuescere ac flatus gignere, pronum cuivis judicare est. Non solum autem hic, sed & in massa sanguinea, sed & in partibus ipsis tale produci Gas sylvestre solet; modo enim in illa ipsæ non debitè subactæ particulæ prædominantes turbas facile excitant ac bullas, modo ipsa à peregrino in spumam agitur fermento. Flatulentorum halituum impetus qui sanguinem impetuosius commoveat testatur *Sachs. Ocean. Macro-Microc. §. 19.* vid. *Hornii Anemia Sanguinis:* In his disparia, modo propria partium ad assumenda utilia & ableganda inutilia minus debite dispositarum culpa, modo affluentis nutritii succi vitio genita & cumulata, agitantur, ac orgastici turbinis mineram suppeditant. Talisque partis, quæcumque sit, flatuum mineram continentis conditio, ex æolipilæ colligitur ratione, quæ expansos caloris ope vapores venti instar non sine impetu emittit. Ubi ubi autem primus hujus seditionis locus sit, via patet ipsi ad Cor. Ex intestinorum peristaltice motorum cavitate, juvantibus poris intro foras spectantibus, ordinaria per lactea vasa via patet. Ipsa hæc ceu chylo excipiendo destinata esse structura singularis, ligatura & alia probant, ita quin ebullientem ac flatulentum talem vel alium liquorem, præsertim à quacunque causa intestinorum ordinaria via occlusa, angustata, transvehere possint, quis dubitabit? *Johrenius d. Affect. hypoch. c. 5.* halitus acidiores per venas lacteas in venam cavam & cum

cum ſanguine in dextrum Cordis ventriculum, indeque arteriam pulmonalem & pulmones deducit. Per adaptatam fiſtulam fortiter flatum injecit in inteſtinum ligatum & lactea vaſa intumeſcere obſervavit *Barbette.* Ipſe, ut mihi de hoc certi quid conſtaret,non ſemel ſed ſæpius reiterata vice inſtitutis experimentis deprehendi ab immiſſo per inſufflationem aëre in varias tenuium inteſtinorum portiones lactea manifeſtè intumuiſſe. Viam etiam Chylo per meſaraicas venas ſternit & monſtrare conatur *van Horne* in *Prodromo p. 16. & 17.* quem ſequuntur quidam. Verum ipſe *Swammerdamm*, Patronus hujus ſententiæ, in *Mirac. Nat. p, 29.* difficultates adhuc circa hoc negotium videt, & *Th. Janſonius ab Almeloveen Invent. Nov-antiq. p. 200.* ulteriore probatione egere, iisque quæ in volucribus & piſcibus ſe monſtrant, experimentis in homine & quadrupedibus ſtabiliri non poſſe, Cel. *Peyerus Meth. Hiſtor. Anatomico Med. cap. 6.* dicit; hinc licet iſtam Chylo viam non aſſignem, tamen iſtud Celeb. ***Dn. Joh. Mauritii Hofmanni*** experimentum, quod in *diſſert. ad J. v. Horne Microc. p. 105.* exponit, dum infuſa olea ætherea facilem tranſitum in easdem conſecuta fuerunt, perſuadet etiam agitato bullienti liquori, præſertim in tali ſtatu p. n. illuc viam patere, quam & laudatus *ten Rhine l. c.* aſſignat. Et poſito, aëri ſoli tranſitum denegari, cum liquore tamen tranſire poterit, veluti & per poros ligni ac cutis aëris minimæ particulæ cum fumis & ſudoribus tranſpirant. Ex parte privata, ex ſanguinea maſſa ad dictum illud corporis Centrum decantatus ac monſtratus iter pandit circulus. Huic enim, poſtquam eum rationibus ac experimentis muniverant, autoritatibus etiam roborarant primi inventores ac excultores, autopſiæ magis expoſuerunt quidam ope injectionum in vaſa ſanguiveha, in quibus laudati jam Autores excellunt. Velut enim liquor injectus in partis cujusdam arteriam per venam redire obſervatur, ita quoque in experimento meo pnevmatico non arteriæ ſolum bullulas aëris exhibent copioſas minimique venularum ramuli, ſed & interiora quævis hinc valdè rubent & exiguos conſpectui ſiſtunt ductulos, indicio aërem poro-

ſitate

ſitates ſpongioſas carnium, & viſcerum capillares intraſſe venulas, non negantibus tranſitum innumeris tenuibus vaſculis, è quibus Parenchymata conſtare cenſet *Cel. Edmund. King. Act. Angl. ann. 66. m. Oct.* Laudat. *D. D. Wepferus* in communicatis experimentis ſupra memoratis aperto cadavere deprehendit flatum per jugularem ſiniſtram inſpiratum omnes arterias & venas quaquaverſus pervaſiſſe, idque intra pauciſſima momenta. Cel. *Borrichius* inflata arteria Cœliaca portæ & cavæ ramos, lymphatica ex hepate, reliqua ad receptaculum Chyli tendentia & ipſum ductum Thoracicum manifeſte flatu diſtendi obſervavit, ut Cel. *Bartholino* refert *Ep. C. 4. Ep. 17.* Magnificus h. t. Academiæ Heydelbergenſis Dn. Pro-Rector, Famigeratiſſimus *D. Francus in Diſp. de Nakir Arabum* inter cauſas adducit particulas heterogeneas cum chylo ſanguini immixtas, quæ in eo vitioſe fermenteſcentes ejusmodi vapores producunt, qui per arterias ad quasvis partes deferuntur. Cor autem, quo hactenus aërem ſe expandentem deduxi, viſcus illud medii ventris inverſam pyramidem referrens, robuſtum, firmum, at uniforme, pericardio involutum, in utroque latere appoſitas habet venarum expanſiones, auriculas dictas, duabus eſt conſpicuum cavitatibus, quas ventriculos vocant, quorum unus altero amplior atque robuſtior eſt, & fibris præditum eſt eximiis, curvis, ſpiralibus, inſtar glomi perplexis, quæ miris implicantur modis, varieque inflectuntur, experimentis per elixationem inſtitutis potiſſimum id monſtrantibus, quas ne la piccolezza indeboliſce, ne l'anguſtia impediſce, nè la moltitudine confonde, liceat hic dicere, quod ſcribit de miranda minimorum animalculorum ſtructura *Dan. Bartholi del ghiacc. e della coagulat. p. 2.* Pars hæc corporis princeps ſummam ſummi Artificis deprædicat ſapientiam, ſimul autem, quod & reliquis partibus contingit, controverſiis Autorum agitatur variis, qui in ejusdem non modo ſtructuram ac diſpoſitionem, ſed & uſum atque functionem inquirere allaborarunt curioſius, dum ſubſtantia, motus cauſa atque modus, ad mechanicas revocatus ac examinatus leges, ſanguinis purpura ad Chymicorum deſcripta placitum,

ſpiri-

ſpiritus ac vigoris productio dubia multum turbantia gignunt. Phyſiologicam ipſorum ventilationem meus ſupra præfixus non concedit ſcopus: ſufficiat nunc, cor iſtis auriculis, ventriculis & fibris præditum recipere ſanguinem, lympham & chylum, commiſcere varias eorundem particulas, ut immutatæ debitè ſibi invicem jungi queant & uniri, ſpiritus ac ſanguinem pro vita, nutritione ac vigore cudere, motu ſuo ad partes ſingulas diſtribuere ac diſpenſare. Hic enim fontes ſunt, ut *Hippocrates* loquitur, humanæ Naturæ, & hic flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur, atque hi etiam vitam homini conferunt. Tam nobile autem viſcus à morborum tamen inſultu immune non eſt, morte licet non mox ſubſequente, aliter quam *Ariſtoteles* & *Plinius* putarunt. Polypos cordis non raro Chronicorum cauſas morborum *Cel. Malpighius* & alii accuſant; nec pſeudopolypi *Kerckringii* citam ſemper afferunt mortem. Calculos, vermes, grumos ſanguinis, ulcera, abſceſſus, carunculas, excreſcentias & alia vid. collect. in Schol. *Eph. Germ. A. 1. D. 1. obſ. 31.* & plurima Cel. *Bonneti Sepulcret.* l. 2. ſ. 8. 9. & 10. Ipſe ego, ut è tenui meo penu quid addam, quondam non ſine ſtupore vidi non ſolum Cor tuberculis materiam vitello ovi non abſimilem continentibus obſeſſum, & copioſum pericardii humorem gelatinæ inſtar concretum, ſed & ſitum, qualem mucidus alias panis contrahere ſolet, prope Cor pulſans adhuc, juxta Arteriæ ramum aſcendentem in anſere diu morbido cultri anatomici ope à me examinato. Inter cordis autem affectus p. n. etiam locum do Lipothymiæ, cujus unum & alterum *Caſum*, cum varios, quos Parens meus per propriam praxin collegit, ad excolendum ſtudium meum Medicum aliquandiu jam ipſo manu ducente evolverem, notavi, dum nimirum unus & alter Æger, qui in juventute vitam per varias terras egerat liberam, ad iram cum mœſtitia indignabunda, quam Galli chagrin vocant, proniſſimus eſt, officio fungitur vitam requirente ſedentariam à cibis coctu durioribus & flatulentis facile læditur, pluribus jam modo remittentibus, modo increſcentibus fatigatus fuerat moleſtiis, cardialgia, ructibus, diſtenſionibus hypochondriorum, ap-

 petitu

petitu bulimode, torminibus, lassitudine, dyspnoea, cephalalgia, capitis quasi inanitate, turbatione, flatibus modo incarceratis, modo liberis, copiosis, qui habitu corporis erat macilento, vultu luteopallescente, venis distentis, dum, inquam, talis Hypochondriacus non semel, absque omni tamen typo, modò hoc, modò alio tempore, præsertim à copiosioribus aut dyspeptis variis cibis, à vino largius hausto, ab isto ipsi familiari animi pathemate intensiori, subitò post prægressam cordis insignem palpitationem & compressionem, totius turbationem corporis sensim sensimque increscentes, corripiebatur paroxysmo lipothymico, in quo pedes ac brachia collabebantur, vultus pallebat, corpus absque horrore vel rigore frigebat, præcordia ac hypochondria tendebantur, pulsus vix, imò nullus sentiebatur, mœror & anxietas aderant, summa cum virium dejectione, ut mortem jamjam singulis momentis sibi imminere censeret, paucissimis talia voce debili eloqui valens verbis, frigidumque tandem sudabat, à quibus molestiis æger medicamentis assumptis per Dei gratiam, excepta lassitudine, liberabatur, postquam elapso per talem pressum statum dimidiæ horæ spatio flatus copiosi per utrumque, inferius potissimum, guttur transmitti, vires cum calore sensim sensimque redire, ipsaque anxietas ac pectoris compressio cessare cœperant. Paroxysmi talis Lipothymici causam Cordis fibras nimium tensas, ventriculos ac auriculas, ad debitam contractionem ineptas nimium distentas accuso. Distendit autem utrumque ibi fluidum, & humorosum & spirituosum: aër enim expansus s. flatus in ventriculos Cordis delatus & ipso suo elatere & impetu ab alio pellente communicato, liquores rarefacti, agitati turgentes istos dilatant, ac ita fibras tendunt. Etiamsi enim in statu naturali dilatari illud soleat ac debeat, ut illabentem recipiat sanguinem, huncque in finem cavitates obtinuerit sat magnas, huic destinatas negotio, receptacula fluidorum per vasa vectorum communia, non tamen eò tendunt dicta, ut inibi detineantur, quin potius ut singula harmonicè consociata charactere vitali ibi tincta, spirituoso vigore induta mox constrictorio iterum propellantur motu, fibris, quarum

rum

rum glomos Recentiores egregiè explicant, huic negotio destinatis, spiritus ac vigorem partibus, quas per ordinarias petunt vias, afferant. Cum autem hîc dilatatio benigna naturalis non sit, sed peregrina, orgastica, tensiva, cùm propter illarũ fibrarum tensionẽ debita talis constrictio & ad partes sufficiens propulsio fieri non possit, imò etiam spiritus vitalis generatio, excitatio, harmonica variorum advectorum unitio, ipsa characteris vitalis impressio aliquantum impediatur, ipsæ partes quæ à corde, Microcosmi Sole, Lumen, sanguine ex corde dispensando vividum expectant vigorem, lumine destituuntur debito, graviter affliguntur, ipsa totius corporis machina, ad quam aëris ac humorum debitus maximè requiritur motus, valde turbatur, ipsis spiritibus, qui etiam in maxima effervescentia vigorem à volatilitate illa p. n. ob dyscrasiam non accipiunt, ad officium ineptis; inde & extrema frigent, quia caloris fons debitè non bullit (quid nî in quibusdam casibus & hûc advocare liceat sanguinis volatile sal cum extraneo congrediens, sub quali congressu, cum in Philosophicis adhuc litarem Castris, frigus excitare phœnomenis per instituta experimenta publicæ ventilationi exposui) uno verbo, Lipothymia, syncope oritur; jungi solitorum Symptomatum causas ex dictis & dicendis quivis facilè eruet. Ista autem tendens causa est, ut modo innui, liquor orgasticè irruens, aër in flatibus copiosis sese expandens, quorum in tali morbo frequentiam & exsurgendi modum jam delineavi. Hinc compressio, palpitatio cordis, ob eandem causam familiaria talibus mala, prægredi tales solent paroxysmos, à quibus insultibus cor magis ac magis impeditur, ægris jamdum spirituum debita crasi non gaudentibus. Ac in casibus his sanguis flatibus vehementer agitatus contrarium producit effectum, nimirum nimiùs motus imminutum, stasinque ejusdem, quia tensum Cor contrahere se atque istum pro vigoratione partium, talem qualem adhuc orgasticus largiri potest sanguis, transmittere non valet; nec enim intestinus, ceu vocare amant, id est, partium sanguinis inter se & proprius circa axin motus ad vitalem sufficit, licet necessariò requiratur, sed circu-

laris ille ac localis accedat necesse est, ne tota sanguinis turbetur dispositio ac energia. Fibræ ergò isti dicto cordis officio destinatæ in sua impediuntur actione, seu & carneæ in mediâ vesicæ tunica fibræ, ob urinæ copiam nimiam distendentem ichuriæ fiunt causa. Et contingit hîc, quod in causarum morbificarum lædendi modis aliàs etiam accidere solet, ut nimirum ipsæ lædere dicantur nimio motu, dum per partes fit, distendendo & suis disparibus solvendo, sed transitorium est; verum ubi s. spiritui s. humori libera denegatur via, vehementiora, diuturniora oboriuntur producta; sic in catarrhis latex s. lympha, maximè cum per partem transitus ipsi intercluditur, lædit; sic & flatus in genere, ubi exitum concedunt portæ patulæ, parum afficiunt; sed ubi vel solida, vel fibræ, tam in membranis quam musculis, spasmodicè aut aliâ causâ tensæ, aliquando ob laxitatem aut aliam degenerationem in propellendo segnes ipsam occludunt, vehementius lædunt, ubi ipse expansus aër viscido nimis tenaci, ceu in bullis ex sapone in aqua soluto & aliis viscidis apparet, includitur, ubi ipsi flatus crudi, id est, prout humoribus aliàs hoc applicant vocabulum, ad secernendum & excernendum propriâ culpâ inepti sunt, ubi tensione, quam fibris inducunt, sibi ipsi viam præcludunt, circulo quoad causam & effectum in morborum productione familiari. Et in his propositis casibus lypothymicis, postremam, non exclusis duabus præcedentibus, ego adducendam censeo detentionis Causam. Et hinc dum malum in illis solvi, remittere cœperat, per utrumque, potissimum inferius, guttur flatus egrediebatur, quia à medicamentis ista effervescentia distendens hîc & ibi remittebat, fibris naturale robur redibat, cruditas flatuum cessabat, potissimum, quia aperta illa ordinaria porta impetus à Corde avertebatur, & ipsis flatibus per solitas vias ex ipso Corde, sanguine & istis, ubi exurgebant, partibus huc derivatis, quod dicere in arte nostra heterodoxum non est; nam præter alia plura, varias sæpe vias monstrantia, observata à Parente tumoris pedum, in quodam ulcere renum laborante cachectico, subitanea per vomitum sponte obortum, & doloris ac tumoris

omnium

omnium artuum podagrici per flatus ac fæces cum cardialgia & torminibus per inferiora eductas celer cessatio; sicut & per gulam flatus, qui sanguinem prius infestarant, exire dicit *Auth. Novus Oeconom. Animal.* Quoties in summa Cephalalgiæ ferocia, anxietate, dejectione, paucorum exclusio flatuum præsentaneum affert levamen. Remansit lassitudo, quia non solum spiritus, ob causas dictas, in tubulis fibrarum spongiosis intra musculos deficiebant, sed & ipsi musculi variis adhuc excrementis infarcti in inflatione impediti fuerunt, ceu quibusdam explicare placet, adducentibus exemplum horologii rotarum, quæ ob rubiginem contractam non sine difficultate circumvolvuntur. Ceu autem illa inflans effervescentia, de quâ hactenus, per vias monstratas à me ad Cor deducta est, ita quin & casus, licet perrarò, dentur, ubi primò ista inde contingit, nullus dubito. Objici hic posset: 1. Inversus est, quem Doctiss. *Willisius* ponit, ordo, statuens, fibris plurimum distentis ampliari cavitatem intestinorum, ubi inclusi humoris portio in flatus ad occupandum spatium resolvatur. Hîc autem à flatibus jam præsentibus distendi fibras dicitur. Resp. In meis casibus præcessisse inflationem, symptomata tam familiaria, quàm paroxysmum modò prægressa docent; in quibusdam aliis casibus *Willisii* observari ordinem non nego. 2. Flatus sæpius non solùm illa pulsione, inflatione, impetu agunt, sed & suæ mineræ conditione, quæ córporis humani adversatur structuræ; istius enim morbidas redolent sordes: hinc ceu in hypochondriacis ac scorbuticis acidum frequenter (quod & experimenta instituta quotidie monstrare valent) coagulando Syncopen, præsertim Cardiacam, pulsus intermissiones &c. inducit, ita contrarium dissolvendo etiam Syncopes causa fieri solet. Imò sæpius ipsa acrimonia, quæ mineræ inest flatulentæ, irritat, in spasmodicas agit crispaturas, contractiones, tensiones. Resp. Singula hæc docent Ratio & Experientia, sed huc non spectant, quod exposita evincunt; hinc aliam contingere solitam dabilem posui hypothesin. Et quod hîc non acrimonia primas obtinuerit in causando vices, illud quod à Practicis quibusdam accuratioribus poni-

tur signum, docet, monentibus, si dolorum non fiat solutio, licet flatus per superiora & inferiora secedant, non flatus solum, sed aeres potissimum in causarum serie latitare humores. 3. Ipse ponis inflationem induxisse mortem; syncope autem seu lipothymia, licet morti satis propinqua, mors tamen nondum est, Resp. Concedo hoc, sed cen ipsa Experimenta modò mortem, modo collapsum saltem partium & virium, pro intensione vel remissione, diuturnitate vel brevitate inflationis monstrarunt, ita & in his Casibus nunquam omnem sanguinem aut omnes spiritus partibus denegavi, sed saltem sufficientes. 4. Spiritus animales per nervos debitè non vecti illam distributionem sanguinis, ut *Willisius d. Cerebr. & Nerv. cap.* 24. docet, impediunt. Resp. Et hoc in quibusdam casibus contingere concedo, at ex dictis patet nostro non quadrare. 5. Illa distendens causa dubio procul non solum invasit Cor, sed & egit in pulmones, in alias plures partes, de hoc autem lædendi modo altum hic silentium. Resp. Utique ista phænomena occasionem suppeditant singulares circa hæc formandi reflexiones, quas etiam proposuissem, sed mei, quos sub initium determinavi limites, ulterius ad talia progredi non concedunt. Et ne proprio solum ratiocinio niti videar, ecce sequentia: Exc. *Wepferus* in humanissimis ad me literis d. 18. Octobr. 1685. hæc scribit: Caniculum (de quo ipsi primum meum in hoc negotio experimentum transcripseram) mortuum existimo post inflationem fortiorem, non ab immutatione sanguinis, sed ob nimiam distensionem ventriculorum & auricularum cordis, ob quam fibræ ejus vim contrahendi se amiserunt, non secus ac vesica ab urinæ nimis copiosæ detentione tonum suum amisit: nam in omnibus experimentis corda summè distenta inveni: Si sanguini exitus concedatur, statim aliquem motum recuperasse observavi, sed non integrum & ad vitam sufficientem. Repetitis inflationibus sed brevioribus forte, alia symptomata observare licebit. Exc. *Dn. D. Mezgerus*, Decanus p. t. Facultatis Medicæ, *de flux. & reflux. sanguin. Exercitat* 3. §. 4. scribit: Sanguinē copiosis, fervidis & tenui-

bus

bus vaporibus cordis ventriculos plus æquo distendere naturalemque in iis contractionem impedire, palpitationis Cordis hoc modo autorem. Intensionem talis causæ Lypothymiæ cur dictis modis non applicare liceret; cum & palpitatio paroxysmum quemvis præcesserit sensim increscens. Idem Laudatus meus Dn. Præceptor atque Susceptor talem quoque in Praxi observavit Tensionem in Puero ann. 12. calidioris & siccioris constitutionis, qui correptus gravi cordis palpitatione, cum motibus artuum convulsivis miserrimis, sensibus & ratione constantibus, frustra internis & externis variis ab alio tractatus per integrum mensem, tandem suasu Ejus Venæ Sectione in momento curatus fuit, utut aperta Vena, ob consternationem forte, sanguinem non fuderit, remittente mox dilatatione cordis, quæ systole prius major palpitationem excitarat, & convulsionibus ab acri vaporoso sanguine, qui prius à medicamentis motus nec promotus tamen fuerat, ex *Hippocratis Epist. libr. de flat. l.* 7. *Epidem.* sequentia collegit breviter *ten Rhine l. c.* p. 47. Flatus ubi ipsum Cor appellunt, præter alia, Syncopen inferunt, cum spiritus magnus & densus corripuerit, ut magnus Artaxerxes Pæto suo scribit de anxietate, cumque ex eo defecerit calor, sanguinisque venarum (φλέβας in indifferenter pro venis & arteriis usurpant Veteres) suppressiones exortæ fuerint, ex quibus & ipsa mors quandoque consequitur. Subtil. *Anton. de Leuvvenhœck Anat. Nat. Invisib. Secret. p.* 78. Cor nimia sanguinis copia ultra solitum repletum diuturniori extensione ita disponi, dicit, ut sanguine licet ad circulum apto, contrahi tamen nequeat. Hoc quidni sanguine impetuose agitato, flatulento, majus spatium requitente, nisibus atque conatibus expellendi resistente dicere liceat? *Osvv. Grembs* Archeum cordis ad obtundendam salium corrosivorum, ex vitiata ejus digestione ortorum, vim cruorem copiosiorem allicere, hinc grandius reddi Cor & cruore infarciri vult. Palpitationi Cordis obnoxios post mortem in cadaveribus apertis exhibuisse Cor amplum, ad dilatationem majorem ineptum, *Boscus d. Facult. Anat. Ballonius & Cæsalpinus*

pinus in Catoptr. Art. Medicæ testatur. *Remon*, Præses Rhotomagensis, sæpissime palpitatione cordis corripi solebat, cum pulsu vel nullo, vel parvo & sine ordine, paroxysmo soluto edito crepitu, ructu. clystere, &c. referente *Hollerio de morb. intern. l.* 1. *cap.* 29. *Sch.* In ipso corde nebulosum flatuosumque detineri spiritum posse *Massarias pract. M. l.* 2. *c.* 8. & *Fienus de flatibus c.* 10. testantur. A sanguine copioso vaporoso redundante, replente, suffocante; repentinas mortes, Anno. 1651. fere epidemias, deducit *Panarolus*; *Bellinus de Pulsibus* ex contractione Cordis impedita causam inter alias quoque deducit pulsus intermittentis, si sanguis intra Cordis sinus fermentescens bullam excitet, velo comprehensam viscido, quæ amplior sit amplitudine arteriæ ac majoris resistentiæ ad crepandum per constrictionem externam, quam vis contractionis Cordis. Infusores Celebres deprehenderunt, injectis alcalibus volatilibus urinosis in venam sanguinem vehentem refluum, animal expirasse, penitus impedita circulatione, ob rarefactam nimis ejus substantiam, Corde reperto nimis repleto, & ob istud fluidum nimium tumido. Cumprimis Cel. *Anton de Heide* postquam *Obs.* 90. phænomena recensuit, subsequentia spiritus vini cum & sine gumm. gutt. Sal. Tartar. Liquor. Styptici, aquæ pluvialis & aëris per inflationem viventium canum venis immissionem, subjungit: Canes confectos esse injectis liquoribus sanguinem coagulantibus, quo circulationi fieri imparem facile est concipere. Sed difficultatis plus habere videtur, qua ratione canes tam subito interfecti sint rebus sanguinem fluidum servantibus. Perpenso autem quod sanguis fluidus multum rarefactus cordis ventriculos adeo distenderit, ut fibræ carneæ sese contrahere haud potuerint, patebit sanguinis Circulationem eo modo inhibitam subitaneæ mortis causam extitisse. Ex his firmas pro me consequentias formare sustineo. Ipse ego in istis canibus, qui, ut in Experiment. innui, à fortiori insufflatione vitam perdiderunt, post accuratam cultro anatomico factam scrutationem inveni Cor cum dextra auricula valdè expansum, è cujus ventriculis detrunca-

to cono prorupit primò purus putus aër, deinceps ſpumoſus ſanguis, tandem cruor fluidus; non ſemel inter talia tentamina celeriter ſtrepentem ſanguinem inflatum, borborygmorum inſtar, intra pectus reſonare audivi. Quæ *Borellus de mot. animal. p. 2. c. 5. prop.* 120. de animalibus in aëre machinæ Pneumaticæ Boylianæ rariſſimo & vacuo Torricelliano incluſis, & *Boyle l. c.* dicunt, licet quædam ex dictis tollere videantur, tamen in conflictu hactenus à me expoſitis illa applicari non poſſe ac conſona eſſe docebo. Patet ergò, Corde per orgaſmum flatulentum tenſo, oriri Lipothymiam: unde in tali caſu ſequentem formo cautelam practicam:

III.

Valdè Calida, multa Volatilia nocent.

Flatibus opponi ſolent Carminantia, communiter dicta, quæ calida, aromatica, oleoſa, nonnunquam acria, ſulphureo ſalina ſunt, quæ naturam juvant, preſſam liberant, deficientes, ſopitos, torpidos ſpiritus reſtaurant, ſuſcitant, calorem fovent, ſtagnantem ſanguinem promovent, ſerum imminuunt, fibras, ut ſuo melius fungantur officio, monent, conſolantur, roborant, pituitam incidunt, viſciditatem mucoſam reſolvunt, acidum domant, ponticum enervant, impediunt, quò minus concretum materiale in Gas ſpirituoſum ſeu flatus vertatur, Mercurium, ut quidam loqui amant, ingroſſatum propellunt, flatus diſcutiunt. In Affectibus Cordis & in ſpecie animi deliquio plerumque commendari ſolent Cardiaca, (controverſiam de Specificis hic tranſilio, receptum ſervans vocabulum) quæ ſi particulæ, ex quibus conſtant, & illarum ἐνέργεια conſiderantur, calida ſunt, & poſſident minima aromatica, oleoſa, ſulphurea, ſalina, volatilia, tenuia, ſpirituoſa, quæ agunt in ſpiritus corporis totius & potiſſimum Cordis, quantitate minori juſto, qualitate effœta, motu imminuto peccantes, emendando, in vapores, halitus craſſos diſcutiendo, in ſanguinem, grumoſum, ſtagnantem, vappidum, in ſpiritua ſcentia faciſcentem volatiliſando, movendo, rarefaciendo, in ſerum, copia, viſciditate, craſſitie, lentore peccans abſumendo,

incidendo, attenuando: in Cor, ejus calorem pressum, prostratum liberando, erigendo, fovendo, fibras laxas firmando, ductus ac cavitates à viscido quodam aut soliditati proximo angustatas dilatando. Et quidem talia, vel aliis adhuc, ut vocari amant, materialibus, minus activis, terrestribus, aquosis implicantur, irretiuntur, junguntur particulis, integra nimirum, nondum ignis artificiosi aut Vulcani Chymici vim experta; hinc tot Pulveres Compositos, , Tragæas, Confectiones, Species, Tabulas, Morsulos, &c. describunt Antidotaria & Dispensatoria: Vel artificiosa Pyrophilorum prudentia ab istis junctis liberata sunt, volatilia vulgo dicta, quæ hoc nostro seculo magno Medicæ Artis commodo frequentius in usum ducta sua volucri tenuitate valde penetrantia, multiplici se commendant experientia; hinc tot Aquas Compositas, *Spiritus*, Olea, Essentias, Elixiria, Tincturas, Salia Volatilia oleosa &c. exponunt Officinæ Chymicæ. Cum autem orgasmus talis, qualem descripsi supra, adest, quod patefaciunt non solum causæ prægressæ, affectus alias ægro familiares, sed & symptomata intensiora justo, ructus acres, vel nidorosi oleosi, cardialgia intensissima, dolores varii acuti, rosiones, ardores, compressiones, jactationes, ipsiusque tumultuosi impetus perceptio, cum talis, inquam, adest orgasmus, tanta agitatio, indeque modo dicta Syncope, laudata vulgo & modo descripta Carminantia, Cardiaca, deprædicata volatilia, largiori præsertim manu, ingesta, nocent magis quam prosunt. Ipsam enim acuunt mineram, agitationem ac effervescentiam intendunt, turgentes ac impetuose motos humores magis pellunt, aërem se expandentem magis attenuant, ac ad expansionem urgent, inde fibras magis tendunt, quæ Cor in propellendo, uniendo & tingendo impediunt, Nec sola hæc à meditationibus ac mentis conceptibus suggeritur ratio, sed & ipsa talia offert Experientia, cum tali orgasmo jactati ab usu Carminantium, Cardiacorum nimis Calidorum, Volatilium intensiores anxietates, vehementiores tensiones & susurros patiuntur. Idemque fatum manet ista vola-

tilia

tilia, quæ lixiviosa seu urinosa vocantur. Hæc frequentissimi hodie usus sunt, (ut & Medicus Celeberrimus, qui vitro inclusum tale semper in loculo circumferre pro extemporaneo ad ægros usu solebat, epitheton, inde sibi compararit,) magnaque præstant commoda; acidum enim corrosivum, sylvestre, viscidum dissociant, dulcificare illud mitigare, temperare, attenuare ac rarefacere dicuntur; tamen in descriptis tumultibus, præsertim majori quantitate, magis cum ægri damno, quam utilitate adhibentur; nam vel impetum sua tenuitate & mobilitate augent, vel ob hostilem occursum ac nimium congressum novam excitant, ac insignem effervescentiam, vel etiam, quod haud paucis placet, in Gas flatulentum abeuntia, alios flatus incarceratos, ceu cuneus cuneum trudit, nimium pellunt. Novi quidem, ista refrigerandi, incrassandi, inflammabilitati, accensioni resistendi viribus insigniri; sed quocunque modo hæc præstent, tamen intra corpus assumpta miras ac diras turbas, insignes ciere tumultus experientia docet? ceu & in istis mei Parentis supra allegatis Casibus Spir. C. C. volat. in exigua etiam dosi, impetum, turbationes ac anxietatem in ægris magis intendit, valde læsit, quo solo omisso, reliqua insigniter profuerunt. Erat Mixtura ex aq. borrag. cinamom. bugloss. Conf. alkerm. compl. Spir. Corn. Cerv. & Syr. Cort. Citri. Sive ergo oleosa, sive urinosa sint Volatilia, cautissime hic erit agendum. Sicuti enim circa alia medicamenta, quæ la mode facit communia ac frequentia, ut præsertim hodie sunt Chocolata, Caove, Thee, China Chinæ, Moxa &c. ita & potissimum circa volatilia locum habet illud: Usus habet laudem, crimen abusus habet. Quod de opiatis dicunt, esse instar gladii in manu furiosi, caute tractanda, idem Volatilibus applicatur optime. Certe aliquando, talia Volatilia minus debite tractata, animam avolare faciunt. Excell. *VVedelius d. Medicam. Facultatib. l. 2. s. 2. cap.* 4. inquit: Non in quibusvis flatulentiis tenuissima & potestate calida, volatiliora opponenda, imprimis in hypochondriacis, seu, qui affectu φυσώδει, id est, flatulento laborant, quibus sæpe & utplurimum temperatoria

 conveniunt,

conveniunt, quæ φλόγωσιν viſcerum, à ſalinis & nitro-ſulphureis particulis fotam, temperant; unde hoc paſſu ipſa temperantia & refrigerantia quaſi flatuum debellationi debentur, quatenus calidum innatum & hoc modo ſibi reſtituunt. Ex *Amœnit. Mat. Med. l.1. ſ.3. c.5.* Cardiaca Fixa ſæpe aromaticis & volatilioribus præſtantiora. Sive enim humores acidi abſorbendi fuerint, unicè proderunt ipſa præcipitantia, qualis eſt pulvis abſorbens, divinum medicamentum: ſive fermentatio & ὀργασμὸς bilioſus ſedandus: ſive moti fluctus & rarefactio nimia tollenda, ſive alia indicatio ſimilis, fixa ferunt auxilium, ſi, non nomine, ſaltim re, & effectu. Præſertim verò me inter œnopotas hîc agere, notari velim. Quod Acria volatilia nimis crebrò uſurpata turgeſcentiam in ſanguine concitent, Praxin confirmare dicit Cel. *Ammannus d. Palpitat. Cord.* §. 14 In Curâ palpitationis cordis, quam Cinamomum induxerat, volatilia & aromatica nihil faciebant, ab acidis tamen inſigne ſentiebat ægra levamen, teſte Cur. *Cummeno Eph. Germ. Ann.5. obſ.*134. Curioſiſſ. *Wolffius d. Cerev. Numburgenſi* § 36. quod in defunctorum cadaveribus corda magna, ampla atque patula reperta fuerint, aliquando concitato ac præcipiti ſanguinis motui ad Cor adſcribit, ipſumque a vini uſu oriri cenſet. Purum vini ſpiritum immiſſum viventis canis venæ crurali canem confeciſſe, corde à fluido ſanguine diſtento, dicit Laudatus *van Heide l. c.* Curioſiſſ. *Möllenbrocc. d. Cochlear. cap.*13. ubi de volatilium abuſu multa tradit, vehementia à ſale volatilis ſymptomata eorumque curationem recenſet. Cel. *Frid. Hofmannus Clav. Schroder. l.5. ſ.1. p.* 668. à crebro ſpiritus volatilis urinoſi uſu hæmoptyſin, phthiſin & mortem inductam tradit. Inſignis eſt obſervatio Cel. *Matthiæ Jacobæi in Act. Hafn. Vol.* 1. *obſ.* 113. quâ ſal volatile oleoſum Sylvianum ſanguinem craſſum nigricantem fecit primùm fluidiorem, ſed largiori manu potui immixtum nimis fluidum eundem reddens hæmorrhagiam narium crebram ac largam cum palpitatione Cordis excitavit, ut incraſſatione ſanguinis per acida adſtringentia & opiata opus fuerit. Quoad aromaticorum

uſum

usum, scrupulum etiam injicere cui posset illud phænomenon, quo aromata acrioribus particulis prædita acetum penetrantius, acrius reddere experimur; quod doctioribus relinquo. Urgebitur: Ergóne in talibus paroxysmis lipothymicis omne spirituosum penitus removendum? Ergóne in tali orgasmo flatulento penitus illa communiter dicta Carminantia exulare jubentur? Ergonè, quia hæc à plerisque Medicis laudata Cardiaca & Carminantia prohibentur, nihil agendum. Resp. 1. Spiritus utique vacillant, deficiunt, tales nimirum, quales naturaliter requiruntur; nam etiam, quando sanguis multum & p. n. spiritualscit, agitatur, valdè volatilis est, tamen non est volatilitas naturalis, cùm non quævis crasi ac textura spirituum actionibus apta sit. 2. Externè conducunt Elix. vit. Bals. Apopl. Aq. carbuncul. l'Eau dela Reine d'Hongrie, Ess. Succin. Spir. Sal. armoniac. & alia simil. 3. Internè in mediocri aut minori etiam dosi, ne agitent nimium, ne mineram acuant, indigitata prius Cardiaca, Carminativa aut volatilia non intensa exhibenda. Sicut & dicta Mixtura, continens Aq. cinamom. & Conf. alkerm. compl. profuit; sicut & Carminativa ex Flaved. Cort. aurant. & L. Sassafr. sive sem. fœnicul. prosunt. 4. In talibus, quales posui, Casibus, non tam Cardiaca calida, quàm frigida juvant; hæc enim spirituum effrænem motum compescunt, sanguinem nimis attenuatum volucrem concentrant, depriment, ligant, serum acre emendant, cordis nimium calorem corrigunt, tensas fibras relaxant, & nimis dilatatas cavitates ac ductus ad contractionem disponunt; quibus aliquando sub dicta limitatione Volatilia jungi possunt. In tali orgasmo effero alia, quæ optimo jure Carminantium inseruntur classi, suppetunt, ut sunt præcipitantia, absorbentia, imbibentia, implicantia, (quorum modum agendi egregiè expositum vid. apud Exc. *DD. Seretam de morbo castrens. p. 209. & seqq.*) destruentia, invertentia, diluentia, acidula, terrea, lapides, mucilagines, gelatinæ, calces, marina, &c. anodyna, imò opiata, quæ sæpe unicum remedium & sacra sunt anchora contra dolores à flatibus, teste Exc. *DD. Osiandro*, Prof. Medic. Extraordin. φυσοθεραπ. *th.* 19. Talia enim
 hosti-

hostiles, acidas, acres, sulphureo salinas particulas ante & in congressu dicto invertunt, immutant, à texturâ suâ reducunt, violentiam infringunt, seminale flatuum fermentum, Gas sylvestre, mineram fermentalem agitatam reprimunt, coërcent. 5. Sæpe distincta illa Carminantia felici junguntur fœdere. Latissimus hic de volatilibus in igne, (quæ Cel. *Bræn* distinguenda esse optimè monet) agendi modo, de aliis in praxi observandis, in specie de *Clysterum* maxima in talibus casibus utilitate, de *Venæsectione* instituenda & similibus se aperiret campus; sed pedem retrahere per causas in Proœmio dictas cogor.



VII.

RELATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE

PHIMOSI IMPERFECTA.

P.P.

POstquam ab Amplissimo Regimine Principali hujus loci requisitus fui, ut Colonum N. Stupri accusatum & pro excusatione sui, ob virilia minus rite constituta, impotentiam simulantem, inspicerem, per Chirurgum Academicum Kochium mem-

membrum, quo viri ſumus, detegi & contrectari juſſi, ubi ſe ſtatim erigebat, utut glans penitus detegi non potuerit, unde inſignem illi dolorem oriri aſſerebat. Quum verò cutis præputio glandi non ſit annata, cum Pamphilo aures arrigat, quædam etiam cum dolore delectent, ut Comicus loquitur: adhæc atretæ à limine ſalutatæ etiam concipere poſſint ut experientia atteſtatur; hinc Colonum hunc, Phimoſi imperfecta & bene curabili laborantem, ad generationem non omnino ineptum judico. Sign. Giſſæ die 3. April. 1700.

MICH. BERNHARD
VALENTINI. PP.

CURATIONEM

Vid. in ſeq. Diſp. Inaug. habita ſub præſidio Illuſtris *Dn. D. Wedelii*, a *Dn. Zeidelero* Jenæ A. 1705.

DE PHIMOSI ET PARAPHIMOSI.

CAPUT PRIMUM.

Philologiæ ſtudium quamvis non faciat Medicum, aptiorem tamen Medicinæ, ejusque certiorem reddit. Ad hoc cum vocum congrua derivatio & evolutio maxime pertineat, nominum autem uſus cognitus rerum, quarum naturam inſpicere amamus

amamus, notitiam inferat, merito etiam quædam de nominibus præmitti possunt.

Si itaque respiciamus originem, ut plurima nomina medica, ita & φίμωσις debetur Græciæ, quoniam ibi primis adhuc temporibus Medicina aliquanto magis, quam in ceteris regionibus exculta fuit. In Latio hinc usu quoque receptum legitur ideo, quod apud Græcos vocabula, inprimis obscœnarum partium, non solum nervosiustem exprimunt, sed & tolerabilius se habent communi Medicorum usu classico recepta; apud Latinos vero fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliqua verecundius loquentium commendata sunt, ut ipse *Celsus l. 6. c.* 18. fatetur.

Dicitur φίμωσις Latinis, vi vocis, capistratio, ἀπὸ τοῦ φίμου, quod vocabulum notat camum, seu vinculi genus, quo ferarum canumque ora obligantur, ne mordeant. Ponitur & φίμος ab Etymologis non raro pro obturamento, quo sibi os obligabant urinatores, ne aquam sorbere cogantur. Alii rursus proprie significare ajunt nexum summi oris perarum & sacculorum, cum, toto superiore ejus ambitu in angustum collecto, funiculo clauduntur & religantur.

Inde verbum φιμόω, *camo obligo*, fiscella & capistro, os obturo, quod prædicatur passim de jumentis & bobus, qui interdum fiscellis etiam capistrantur, ne segetes depascantur, & germinum tenera decerpant. Et hoc sensu in Bibliis à septuaginta interpretibus exprimitur, *Deuteron* 25. *v.* 4. (quod & citat *Paulus* 1. *Corinth.* 9 *v.* 9.) οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, non capistrabis bovem triturantem: vel, non ligabis os bovis terentis in area fruges tuas.

Mittimus reliquas significationes ejusdem commatis: neque enim nostri instituti est, omnes ac singulas huc excerpere. Sufficit interea, Medicos Græcos analogiam τῆς φιμώσεως transtulisse ad affectum quendam præputii, quo simul vi vocis per capistrationem quasi, seu constrictionem, mechanicus afficiendi modus appareat. Et hinc vocatur *Paulo Æginetæ* aliisque modo φίμος, *l.* 3. *c.* 73. modo φίμωσις, *l.* 6. *c.* 55.

Ex

Ex his simul patet, quod à nonnullis male scribatur φύμωσις per τὸ υ, ἀπὸ τοῦ φύματος, *à tuberculo* præternaturali, diverso longe & alio morbo, de quo *Celsus l. 5. c. 28.* cujus derivatio sicuti in re ipsa non fundata, ita nec scriptio huc quadrat.

Hoc evoluto de etymologica παραφιμώσεως, vel juxta *Paulum* περιφιμώσεως explicatione, (quorum loco & περιεπιφίμωσις, sed rarius, dicitur) facilius iudicare licet. Vtut enim τὸ παρα in compositione apud Græcos, cum in morbis præcipue, tum alias quoque minuere, violentiam & sic mitiorem hoc loco denotare affectum videri possit; το περὶ vero utplurimum significationem augeat vel intendat, attamen utrumque vocabulum unum eundemque affectum exprimit. Magis & minus enim, si id vel maxime admiserimus, non æque variant speciem, nullamque contrarietatem in cognoscendo & curando important.

Delibanda etiam est homonymia, errorum genitrix, quandoquidem ob propriam & impropriam, laxiorem item & strictiorem significationem, vox phimosis & paraphimosis ambiguitate quadam non caret, quæ quo studiosius cavenda, eo magis per commodam explicationem tollenda.

Et hunc æquivocum loquendi usum phimosis magis quam paraphimosis obtinuit, adeo ut (1) accipiatur, ab ipso *Galeno* latius, & paulo ἀκύρως, seu improprie, pro omni meatuum naturalium præclusione.

Sic phimosin talem interdum patiuntur palpebræ oculorum, si ob inflammationem (ut alias etiam ob paralysin,) in sese concidant, ut oculus aperiri nequeat; vid. *Holler. de morb. intern. l. 1. cap. 19. in schol. p. 126.*

Pari ratione locis mulieribus, vel in media uteri cervicis parte, vel prope ipsum uteri orificium clausis, tribuitur φίμωσις a *Paulo l. 3. c. 37.* dicente: γίνεται φίμος περὶ τὸ στόμα τῆς ὑστέρας, ἢ δι' ἕλκωσιν προηγμένην, ἢ διὰ φλεγμονὴν σκιῤῥωθεῖσαν, *Loci muliebres circa ipsorum os clauduntur vel ex præcedente exulceratione. vel durata illic inflammatione.* Inde tumor, aut cicatrix, vel coalescentia ob ulcus

 præ-

prægressum contrahitur, ut virilem mentulam postea in congressu recipere non possint.

Sæpe quoque ad osculi & vulvæ extremum, seu vaginæ orificium, ubi acerrimi virginitatis propugnatores velum quoddam membranaceum (quod hymenem vocant,) prætensum collocant, caruncula aut membrana concrescit, quo minus aperta sit vulva, vel omnino naturali constitutione clausa, ut *Rondeletius Method. curand. morb. l.* 3. *cap.* 55. vidit unam in Italia Romæ. Et hunc affectum *Forestus Observ.* 7. *l.* 26. *Hercul. Saxon. Medicin. Practic. l.* 4. *c.* 4. *Weickard. Thesaur. Pharmaceut. l. 1. c.* 19. *Blegny de art. curand. LuemVeneream part.* 2. *c.* 4. & alii phimosin nominant; mulieres vero phimosi hac affectas *Aetius* meliori jure atretas seu non perforatas dicit.

Facit huc, quod muliebre pudendum etiam circa nymphas & externa labia nonnunquam, licet raro, eundem affectum sustineat; id quod exemplo confirmat *Solingen in not. ad Chirurg.* ubi fœminæ cujusdam meminit, quæ ob labia pudendi in partu graviter læsa in manifestam talem phimosin incurrit.

Tacemus, quod talis præclusio sæpius etiam in ano & præputio (qualem *Platerus Observat. l.* 3. *p. m.* 601. annotavit,) in glande ipsa, (de qua *Wierus* observationem habet *l. circa finem*,) imo in labris, vulneribus quoque & quomodocunque exulceratis contingat, quæ phimosis nomen hoc modo reportavit. Vid. *Focsii Oeconom. Hipppocrat.*

Contra paraphimosis, hoc latiori sensu, vitium phimosi contrarium est, cum videlicet ea, quæ naturales meatus concludunt, opercula & tegumenta ita diducta sunt, ut reduci nequeant. vid. *Lexic. Med. Castelli.*

(2.) Strictius & ἰδίως, *proprie*, generaliori illi acceptioni contradistinguitur, ad specificam potissimum & determinatam rei expressionem, & uterque affectus pro vitio quodam sumitur in masculis. Si glans penis ita contecta est, ut nudari non possit, in specie φίμωσις appellatur, ut docet *Celsus l.* 7. *c.* 25. Sin summa cutis reduci

duci non poteſt, παραφίμωσις κατ' ἐξοχὴν audit; h. e. Wen die vorhaut uber die Krohn gevvorffen vvorden, daſs man ſie nicht kan vvieder hervorbringen,

Notari vero inprimis meretur duplicem quaſi ſtatui poſſe phimoſin & paraphimoſin, ſecundum naturam, & præter naturam. Illam dari manifeſto memorat *Cous* ipſe *l.* 4. *epid. c.* 20. *t.*6. ubi non ſolum eleganter phimoſin deſcribit, τὸ αἰδοῖον ἀκρόψιλον, *pudendum ſumma parte denudatum*; ſed & diſtinguit οὐ ξυγγενικὸν, *non connatum* fuiſſe. Confirmat *Galenus deſinit. Medic.* ubi, phimi, *ait*, duo diſcrimina ſunt, vel enim ex natura fit, vel poſtea gignitur. Imo idem teſtatur experientia, adeoque inſtar regulæ omnes mares ſecundum naturam vel glandem habent tectam, vel nudatam: ibi præputio obducto & eminente, hic conſtanter retracto.

Vel tacentibus nobis ex his relinquitur, agere nos de phimoſi & paraphimoſi ſpecialiſſime accepta, eaque non ſecundum naturam, ſiquidem nulla ibi eſt actionis læſio, ſed præter naturam, uno verbo, morboſa.

Patet etiam hinc, non niſi latius paulo & generaliori conceptu lipodermum poſſe paraphimoſin ſynonymice exprimere. Etenim, autore *Galeno loc. cit.* lipodermus eſt defectus pelliculæ tegentis glandem collis, adeo, ut diſtrahi amplius nequeat. Hinc vi vocis λειπόδερμοι in concreto (a λείπω, *deficio*, deſum, & δέρμα, τος, τὸ, *cutis*) quaſi cute deficientes, ſunt apellæ, qui vel ob vitium connatum natura nullam plane pelliculam caput penis integentem ac ornantem habent, vel quarundam gentium, ut Iudæorum, more circumciſi illa quoque deſtituuntur. Contra ea in paraphimoſi non eſt defectus cuticulæ alias balanum inveſtientis, quamvis abducta glandem tegere nequeat.

Germani nonnulli, annotante *VVeickardo in Theſauro Pharmaceutico l.* 4. *de extern. corp. affect.* τὸ παραφιμοῦσθαι haud ἀπρεπῶς circumloquuntur: den Kolben tragen: forſitan ob figuram externam, quàm collis extremitas cute nudata refert paululum ro-

tundam, vel jocose: er hat sich verbrannt, id quod minus cautum circa τὰ ἀνόητα, & quidem illicita, arguit, simulque meritam suæ imprudentiæ pænam innuit, secundum illud: per quod quis peccat, per idem punitur & idem.

His præmissis DEFINITIO sequens poni potest: Phimosis & Paraphimosis est mobilitas præputii impedita, deorsum in phimosi, sursum in paraphimosi, à strictura præter naturam angustante, undecunque orta.

GENUS utriusque est respective idem motus, seu mobilitas præputii impedita, adeoque actio læsa, eaque modo abolita, saltim imperfecte & in tantum, secundum quid, & pro tempore, quod vocant, modo imminuta magis, ne dicamus aliquando etiam depravata respective, ut in paraphimosi inprimis, siquidem vitiose, indecenter, non uti debet, retorquetur.

Liceat id illustrare uno alteroque saltim loco: Sic *Paulus Aegineta l.6. c.55.* Διττὸν τῆς φιμώσεως, *inquit*, ἄιτιον γίνεται. Πότε μὲν γὰρ ἡ πόσθη καλύψασα τὴν βάλανον, ἀποσύρεσθαι πάλιν ἀδυνατεῖ. Πότε δὲ ἀπαχθεῖσα ὀπίσω οὐκέτι ἐπάγεται. Τοῦτο τὸ εἶδος ἰδίως περιφίμωσις προσαγορεύεται. *Duplex phimosis causa* (seu forma potius) *est. Aliquando enim sic glandem præputium tegit, ne nudari possit: aliquando retrorsum deductum reduci non potest. Hæc species proprie paraphimosis dicitur.*

Hoc ipso loco classico confirmatur superius dictis addendum, phimosin latiori significatu de utrisque affectibus prædicari, phimosi æque specialius accepta, & periphimosi: utrobique enim adest quædam convenientia circa stricturam; specifice vero & localiter distingui. Confer *Lexic. Anglico-Latinum Guldmanni* sub hac voce.

Idem definit ex recentioribus *Ammanus Medicin. Critic. cas. 15. discurs. eod. p. m.* 141: Phimosis est impedita glandis vel capitis penis denudatio, facta vel ab angustia præputii, vel etiam quando pertinaci adhæsu undique in orbem glandis annexum illud est, &

tunc

tunc maritale capistrum sufflaminatur. Paraphimosis est præputii retrorsum adductio, ita, ut glans tegi nequeat.

Concinit *Hœferus Hercul. Medic. l. 3. cap.* 7. Phimosis est, *ait*, quando præputium ita arcte clauditur, ut glans omnino videri non possit, atque ita nec semen, nec urina libere transeat. Paraphimosis dicitur affectus, quo præputium retrotractum cernitur, cum inflammatione glandis tali, ut in locum suum redire non possit.

Tertium locum occupet *Blegny de art. curand. Luem Vener. p. 2. c. 4. & 5.* phimosis naturam concisius exponens, quando in masculis, *dicit*, præputium quoad circumferentiam adeo constringitur, ut pro glandis denudatione satis dilatari nequeat. Paraphimosis contra ea est conformatio extraordinaria, in qua circumferentia præputii coarctata & retro ultra coronam abducta membrum virile quasi constrictum tenet, quo minus glans rursus contegi queat.

Hinc quod hi unanimiter scribunt, aliis licet paulo verbis, idem & alii omnes asserunt. Res eo redit, esse actionem læsam, eamque in motu tam naturali, quam animali, seu medio potius ac mixto ex utrisque, adeoque symptoma, productum morbi, illumque, ut umbra corpus, sequens.

Liceat nobis sub hac notione concipere & proponere phimosin & paraphimosin, symptomatum puta, licet alii referre malint ad morbos, eosque conformationis. Enim vero non excludimus conformationem, uti nec intemperiem, & ulcerationem, seu omne genus morborum potius, sed hæc partim causæ locum sustinent, parim comitantium.

Ponamus cum *Casp. Hoffmanno l. 3. institut. c. 154. p. 529.* esse morbum in situ; parum id respondet & satisfacit vel intellectui in genere, vel indicationi utili. Non enim tam situm mutatum ostendit sensus, quam situ minus mutabilem: ut palpebra situm non mutat, sive attolli non possit, sive non claudi, sed mobilitatem. Ita & hic se res habet.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM absolvunt reliqua Definitionis

tionis verba, licet pauca numero, desumptam partim a subjecto seu loco affecto, partim a situ & modo, partim causa ipsa, ne reliquas circumstantias latius huc referamus, ad singula hæc latius explicanda progressuri.

CAPUT II.

Inter' alia circa morbos consideranda non infimum locum occupat Subjectum: non enim nosse licet, quid patiatur, nisi una pateat, ubi, & quo loco consistat, hæreatque, adeoque, teste *Coo*, fere loca solum variant morbos.

SUBJECTUM phimoseos & paraphimoseos principale est PRÆPUTIUM ¦: ADÆQUATUM membrum genitale, seu COLES.

Si fas est, terminum alterum huc arcessere & applicare, Subjectum *ut quod* vocari potest penis ipse, *ut quo*, præputium, de quo, quantum ad nostrum scopum pertinet, quædam delibari merentur.

Sicuti enim, juxta *Philosophum l.2.Hist.Animal.c.9.* τὰ αἰδοῖα τῶν ἀῤῥένων ἔξω ἔχει ἄνθρωπος, *genitalia virilia extus habet homo*, more aliorum quorundam, non intus condit membrum, ἐξεστηκὸς alibi vocat: ita penis, à pendendo dictus, seorsim eminet, isque præputio gaudens.

Dictum hoc est, ut *Scaliger* vult, *comm. in Hist. Animal. l.c.p.95.* sive q.d. præ pudendis, sive quod præputetur solenniter quibusdam populis, singularis præ aliis omnibus partibus substantiæ, usus & affectionis. Proprius hinc affectus hic est fere homini, qui & conformationem obtinet peculiarem.

Pellem seu pelliculam vocant communiter, rectius Græci δέρμα, *cutim*, δέρμα ἀνώνυμον, *cutim innominatam*, seu, ut curatius *Hippocrates* definit, τὸ ἐπὶ τοῦ αἰδοίου δέρμα, *pudendi pellicula*, *l.1.de morb.c.7.t.*21. ne plura nomina laudemus.

Quod cutis est toti membro, id præputium glandi, quasi vicem cutis

cutis ibi ſuſtinens. Quando enim ad radicem ejus conſurgit, reduplicatur, & ſuis pro uſibus aliam plane conformationem ſubit, non ſupernaſcitur, ſed producitur. Enimvero certo tempore glans retegi debebat, & nuda non tantum comparere, ſed & turgere magis, indurari & erigi; quamobrem pro hujus modulo etiam variare præputium oportebat.

Conſultum hinc videtur delibare ejus uſum & actionem, quæ primaria eſt integere. Cutis eſt integumentum commune corporis præcipuum, præputium genitalis membri, ſeu partis iſtius, quâ, juxta *Plautum*, viri ſumus, idque cum latitudine quadam. Altera actio eſt moveri, non tam eo modo, ac frons poteſt diduci ac caperari, quatenus magis nuda ibi eſt & ſuperſternitur panniculo carnoſo, pro lubitu: quam ad ſpiritum & ſanguinis influxum diverſum; adeoque tertia, cedere, revolvi, abduci & adduci.

Eſt quippe hoc integumentum ſpeciale glandis anticum idque laxum, liberum magis & mobile, non tam active, quam paſſive, obſequum, modo brevius, modo longius, dilatabile & ampliari & corrugari aptum natum, unde vel nuda, vel tecta, ex parte, ex dimidio, ex toto viſitur glans, prout uſus exigit, vel rectores motus & præſides ſunt diſpoſiti.

Seorſim diximus mobile: tale enim eſt, quamdiu ſtatus naturalis & ſanus integer eſt. Secus enim fit in præternaturali, de quo nobis ſermo eſt. Adeoque duæ cumprimis hæ partes merentur attendi ad phimi utriusque, ut ſic loquamur, notionem genuinam. Hic vero notabile eſt, præter alia plura, quæ ſilentii ſipario involvimus, præcipuè, ſi à facie abierimus, mirum quantum variare & ſuo loco genitalia, non quidem in eſſentialibus, ſed in accidentalibus.

Glans extrema pars membri eſt, ſi retegatur, vel jamdum emineat, appoſita in extremitate corporibus nervoſis & urethræ; pars delicatiſſima, ſubrotunda, amœne rubens, ſenſus, præſertim quando turget, exquiſitiſſimi.

Glans

Glans a similitudine fructus glandis, in quercu nascentis, appellata est. Hæc enim mechanicam ejus, præputii semitecti, & paraphimosi naturali gaudentis accurate exprimit: uti etiam exemplo chirothecæ digiti retracti, reliqua quasi cute præparata superintecta & revoluta, conspici idem potest. Alias vero sibi relictæ mechanica cerasio dulci majori respondet, ut hilo fabæ osciillum, seu divisuræ orificium. In basi vero seu radice cincta quodam est circulo, satis altum marginem habente, cui nomen coronæ, velut limbo & fossula circumcurrente, ubi periphimosis sedes est. Addi & illud meretur, quibusdam glandem esse magis latam, & sic porro.

Exercitatis, ob nimios congressus, præputium à glande ferè detractum & reflexum communiter tribuitur; sunt vero, qui nihilominus constantem illam phimosin naturalem retinent. Adeoque longitudo vel brevitas nativa fundamentum hujus rei ponit præcipuum. In senibus, debilibus & enervatis flaccescit iterum adeo, ut caput penis in absconso teneat. Singula vero hæc fiunt cæteris paribus.

Idem hinc glandis integumentum in nonnullis, quod mirum observatu, plane deficit, aut, si adest, perbreve existit, & successu temporis sensim sensimque coalescendo quasi obliteratur. In aliis quibusdam cum glande coalitum visum est. Illud accuratissimus *Verheyen* animadvertit *Anatom. tractat.* 2. *c.* 22. dicens: in aliquibus penis cutis ita arcta est, ut vix quidquam reperire sit nomine præputii dignum, penisque semper glande nuda subsistere debeat.

Uti vero conveniunt inter se quoad hoc Apellæ dicti, recutiti, & paraphimosi naturali laborantes, ita & epispasmus ad reparandum illum defectum unice pertinet ac applicatus fuit, hodie non amplius usitatus, qui nec in omnibus successerit.

Sic aliis contra, inprimis adhuc puerulis, præputium interdum crescendo mirum in modum augetur, & (referente *Bartholino in Anatom. Reformat.* ex relatione *Joh. Veslingii* αὐτόπτου,) frequenter

quenter apud Turcas in specie ita excrescere solet, ut caudæ in morem acuminetur, & proinde non minus ob phimosis metum, quam ex religionis præscripto, partem ejus abscindere cogantur.

Iohann. Schenckius l.4.observ.8. exemplum recenset de prægrandi à nativitate præputio, quod in puero duorum annorum indies magis magisque incrementum, sumebat adeo, ut, præterquam quod glans detegi non posset, verendum, ne præsertim ætatis progressu in nimiam excrescens molem fascia circumferendum esset.

Nonnunquam præputium glandi undique adnascitur, aut mediante ligamento breviori, inferiori glandis parti, prope foramen, ita arcte connectitur, ut deinde illud retrahi non possit, fiantque tales ad propagationem inepti, observante *Hildano centur. 3. Observ. Chirurg. 54.* Vinculum enim tale adhuc integrum, inque primis congressibus minimè laxatum vel divulsum, tristi cum doloris sensu, penis extremitatem in erectione distorquet, ejusque foramen angustando fere præcludit, quo minus recta in uterum affatim ejaculari queat. Vid. *Jul. Cæs. Arantius de tumor. præter naturam c.54.*

Singula hæc non alio fine delibavimus, nisi ut intimius subjecti seu partis affectæ pateat ratio, siquidem his duobus terminis absolvitur phimosis & paraphimosis, limitibus scilicet glandis virilis & extremitatibus, duabus item partibus hisce sociis & comitatis, glandis, ejusque involucri, seu præputii.

Tacemus hinc plura, quæ huc referri potuissent, si extra oleas vagari velimus, communia illa cum aliis etiam affectibus. Sic cum v. g. pars hæc sit maxime porosa & glandosa, facile distendi potest, inflammari & ulcerari, de quibus in causis erit dicendi occasio.

Addendum tamen & hoc, posse has partes genitalium extimas affici phimosi quoque & paraphimosi, ad instar aliarum, tum per se, morbo primario & essentiali, tum per consensum partium aliarum, seu in genere genitalium reliquarum, seu viscerum

quoque aliorum, ut renum, inguinis, ipsiusque totius corporis reliqui, quibuscunq; conspirat & consentit.

CAPUT III.

EXaminata sic parte affecta, juxta ac formali ratione, prompte jam invitamur ad CAUSAS, quæ hunc effectum morbosum edunt & fovent. Ita enim ordo naturæ, isque medicis scholis receptissimus expostulat.

CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA phimosin & paraphimosin edens una eademque est, strictura, & angustatio fibrarum motricium ac mobilium. Patet hoc ad oculum ex ipsa phimi cujuscunque, seu capistri mechanica, quæ unice consistit in strictura, ut laxitate ablata motus libertas dematur, vel saltim coerceatur, ne possit aliter fieri, quam pro nutu regiminis aurigantis. Claret ex opposito, & curatione ipsa, freno laxato redditur motus & libertas prior, unde χαλᾷν *laxare* oportet, ut dicemus, quod nisi fiat, status morbosus contractus durat.

Neque absonum est, duobus quasi affectibus unam assignare causam, sunt enim symbolici, eademque formali ratione in genere gaudent, neque differunt nisi loco, & certo definito termino. Utrobique ut ablata mobilitas, ita strictura visenda deprehenditur.

Quandoquidem ergo posita hac strictura ponitur affectus, ablata tollitur, suo quælibet loco & ordine, consequens est, mediatarum censum obire, quæcunque illam, proximius vel remotius, ullo modo inferre, promovere, & conferre aliquid possunt, sive, ut termino medico utamur innocenti, ob facultatem læsam, sive ob errorem externum.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR etiam hoc loco laudari potest, vel *humorosa*, vel *vaporosa*, seu ipsa *spirituosa* quoque. Quamdiu enim motores spiritus & mobiles humores vitales debite etiam citra hanc partem se habent, bene est; & sicut pro statu fluido-

fluidorum & ſolidæ organicæ partes integram habent ſuam conſtitutionem, ita etiam morboſam.

Ex humoribus & ſanguis & lympha, ſeorſim & conjunctim, attendendi, ſeu *quantitate* exuperent, ſeu *qualitate* localiter peccent, ſeu *motu* delinquant. Spiritus & vapores concurrere, affectus penis teſtantur. Quis neſcit & in puerulis turgere ſæpe & tendi membrum, & in priapiſmo ſpaſmodice expandi?

Cumque potior ſit hoc loco motus ratio, eundem vero quantitas & qualitas partim inferant, partim modificent, laudari merentur & occurrunt in aliis ῥευματισμὸς, *citatus affluxus*, in aliis συναθροισμὸς, *paulatina collectio*, utrobique circulo ſanguinis magis vel minus impedito.

Prioris generis exemplum occurrit in intemperie calida, eryſipelate, inflammatione, cum vel ſine tumore proportionato, majori vel minori, cum motu celeri, ἀθρόως καὶ βιαίως, *confertim & cum impetu* magis, undecunque inducto. Præputium vel vel glans inflammata contingi renuunt, æque ac revolvi, unde tenſio & ςάσις ſtricturam exprompte cauſat, & reliqua conjuncta.

Alterius ratio in ſucceſſiva congeſtione radicatur, nominatim à tumore, à ſitu mutato, à retractu, à callo, ab ulceribus & aliis; quæ vel glandem, vel præputium, vel utraque afficiunt, & volubilitatem exuunt, dum ſtricturam inferunt.

Poſitis his in loco affecto *motu generationis* elucet & cuditur, ut remoram concipiant motus præſides, & fibræ ſtringantur, modo in apice, modo in radice glandis, ipſiusque conopei, & fiat ſic capiſtratio. Hinc modo præcedit, & à priori eandem cauſat inflammatio, modo ſequitur, utrobique tubulis obſtructis, ſpiritibus laceſſitis, & in poris ſuis ſtagnante diffuſo & efferato particulariter ſanguine, fervido & acriori reddito. Verbo, morbi omnis generis phimoſin & paraphimoſin producere valent.

Non dicemus latius, quantum conferre poſſit *plethora*, & abundantia oneroſa ſanguinis, ſi huc decumbat; non de *cacochymia*, & ſalibus acribus ſtimulantibus & particulariter con-

currentibus: suffecerit vel paucis exemplis morborum aliorum id demonstrare.

Meminit ipse *Cous* paraphimosin ægri à febri maligna *l.c.l.*4. *epid.c.*20.*t.*6. qua quasi curata visa, mortuus est tamen succedente convulsione; ubi duo notabilia advertenda, primario febris, indeque oriundus affluxus, hinc & spasmodicum quid latitasse videtur maxime, cum addat, αἰδοῖον ἀκρόψιλον à morbo factum, ἐπεί τε μᾶλλον ἐγένετο, *& postea fiebat*, pluribus ibi legendus.

Lymphæ culpa seorsim emicat non uno statu. Mira sæpe fit, quæ ad paraphimosin referri potest omnino, membri totius in hydropicis masculis, licet non omnibus, detorsio, recutito, ut ita loquamur, non solum præputio, sed & plane velut obliterato, frenoque non parum ad figuram mutatam conferente.

Instar omnium sit fermentum Venereum, seu lymphæ immersum, fracidum, acido-acre-viscidum, modo ipsis oculis lympha conspicua, modo ichore corrupto, rosione, depastione satis superque evidens. Ita elevatur hac de causa glandis cuticula sæpe numero, ab aquoso humore subtus collecto, in vesiculam crystallinam, quæ phimosin glande tecta, & paraphimosin glande nuda existente præputio infert, ut adeo complicatum consurgat malum, affirmante *Blegny libr. de arte curandi Luem Vener. part.* 2. *c.* 4. *&* 5.

Imo latius longe patet hic reatus: quæ enim diximus de aliis morborum generibus, affectuum horum seu causis, seu comitibus, id seorsim de Lue Venera valet, quæ hinc & hoc loco affectum hunc genitalium modificat & variat.

Idem & de scorbuto dixerimus, quandoquidem & hæc & illa peregrina qualitas characterem quasi addit peculiarem, adeoque acrimonia acida, salino-serosa, scorbutica non minus ac Venerea, irritando, stimulando & stringendo præsentius morbum obsignat. Imo comitantur etiam non raro acrimoniam talem humores viscidi ac pituitosi, ab acido fixati; & inde glandi &

præpu-

præputio communes tumores, callofitas, tubercula, cristæ, eminentiæ & monstra alia occurrunt.

Quod si ergo origines causæ morbificæ hasce libemus, modo totum corpus, vel quasi, tota massa sanguinea, mandantis, ut vocant, titulum subit, per dicta, modo certa pars, maxime vero symbolicæ, renes, vesica, vesiculæ seminales, prostatæ, testes, uno verbo genitalia, fermento ejusmodi fœta.

Et sicut aliunde mediante circulatione sanguinis huc radiantes atomi morbosæ conferri possunt, ὦσιν, *pulsionem* vocabant non inepte veteres; ita ἕλξιν, *tractionem* applicare integrum est, seu spinæ infixæ, seu cuicunque remoræ debitam, quæ localiter illum circulum turbant, & spiritus ferocientes reddunt, seu motum sanguini, spiritibus & fibris motricibus peregrinum affricant, & στάσιν sic inferunt parti huic definitæ.

Facit huc fricatio, lasciva titillatio, retractio intempestiva, applicatio rubefacientium, vesicantium, ut esulæ, quod & joco crasso factum aliquando legas, vid. *Rolfinc. l. de purgant. cap. de esula.* Pertinent huc illorum exempla, qui per applicata extrinsecus, præ luxurie Venereâ phimosin vel paraphimosin sibi conciliarunt, seu ligatura præputii antice facta, seu annuli aurei applicatione, quod factum novimus, seu aliis modis. Sic edita elapso anno est observatio curiosa de Juvene rustici cujusdam servo, digitale sartoribus usitatum, è ferro indurato confectum, ultra haud minorem penis sui glandem infeliciter protrudente, feliciter brevi tempore curato, autore *D. Joh. Schockvvizio*, quæ idem satis superque confirmat & huc referri potest.

EX CAUSIS REMOTIORIBUS delibandæ quoque huc facientes veniunt. Non possumus, quin primo loco & ex ipsis SUPERNATURALIBUS τὸ θεῖον laudemus & his in casibus. Mirandum sane est, illicitæ Veneri litantes inter alia symptomata & phimum pati; adeoque revera Lues Venerea ejusdem flagellum esse toto die visitur ab horum Confessoribus Medicis, unde & modum suscipit affectus omnino.

EX NATURALIBUS communiter dictis suum confert symbolum TEMPERAMENTUM inprimis sanguineum, calido & humido ad plethoram inclinante, & sanguineo-serosum, ad cacochymiam pituitosam pronum. Talia enim temperamenta fluxionibus tam calidis, quam frigidis & inde oriundis phænomenis sunt aptissima.

HABITUS CORPORIS corpulentior & densior præ rariori his morbis velificatur, quoniam in eo transpiratio est prohibita, & fuligines exhalantes præcipue circa loca uliginosa & excretoria stabulantur, quæ moram sub cute ducendo tandem in morbos hos erumpunt.

AETATEM si respiciamus, præcipue huc facit puerilis & adolescentiæ, seu incrementi; in hac enim pruritus Venereus se exerit magis, velut ὀργασμῷ quodam, eoque proprie dicto, turgescentibus ad genitalia ruentibus spiritibus & sanguine, unde & alteratio libidinosa ad exercitia hæc, contrectationes & exorbitantias invitat.

Visa tamen utraque etiam fuit non semel in ætate adulta, imo & ipsis conjugatis, si vel peccatum fuerit hac in parte, vel illuc salia pruriencia magis derivata, affluxum fœnerantia una seri salsioris. Hæc enim causa communis sæpe occurrit adeo, ut & ad genitalia infantum decumbens pruritum excitet; unde propter confricationem genitalium & acrimoniam urinæ confluunt humores circa balanum ac præputium, & quidem adeo copiose, ut mirum in modum extendatur aliquando præputium. Vti ex hac causa aliquot infantulos paraphimosin passos *Fabric. Hildanus* se refert sanasse, *centur.* 5. *Observ. Chirurg.* 58.

Accedit in juvenili & virili ætate ebullitio & fervor sanguinis, qui si per coitum, vel illicitum, aliumque errorem externum exasperetur, hæ & aliæ deformationes glandi & præputio introduci possunt facile.

Senes raro licet vexentur tali præputii angustia, attamen ab illa non plane sunt immunes. Ita *Hieron. Fabrit. ab Aquapendente*

dente in *Operat. Chirurg. de penis chirurgiis*, vidit interdum ipsis senibus potissimum contigisse, ut præputium constringeretur, ad summam oram contracta in eo in orbem durítie. Enimvero licet corrugentur & flaccescant illo ætatis spatio fibræ, deficiantque sensim spiritus motus præsides; interdum tamen decubitus etiam fit in has partes, ut & priapismo laborare visi fuerint & paraphimosi, maxime in cœlibatu versantes.

SEXUM quod attinet, potiorem solummodo aptum esse ad has præputii affectiones respiciendas satis manifestum est, quia sequior sexus præputio plane destituitur, tanquam subjecto, cui inhæret passio. Anatomici quidem mulierum clitoridi, ceu penis vicario, ob similitudinem figuræ & substantiæ præputium attribuunt, quod tamen reipsa nomen non meretur, sed potius mentitur, & hinc etiam ipsis prædicata affectuum non possunt esse communia, licet à nonnullis autoribus mulieres phimosi laborare dicantur latiori & improprio significatu, quod supra tetigimus.

Facit huc & ἰδιοσυγκρασία & DISPOSITIO NATIVA. Quicunque enim à natura habent præputium longius & angustius, etiam phimosin & contrariam eidem ipsam paraphimosin experiuntur magis, ob mobilitatem vel deorsum prohibitam, vel si detrusum fuerit minus revolubilem, accedentibus præsertim stringentibus aliis.

Quibus vero nativa est paraphimosis, vel acquisita, sive præcisione, quod de Iudæis verum est, vel connata, quod de aliis & incisione in longum facta valet, illis ordinarie vel nunquam, vel non nisi rarissime, & velut per accidens magis, morbosa phimosis juxta ac paraphimosis contingunt.

Ex CAUSIS NONNATURALIBUS laudari meretur, primo loco AER, cujus in laxando & stringendo vis est maxima, pro caloris & frigoris modulo, ad corrugandas partes genitales & dilatandas. Hinc tempus hybernum per se minus huc facit,

præ-

præterquam per accidens, concentratis tunc temporis magis ſpiritibus & humoribus vitalibus. Aeſtivus vero calor diſponit magis. Sic *Gregorius Horſtius*, (ut unicum exemplum adducamus,) *l.* 4. *obſerv.* 54. viri cujusdam, annorum quinquaginta trium, robuſti alias & corpulenti, ſubrubicundi, hepatis calidioris, meminit, qui victu utens euchymo & largiori, æſtate media, ſub finem Julii, flagrante æſtu inſolito, in tantam præputii arctationem incidit, ut tandem vi retrahere illud neceſſe fuerit, quo facto rimulas egit ſanguinolentas, non ſine magno cruciatu & pruritu.

Ut ſine Cerere & Baccho, quod in proverbio eſt, friget Venus, ita & ad phimoſin & paraphimoſin inferendam locum habet CIBUS & POTUS ratio. Quod enim de ſingulis hujus cenſus verum eſt, ſeorſim de cibo & potu valet: quæcunque ſanguinem, ſpiritus & lympham in motum magis cient, & ad remoram, σάσιν, affluxum in his partibus diſponere, eadem & phimoſin & paraphimoſin poſſunt invitare. Faciunt huc aromatum, acrium, ſalſorum, flatulentorum & ſimilium uſus crebrior, vini item generoſi, & aliæ luxuriei ſpecies.

Idem & de MOTU corporis verum eſt, equitatu inprimis ſuccuſſorio, unde ſanguis incaleſcit, in motum citatur, largius diffunditur, ſpiritus efferantur, lympha acuitur, & ad partes has derivatur, ὀργασμὸν, calorem & tenſionem ibi excitans.

Sic exemplum refert *Fabric. Hildanus centur.* 5. *obſerv.* 55. de quodam Viro quadragenario robuſto, quem à multis annis, præcipue poſt equitationem vehementem, aut exceſſum in compotationibus, defluxio quædam humorum ad penem & præputium, cum febre, rigore maximo, nauſea, dolore capitis & lumborum corripuit, ut prius exorta febre glandulæ in inguine dextro increverint. Nonnunquam quoque talis durities in pene & ipſo præputio remanſit, ut ſpatio duorum menſium illud verſus abdomen retrahere non poſſet. Tumor quidem & durities paulatim adhibitis remediis remiſerunt, ſed leviſſimo interveniente errore

in victus ratione, aut corporis agitatione in eundem iterum incidit affectum.

Contra ea defectus motus etiam & QUIES indebita confer-re potest, siquidem otia dant vitia, eaque Venerea præ reliquis, Physice & Moraliter. Res age, tutus eris, canit *Poeta*. Diffusi enim ad negotia spiritus, & sic impensi, minus feruntur ad latibula genitalia, nec vacant, vel operam navant talibus aberrationibus.

Tacemus SOMNUM & VIGILIAS, quæ & suo loco ad genitalia vocant spiritus, maxime somnus longior, isque initus decubitu supino, magis sic calefacto sanguine, quod vel in infantibus quoque non raro visitur, nedum in adultis.

Nec EXCRETA & RETENTA inordinate silentio prætereunda. Retentum ὀργασμὸν causans semen, nec solutum vel dimissum stringere solet & dilatare. Turgidum vero membrum præputii non æque obsequiosam habet revolutionem. Unde modo phimosis consurgit, ceteris paribus, modo paraphimosis.

Ita strictiori gaudentes angiportu, vel alias talem quoque offendentes, impetuosa irruptione tristem facile affricant sensum, dolor hic tensionem, tensio incarcerationem membranæ mobilis, affluxum, tumorem, inflammationem & similia alia causat.

Imo & facilius concipi solent sordes contagiosæ, tecta plus justo glande, nec abstersæ sic, unde acrimoniam concipit ichor, excoriatur cuticula seu tectæ glandis, seu tegentis pelliculæ, unde fermenti Venerei contages asservata non solum interius penetrat patulos poros, sed & statim ἐπ' αὐτῷ φόρῳ, ut ita loquamur, vires sumit, localiter inficiens & afficiens, unde phimosis, paraphimosis & nihil non absurdi morbosi.

Ex ANIMI PATHEMATIBUS, præter amorem, iræ præ reliquis magna inest vis hæc vitia accendendi, quia humores bile remixtos à centro ad circumferentiam promovet, & huc vel illuc præcipitat.

Maxime huc pertinent quoque læsiones aliæ externæ, peni phimosin vel paraphimosin relinquentes, ut contusiones, vul-

nera, ulcera, inprimis si cicatrice male claudantur, vel callo obducantur. Addi possunt sarcomata, quæ in præputio interdum excrescunt. Præter hæc accusantur merito miasmata maligna Venerea, vel per femoralia immunda, vel per concubitum ab attritione calefacta & parti insinuata. In tali enim congressu viroso, nimiumque luxurioso meatus totius corporis & præcipue membri virilis (quia porosum est) aperti facillime vaporem aliquem malignum & impurum ex scorto, quod aut Lue Venerea, aut fluxu mensium, vel fluxu albo laborat, aut paulo ante cum viro aliquo gonorrhœa virulenta laborante rem habuit, ad se attrahunt, testante *Hildano observ.* 57. *centur.* 5. Sentitur hinc statim circa glandem & præputium pruritus voluptuosus, mox in dolorem, tumorem & constrictionem desinens.

Agmen hinc claudunt CAUSÆ PRÆTERNATURALES, quæ velut symbolismo quodam modo hos præputii, modo glandis, modo totius simul corporis affectus post se relinquunt. Sic censum hunc subit priapismus quando ex distensione & inflatione penis spasmodica præputium simul stringit.

Referri huc potest, ob analogismum, rarum illud affectionis genus, antiquis minus tactum, quod nonnulli nodum penis appellant, & illis cum distorsione mentulæ accidit, qui Veneri nimis indulgent, frequenter & diu, ut mulierculis placeant, distento genitali, de quo *Iul. Cæs. Arant. l. de tumor. p. m. cap.* 50.

Ita & pollutio nocturna gonorrhœa simplex & præcipue virulenta hæc mala tanquam in sinu fovent & excludunt. Instar omnium est Lues Venerea, hydra illa Lernaea, partibus genitalibus maxime infensa; frequentius enim observarunt Practici cariem Gallicam cum phimosi aut paraphimosi conjunctam.

Et ne plura laudemus, statuimus, quod plurimi morbi serosi, pro circumstantiarum ratione, præputii hos morbos facile sibi sociare valeant. Vidimus hinc phimosin & ex scabie, virgam vexante, cum ingenti pruritu.

CAPUT

CAPUT IV.

Videri quidem poſſet ratio DIFFERENTIARUM minus digna conſideratione, aſt revera in praxi hæc ipſa eſt neceſſeria quam quæ maxime. Hæc enim niſi obſervetur, promptus in curatione eſt error, isque non levis, vel innocuus, ſed nocivus quoque & non ferendus, ſiquidem indicationes & conſequenter indicata variat.

I. GENERIS ratione phimoſis & paraphimoſis præternaturalis alia eſt *major*, alia *minor*: alia *acuta* magis, alia *chronica*, & producta; alia *recens* & levior, alia *confirmata* & gravitate magis affligens, & diu ſatis ligans membrum virile.

Rurſus alia *ſimplex*, ſibi relicta, alia *cum febre*, cum morbis item aliis & ſymptomatibus complicata, & ſic magis compoſita.

II. SUBJECTI ratione, paucæ occurrunt diſtinctiones. Quatenus vero præputium interdum proprio vel domeſtico malo vitia hæc ſuſtinet, vel ex alieno foco mineram morbificam ſuſcipit, uterque affectus alius eſt *eſſentialis*, alius *per conſenſum*, quo mediante & vice verſa reliquæ partes adhærentes afficiuntur.

III. CAUSARUM ratione, alia ab *interna*, alia ab *externa* cauſa ortum ducit; alia *benigna*, alia *maligna* κακοήθειαν ſaltim in receſſu condens, ſi non palam oſtendens, calloſitate, ulceratione, gonorrhœa &c.

Ad ſummam, totuplex eſt hæc differentia, quotquot adductæ fuerunt cauſæ, quæ hic non repetendæ.

CAPUT V.

Per SIGNA quilibet morbus inſtar ſoricis ſe prodit; unde citra hæc non niſi Andabatarum more depugnari poteſt. Neque obſtat, quod phimoſis & paraphimoſis morbi manifeſti nullis æque opus habere videantur ſignis, dum viſu ſatis dignoſci poſſunt. Uti enim hoc non valet, niſi de artis gnaris, neque una ea-

denique est utriusque ratio, quin ultra vulgus cognosci mereantur: ita tantum abest, ut vilipendi debeant, ut potius numeranda inter prima.

Hinc ratione GENERIS EX ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS præputii angustia & strictura pathognomicam præbet notam, in phimosi antrorsum, in paraphimosi retrorsum visenda, deflexo præputio præter morem, consuetudinem, ordinem & εὐφορίαν.

EX CONSEQUENTIBUS, phænomena omnis generis alia notanda sunt, calor, rubor, tumor, inflammatio, dolor, durities, callus circularis, nonnunquam pruritus, & titillatio circa glandem, & præputium, & molestia non una, imprimis si coles erectione stimuletur, & extendatur, eaque gradibus diversis.

Seorsim actio hæc læsa se exerit in actibus genitalibus, utroque malo. Sive enim præ angustia & strictura eluctari & emicare glans nequeat in phimosi, saltim sine tristi sensu & molestia: sive directio ejusdem impediatur, vel in urinæ excretione, vel seminis emissione, noxa præsto est & remora, quo minus scopum assequi liceat, quo de vid *Iul. Cæs. Arant. l. de tumor. p. n. c.* 54. Unde teste *Ammanno* in *Irenico p.* 146. phimosi laborantes erigunt quidem, sed non perfecte, semper cum aliqua incurvatione membri genitalis, non secus ac si fiscella hinnulorum ora mordentium coangustantur, neque congressus sine dolore & molestia fieri potest, quin eximia seminis portio, ut & urinæ intra colem & angustiam præputii, retineatur.

Sciendum tamen, quod phimosis non semper generationis negotium inhibeat. Vidit enim *Aquapendens* ejus generis homines liberos habuisse, & toto suæ vitæ tempore præputium ita gestasse absque molestia, *Operat. Chirurg. p. m.* 80.

In paraphimosi glans nuda à præputio, ad basin glandis reflexo & quasi complicato, apparet cum inflammatione, quod exemplo *Felicis Plateri* dilucidare possumus, *l.* 3, *Observat. p.* 684.

nota-

notato. Ibi enim de puero duodecim annorum refert, quod præputium retractum habuerit cum tanta inflammatione, ut illud circulo immenso videretur elevatum & durum, & glans ovi columbini magnitudine, non sine periculo: virga erat intorta, qualis hydropicorum esse solet.

Uti vero phimosis, ubi ad rem ventum est, se exerit præcipue, ita & paraphimosis frequentior esse solet & accidere magis neonymphis, qui dum virginale claustrum in conflictu perfringere laborant, sibimetipsis hanc præputii conformationem inversam non raro consciscunt; unde notante *B. Schenckio in exercitat. anatomic. p.* 653. tumor magnus & dolor adest, serumque exstillat aqueum, sine dubio ob rimas & fissuras à violenta succussatione illatas.

Ratione SUBIECTI præputium per ἰδιοπάθειαν affectum colligere licet, corpore reliquo salvo, nullo alio morbo, febri, hydrope, Lue Venerea, alove præsente, comitato, vel prægresso,

Specialius vero affectæ glandis, præputii, frenique, vel urethræ ipsius signa partim ex relatione confidenti, partim ex autopsia comparent. Et hic enim manus Medici & Chirurgi oculatæ sunt, creduntque quod vident, siquidem vitia hæc externa latere nesciunt.

Definient idem communia hujus vel illius morbi & propria signa, vel absentia, vel præsentia, hos vero præputii affectus modificantia. Seorsim quoque minus latere potest, si frenulum curtum præputium circa glandis apicem nimis constringat, siquidem hoc non raro phimosin naturalem inducit, quæ impedit, quo minus juvenes postmodum in conjugio se viros præstare possint. Hinc ex hac causa Facultas Medica Lipsiensis in responso quodam ejusmodi homines tamdiu ad matrimonium prorsus ineptos judicavit, donec legitima ratione, scilicet provida sectione, curentur, teste *Ammanno Medicin Critic. cas.* 15. Huic in simili phimosis casu consentit Collegium Medicum Augustanum, cujus responsum legere est in *D. M. B. Valentini Pandect. Med. legal. part.* 1. *sect* 1. *cas.* 9.

Ratione CAUSARUM signa ex causis prægressis supra citatis

tis peti possunt. Sic e suis loculis VenereæLuis seminia, vel manifestæ, eruenda & probe distinguenda, ne putemus malignam, quæ simplex, & vice versa simplicem, quæ mali moris est, quod inter alia ex gonorrhœa, verrucis, caruncülis, tumore testium, bubonibus & aliis emicat. Sic hydropis phænomenorum, sic febris, aliorumve similium eadem est ratio, quæ huc latius recensere non attinet.

Reliqua non adeo obvia ipse æger indicabit, quem prudens Medicus inquisitione debita clinica ad confessionem morbi, & errorum seu peccatorum, partisque denudationem ipsam præparare & sermone decenti devincire debet, cumprimis si intempestivo suo pudori nimis obsequatur.

Ad PROGNOSIN nunc accedimus, quæ morbi eventum, ejusque tempus, & modum definit. Ad EVENTUM spes curationis referenda, seu, ut communiter audit, salutis & mortis signa eruenda. Horum autem intuitu quamvis affectus hi per se & sua natura minime sint lethales: commune tamen habent cum aliis etiam minoribus, ut periculosi, si negligenter tractentur, aut perverse curentur, per accidens etiam lethales fieri possint. Efferato enim calore inflammatio dolorum faces accendere, & moras in parte ducendo humores vitales destruere, tandemque per gangrænam & sphacelum latius serpendo vitæ finem facere potest.

Alias phimosis respective non adeo pertimescenda ac paraphimosis, quoniam in illa omnia statui naturali cernuntur magis conformia, imo mitiora symptomata, quam in hac, ubi pejora instant phænomena, ac timorem augent.

Variat periculum & magnitudo, seu gradus diversus morborum & symptomatum conjunctorum. Neque abnuit partis affectæ dignitas, vel adscita malignitas ipsa, adeoque & in reliquum corpus diffusio, unde sæviora & curatu difficiliora se offerunt symptomata.

Paraphimosis cum distorsione membri in hydropicis utplurimum & in se rarius est curabilis, & fere parentis sui, si ita loqui licet, funestum exitum præsagit, unde & ut signum, & ut causa considerari meretur.

TEM-

TEMPUS DURATIONIS longitudinem & brevitatem morbi prædicit, quod cum in his morbis variet respectu causarum, diætæ & aliorum accidentium, nihil certi absolute determinare possumus.

Hoc tamen notandum, quod si ab extra dicti affectus infestent membrum virile, breviori mora sua tempora absolvant; sin ab intra, longius parti inhæreant, dum nova subinde advehitur materia peccans, quæ morbos tales protrahit. Omni ergo studio annitendum, ut causa in tempore, quod omnium rerum est primum, tollatur, parti dolenti prospiciatur, & symptomata opportunè præcaveantur. Nam hoc modo & phimosis & paraphimosis cum certiori salutis spe brevius terminabuntur.

MODUS EVENTUS definit ultimo horum morborum solutionem; quæ ad *salutem* tendit laxatis & solutis fibris strictius tensis, reseratis poris, & dissipatis humoribus, vel iisdem quoque evacuatis; ad νέκρωσιν vero, saltim partis affectæ, finitur, quando circulus sanguinis plane intercipitur & inflammatio majorem gradum subit. Quod si priapismus convulsivus accedat, mortem itidem minatur.

CAPUT VI.

CURATIO maturanda, pro urgentiæ modulo, eaque ex METHODI MEDENDI velut cynosura, adscitis in medii termini vim decisivam, & erutis lege artis indicationibus.

CURATORIA, morbo removendo debita ejusque causæ proximæ, τὸ χαλᾷν, *laxare* cordi habet. Strictura laxanda est. PRÆSERVATORIA causas reliquas, speciatim ῥευματισμὸν & συναθροισμὸν localem removere jubet, affluxum tollendo, & quod congeritur, disjiciendo vel evacuando quoque. VITALIS symptomata demulcenda, dolorem ac tensionem mitigandam & accidentia alia respicit.

Hisce indicationibus inservit materia præsidiorum, quam tres fontes solennes, Chirurgicus, Pharmaceuticus & Diæteticus suppeditant.

Ex

Ex CHIRURGICO VENÆSECTIONEM, ut magnum remedium, non facile opus est hoc casu adhibere, nisi forsan vel deplenda plethora ad decubitum hunc conferat, vel febrilis calor, vel inflammatio id jusserit, ad revulsionem in habitioribus.

Idem dictum esto de CUCURBITULIS cum scarificatione, in dorso & lumbis, ad discutiendum & revellendum, sicubi priapismus, vel aliæ circumstantiæ spirituum avocationem expetant.

In cacochymicis & ad cachexiam scorbuticam inclinantibus aliquando & de FONTICULO cogitari potest, ad serum deplendum, ut collectio lymphæ eccentricæ arceatur, ne ad scrotum & genitalia deviet, turgescentiam, tumorem, tensionem & figuræ mutationem illatura.

Memoranda hoc loco sunt & alia præsidia partibus his propria, quando alia non sufficerint. Dantur enim casus, ubi sectione ipsa opus est, si à strictura & ligatura noxia liberari non possint.

Cum vero præstet omnia prius tentare, quam ad extrema talia devenire, in phimosi naturali *Aquapendens in operat. chirurg. p.* 1. *c.* 62. *p. m.* 80. & cum eo *Sennertus institut. Medic. l.* 5. *part.* 1. *sect.* 2. *cap.* 7. ut & *Vidus Vidius l.* 11. *cap.* 10. rectissime dilatationem præputii suadent, ceu mitiorem ac modestiorem chirurgiam, si glans minus retegi queat, seu ad urinæ, seu ad seminis necessariam emissionem.

Solent nempe præputium strictum ampliare turundâ ex medulla cannæ sorgi, seu milii Indici vel Saracenici, compressa, pro qua & commoda est medulla sambuci, sicca spongia, vel radix gentianæ, dilatatorium meatuum præcipuum. Turunda enim talis dum in orificium præputii immittitur, loci humiditates absorbendo intumescit, adeoque hujus ope nimis strictum sæpe dilatatur ex voto. Una etiam suadendum ægris, ut sæpius nitantur paulatim præputium retrahere, & glandem sic denudare, tum propriis digitis, tum sese exercendo in complexu Venereo, puta licito.

Pro majori commoditate *Aquapendens* interdum canaliculum ex plumbo paratum, aut fistulam æneam vel argenteam, in medio medullæ inserendam curat, ut urina per eam reddatur. Exterius

tius autem ubi durities adest, ut in senibus, aut ceratum citrinum, aut ex oxelæo apponere jubet.

Consentit itidem *Fallopius cap.*84. *de morb.Gallic.* præputium strictum, quamvis callosum sit, curari sine sectione per fistulam plumbeam asserens, quam per octiduum foramini imponit, ut æger per eam mingat, quotidie sic majorem fistulam applicando, & præputium interea inungendo oleo amygdal. dulc. vel pingued. gallin. vel unguent. pomat. donec glans possit detegi, & callus remaneat emollitus, præputium dilatatum.

Hanc dilatationem improbat *Blegny libr.de art.curand.Luem Vener.part.*2.*cap.*4. experientia doctus, quod si turunda nimis exigua formetur, illa plane inutilis adhibeatur; sin vero justo major, tantum dolorem excitet, ut potius phimosin irritet, quam relaxet. Hinc alium tutiorem dilatandi modum commendat, quem videre est citato loco.

Hæc omnia vero concernere videntur magis, vel præcipue saltim, phimosin Gallicam, quæ ad simplicem etiam aliquando, si usus exposcat, applicari queunt.

His præmissis, sed non succedentibus, si quid urgeat ulteriorem opem, in maligna illa, vel aliter perversa facie membri, sive ἄνω, sive κάτω reflexio debita fieri nequeat, ultimum remedium est SECTIO, ad dilatandum spatium ambitus, & mobilitatem reddendam.

Duplex hæc assignari potest (1) ἀφαιρέσει per transversum, quod in circumcisione fit, & præservativum est ordinarium: hoc nomine vero vel nunquam, vel rarissime necessaria ablatio, adeoque, præter mysticam potiorem causam, ad tollenda impedimenta generationis, ad valetudinem partis non inutiliter imperata.

Ita quidam extremum præputii per forficem vel scalprum acutum auferre, vel si callosum, præcidere jubent, ut ipse docet *Severinus de medicin. efficac.part.*2.*enarrator.de section.cap.*45.

(2.) Διαιρέσει, seu incisione per longum. Et hæc iterum duplex, vel una, continua solum, vel multiplex. Sic olim, annotante

Nuckio operat. & experiment. chirurg. p. 111. præputium in anteriorem partem attrahebant, hamulisque tribus quatuorve illud extendendo aperiebant, ut cutis hac methodo relaxata retrorſum propelli poſſet. Similem fere dolorificam procedendi rationem communicat *Solingen, Chirurg. part.* 3. *c.* 9. & *Horſtius l.* 4. *obſerv.* 54. ſectionem recta ſecundum longitudinem membri in quatuor partibus præcipit, ut omnes iſtæ ſectiones præputio glandem adhuc tegente quaſi crucem referant. Conſentit ante eum *Vidus Vidius l.* 11. *c.* 10. *de curatione membr.* qui undique à lateribus glandis ſecundum præputium incidit.

Aſt quoniam hæ operationes graviores ſunt ipſo morbo, illasque exitus non ſemper ex voto comprobat, conſultius eſt tutiorem & faciliorem operandi methodum, eamque ſimplicem ſaltim, ſequi, maxime ſi ulcus id jubeat, præter alia dicta, neo aliter acceſſus vel vel curatio detur, ad ductum *Pauli Aeginetæ l.* 6. *cap.* 55. *Celſi l.* 7. *c.* 25. *Jul. Cæſ. Arant. l. de tumor. p. c.* 94. *Ammann. l.* 5. *paræneſ. p.* 397. & *Medicin. Critic. caſ.* 15. *Blegny de art. curand. Luem Vener. part.* 2. *cap.* 1. & *Nuckii l. c.*

Opportuno igitur anni tempore, proba victus ratione & univerſali corporis purgatione præmiſſis, ante omnia ſpatula aliqua ſedulo tentari debet, utrum præputium in orbe glandi adhæreat; quod ſi ita eſt, tunc fruſtra ſuſcipitur cura, & omnis Medici conatus irritus erit atque fruſtraneus, teſte *Paræo, l.* 16. *operum chirurgic. cap.* 32. & *Ammanno. l. c.* Contra ea *Aquapendens, Hildanus centur.* 3. *obſerv.* 54. & *Blegny* unionem glandis, inprimis ab ulcere recens factam, disjungunt & ſeparant, non cum acie, ſed cum manubrio ſcalpelli ex cornu, vel ſpatula ſubtiliori, quæ neque præputium, neque glandem poteſt incidere.

Si glans à præputio libera eſt, tunc loco convenienti vel per ſuperiorem mediamque præputii partem in linea recta, vel à latere frenuli, quod tutius, lege artis, vitatis vaſis, curvo inſtrumento ſeu ſyringotomo proportionato, cujus cuſpis globulo cereo munita ſit, inter præputium & glandem inſinuato, ſecundum lineam rectam, inci-

incisio uno ductu peragatur, major, vel minor, prout præputium magis minusve contractum, ægrique ætas varia fuerit. Hac tamen cautela, ut interna & externa cutis sibi mutuo respondeant, & par sit utriusque sectio, neque minor, quam ex usu sit. Speciatim, verbis *Celsi*, præmisso fomento, eoque repetito, & cum vi quoque experiundum, an cutis sequatur; eaque si non parebit, leviter summo scalpello concidenda erit.

Facta sectione sanguinis fluxus siccis linamentis probe compressis aliisque convenientibus compescatur, hinc linteum ovi albumine & aqua rosacea madidum imponatur, ægerque per triduum quiescat, nam ambulatio atterendo vlcus sordidum reddit. Tandem curatio, ut in vulneribus solet, perficiatur. In deligatione autem sedula & frequenti omne curationis momentum situm est, alias enim transpiratio impedita putredinem parti infert, quam materia impura sub emplastrorum tegmine collecta promovet. Relaxatum hoc modo præputium vel sua sponte, vel digitorum ope retrocedere incipit; tum vero sæpius de die reducendum, ut pro lubitu sursum aut deorsum moveri possit.

Tacemus fungos, verrucas, tubercula, vesicam crystallinam, tumores instar colli columbarum inflatos, & alia, seorsim è suis loculis tractanda, de quibus legi merentur Chirurgi.

Aliquando frenum nimis contractum & breve phimosin producit: tum vero præmissis emollientibus externe adhibendis sola freni incisione restituitur. Notandum tamen rectius partem freni, quæ præputio, quam glandi jungitur, incidi; quo enim glandi vicinior incisio instituitur, eo periculosior hæmorrhagia metuenda, observante *Nuckio* & *Hildano observat.* 54. *centur.* 3. Ceterum de cura phimosis cum carnea ἐκφύσει leg. *Schenck. observat.* 8. *l.* 4.

Paraphimosis vero seorsim, si recens malum fuerit, curam medicamentis externis absolvi: sin à nativitate ipsa, frustra medicamenta admoveri bene notant nonnulli. Hinc etiam paraphimosin, quamvis cura proponatur, nunquam sanatam meminit *Anton. Molinettus in dissertat. anatom. patholog. l.* 6. *c.* 10. arduum siquidem

eſt,& nimis moleſtum, imo fruſtraneum ſæpe, mutilum quaſi ſeu curtum ſaltim præputium extendere,& tantum procedere, ut languentis penis etiam glandem obtegat.

Aſt hi autores intelligendi ſunt de naturali, vel circumciſione quoque inducta, unde extra illum caſum valent eadem, quæ jam diximus. Ad indicationum enim modulum utrobique locum habet inciſio, quo de videri merentur *Severin. de medicin. efficac. part. 2. enarrat. de ſection. c.*45. & *Blegny de art. curand Luem Vener. part.* [illegible] *cap.* 5. qui chirurgiam in certis paraphimoſis caſibus neceſſariam æſtimant ac perutilem, ne plura huc referamus ex aliis, vel de ipſo epiſpaſmo Iudæorum.

Ex PHARMACEUTICO eoque uberiori fonte præſto ſunt indicata tum univerſalia,tum particularia, evacuantia & alterantia, interna & externa omnis generis.

Sive enim alvus ſit obſtructa, ſive etiam ipſa Venerea,vel ſcorbutica putrilago malum foveat, præmiſſis,ſi opus fuerit, præparantibus, vel LENIENTIA ſaltim,vel PURGANTIA quæ κάτω humores noxios educunt,ſeligenda, pro re nata,media, vel fortiora quoque.

Sic,præter aloetica, ὀργανικῷ Venereo una & ſuo loco contraria, ut pilulas aloeticas, ♀eas,martiales variorum, laudari merentur *ſennata,rhabarbarina, ſpec,diaſennæ ♀ea, ſpec.diaturbith c.rhabarb: diajalap. brod.laxativ. ex fol.ſennæ & prunis,ſyrup.de cichor. cum rhab.roſar.ſolutiv. ſimpl. & compoſ.*

Sin infuſa vel decocta placeant, ex ſimplicioribus & compoſitis fieri poſſunt,& aptari rad. 5. *aperient.cichor. chin. ſarſæp.* flor. 4. *cordial. anthos*, herb. *fumar. capill. vener. agrimon. veron. ſcabioſ.* fol. *ſen. ſ. ſt. rhabarb. Alexandrin. mechoacann. alb. ſem. aniſ.* cort. *citr.* pro infuſo cum vino vel alio liquore congruo, additis *cryſtall. ♀ri*,& aliis. In hydropico ſtatu *pil. de galbano Sylvii* officium faciunt,ne plura laudemus.

Nec clyſteres ſunt de nihilo,ex emollientibus,paregoricis,carminativis,& demulcentibus ordinati,tam leniendi ſi alvus adſtricta, quam

quam alterandi ſcopo, ſiquidem placando archeum irritatum etiam vicinis partibus dolentibus opem ferunt.

Fortiora in robuſtioribus ac malo rebelli magis præſcribenda, ſi requirantur, qualia ſunt *gialapa nigra, reſinoſa. cerber. triceps* correctus, qui una optime præcipitat, *magiſter. gumm. guttæ, extract. colocynth. eſulæ.* Et hoc *Hildanus* maximo cum effectu in utroque morbo, ab impuro coitu contracto, uſus eſt. Videtur enim ipſi ſingulari quadam facultate haſce expurgare poſſe partes.

Emicat & ☿*ius dulcis* rite paratus, optime huc quadrans, quatenus liquat & fundit lymphæ viſcedinem, aliis adſociandus, vel in pulvere, vel rectius electuario, vel pilulis purgantibus. Idem dixerimus de *auro fulminante*, carminativo ſimul & hydragogo egregio.

Eſt etiam aliquando VOMITORIIS ſuus locus, ad revellendam & educendam humorum vitioſorum ſaburram. Ita refert *Hildanus centur. 5. obſerv. 57.* de Chirurgo quodam in Belgio haud vulgari, quod ſcortatoribus phimoſi & paraphimoſi laborantibus ſtatim ab initio infuſum ſtibii hyacinthini exhibuerit. Hoc licet temere non imitandum ſit & empirice, non tamen fruſtraneum penitus eſt, ſi cum ratione fiat in robuſtioribus & pituitoſis maxime. Suffecerint leniora & correctiora ex rad. *Ipecacuanhæ*, quæ inſtar omnium eſt, ex *manna vomitor. tartaro emetico*, mille modis variandis & miſcendis.

DIAPHORETICA & SUDORIFERA omne ſæpe abſolvunt curationis punctum, ſtaſin humorum diſſipando, & tranſpirationem reſerando, fermentum peregrinum disjiciendo, & ſanguinis ac ſeri motum in ordinem redigendo. Fecerint huc ♁*n. diaphoret. bez. miner. martiale.* ☉*re, bez. animale; liqu. corn. cerv. viperar. mixtur. ſimpl. utraque, tinct. bezoard. Mich. eſſentificat. Wed. theriac. Androm. & cæleſt.* decocta item *lignorum* & alia.

DIURETICA ſerum fixius & ſtagnans, reſtitans & aliquando gelatinoſum quaſi, & in mucilaginem verſum, quod neque per poros, neque per alvum poteſt commode evacuari, ex maſſa ſanguinea per urinam evehunt, ſimulque temperant humorum acrimo-

niam, & obstructiones reserant. Ex his nominasse h.l. sufficiat *lap. ♋. arcan. duplicat. 🜿r. 🜿sat. spirit. 🜿ri.* & instar omnium *arcan. 🜿ri liquidum*, rite paratum, *sal succini volat.* ⦶ *⊖tum, trochiscos* & *rob. alkekeng.* ac similia.

Colophonem addant ALTERANTIA & ROBORANTIA, tum toti massæ sanguineæ, tum certis partibus, seu foventibus, seu sustinentibus affectum, debita, eaque vel interna, vel externa.

INTERNA hinc, propter causarum & aliarum circumstantiarum diversitatem, maxime variant, ex aperientium, temperantium, renovantium, diluentium & anodynorum classe arcessenda, & ceu polychresta universalibus provide modo interpolanda, modo subjungenda.

Aperiunt *martialia & antimoniata*, ut *tinct. ♂t. fermentata, cydoniat. temperat. 🜿ea, volatilis, elix. proprietat. ♂iale. mixt. ♂ial. antiscorbut. tinctur. ♁i simpl. & rhabarbarina, ♁n. ♂ial. cachect. pulv. cachect. cinnabarin. Wed.* & aliorum.

Temperant massam sanguineam defecando, & miasmata fermentativa annihilando, *essent. fumar. compos. lignor. anim. rhabarb. tinctur. 🜿ri, ♁ii tartarisas. s. & oleos. corall. cum spiritu lignorum parat. ☿ diaphoret. turpethum minerale*; *camphora* item tum cum aliis, tum cum *nitrosis*, & *saccharo*, ♄ni remixta. Tacemus *oc. ♋. spec. diamargarit. frigid. diatr. sandal. sem. vitic. hepat. rubr. &c.*

Diluunt & alium characterem sanguini imprimunt decocta pugillaria, in praxi selecta hodierno tempore commendatissima, ex antiscorbuticis temperatioribus & hepaticis concinnata, e. gr. rad. *chin. acetos. trifol. fibrin. pimpinell. cichor. sarsæp.* herb. *fumar. scord. acetos. acetosell. verben. card. ben. agrimon. hepat. nobil. cusc. thea*, flor. *sambuc. scabios. bellid. fl. pl. nymph. pap. rh. rosar. rubr.* sem. *vitic. anis.* additis vel omissis lignis, cort. *ligr. sanct. cinnamom.* Faciunt huc & emulsiones, ut *sem. 4. frigid. maj.* & *minor.* ut & *cannabis* ipsa cum aquis appropriatis apparandæ.

Dolo-

Dolores ſedant & fibras nerveas ſolantur, præter dicta, *cinnabarina* & *opiata*, refracte & cum aliis remixta, e. gr. *cinnab.* ♁*ii pur.* & *nativa*, *laud. opiat. eſſent. anodyn. pulv. anodyn. Ludovic. ther. cœleſt. Wedel. trochiſc. alkekeng. c. op.*

Ex his & ſimilibus varias medicamentorum formulas quivis Artis Medicæ gnarus concinnare poterit, modo ſubjecti, affectus & medicamenti genium probe calleat: & ſi forſitan uterque affectus cum gonorrhœa virulenta, aut ipſa Lue Venerea colludat, reliqua è ſuis loculamentis huc conferat. Acceſſorium enim ſequitur ſuum principale.

EXTERNA, topica dicta, internis ſubſidio veniunt, & ſymptomatibus, ut inflammationi, tumori, dolori, medentur, per repellentia, emollientia & demulcentia, parti affectæ imponenda.

Repellentia influentem humorem cohibent, calorem refrenant, & poros defendunt. Talia ſunt actu & potentia refrigerantia, inter quæ aqua, ceu admirabile ſecretum, laudatur à *Riolano encheirid. anatom. & patholog. l. 2. cap. 32.* in utroque affectu à fervido coitu procedente, ſi nempe penis ſtatim frigidiſſima diu foveatur, vel approbante *Blegny l. c.* abdomen & partes genitales illa adſpergantur. Abſit vero omnis aqua frigida, ſi malum ex impuro congreſſu cum ſcorto acciderit, materiam enim malignam ad interna viſcera repellit, & ulcera maligna in parte excitat. Imo rectius fere hæc omittunrur plane, & calida potius abſterſiva ſunt potiora & diſcutientia. Hæc enim fibras tenſas laxant, ſimulque partem roborant, additis paregoricis & nervinis ad uſum accommodanda.

Exempli loco eſſe poſſunt ſpecies ex rad. *alth. ſcrophul. cynogl. oxylap.* herb. *parid. alth. hyoſc. chamomill. c. t. linar. c. t. agrimon.* flor. *melilot. verbaſc. hyperic. ſambuc. pap. rh.* ſem. *fœnugræc. carui, lini conquaſſ. croc. camph. maſtich. oliban. myrrh. el.* pro fotu cum lacte, vel ſuffitu quoque. *Dioſcorides* experimenti loco laudat *umbilicum Veneris.*

Confirmat fomenti hujus uſum, licet ſimpliciorem, *Celſus*, qui in

in phimosi, ubi glans contecta est, oriculario, *ait*, clystere inter eam cutemque aqua calida inserenda est. Idem & in paraphimosi valet.

Convenit etiam *lac calidum*, vel cum *floribus chamomillæ* solis coctum. Plura talia videri possunt & legi apud *Forest.l.26.observ.7.Hildan.centur.5.observ.55.& sequ.Ettmüller.part.2.colleg.practic.p.m.*1009.aliosque Practicos.

Alias quoque relaxationi fibrarum inserviunt linimenta ex ℴℴ *lil.alb.amygdal.dulc.rosar.chamomill. ovor.rec.* item *pingued. human.anserin.capon.gallin.*puta si inflammatio non obstet.

Ita si gangrænæ vel sphaceli accidat metus, conveniunt *unguent.de litharg.decoct.nigr. Chirurg. oleum ♀ri* ℞*tum*, & similia. Alias vero etiam *unguent.de cerussa, de solano, empl.de melilot.album coct um,de sperm.ranar.mel rosat.bals.de Peru,*~*matrical.*🜄*ni camphorat.* pulveres sicci e. *pomphol.sem. lycopod. aqua calc. viv.* cum ☿*dulc.* cum *sacch.*♄*ni*, cum ☿~*to*, quam mercurialem vocant, usibus suis excellunt, circumstantiis conjunctis accommodata.

In fine si affectus remiserit, ad roborandum sacculi & fotus ex herb. *rosmarin.majoran.salu.abrotan.*flor.*ros.rubr.*cum vino cocti, imo vel vinum solum, & urina recens emissa suffecerint utrobique.

Rimas in præputio & recentes & inveteratas eadem urina, quæ inter mingendum intra præputium & glandem suscipitur, & celerrime & mirabiliter sanat, ut ne opus quidem sit alio auxilio, teste *Aetio,tetrabibl.4.serm.2.cap,*15. Id vero utut sano sensu verum sit, ad eluendam sorditiem, malignitate tamen præsenti minus tutum & solum est præsidium.

Tandem si dicti affectus chronicorum more medicamentorum vim illudant, eos tempus & mora cicurabunt, modo æger patientiam, & Medicus prudentiam in continuatione auxiliorum adhibeant.

DIÆTA his respondere debet quoque. In NATURALI VICTUS tenuis & refrigerans hoc loco magis observandus est. Ex cibis vitari debent viscidi, acres, salsi & infumati: usus etiam spiritus vini, vina calidiora, piperata, aromatica fortiora.

In


In VITALI AER hauriatur temperatus, Euro ventilatus, neque calidior, neque frigidior. In ANIMALI MOTUS & QUIES, SOMNUS & VIGILIÆ ad illam mediocritatem sunt revocāda, quæ est inter nimium & parcum. Cumque per decubitum in somno supinum uterque affectus prorogetur, dum vasa illa majora per dorsum decurrentia incalescunt, indeque sanguis & spiritus copiosius ad penem feruntur, laterali assuescere consultum erit.

EXCRETA & RETENTA debitum tempus & consuetum naturæ ordinem sequantur. Memorari hic meretur & mundities debita. Qui enim phimosi nativa gaudent, nedum Venere usi temeraria, nisi sordes provide eluant tectas, nec transpirantes, in glande & sub tegmine illo, transpiratu prohibito, circa coronam ejusdem facile pruritus, acrimonia, tumor & inflammatio, adeoque phimosis & paraphimosis p. n. enasci solent ac exasperari.

Venus ipsa licita conducit magis in phimosi, minus respective in paraphimosi: illicita vero quoque nomine veniat, studiose cavenda. Res age tutus eris, etiam hic valet, ut contra ea otia dant vitia.

Ex ANIMI PATHEMATIBUS IRA & AMOR cane pejus & angue fugienda. Utraque enim hæc magis ad circumferentiam & extrema spirituum ὀργασμὸν citare consuevere.





VIII.

RELATIO CHIRURGICA

DE

VULNERE ET SUTURA TENDINIS.

EGo NN. Chirurgus juratus Parisiensis hisce attestor, me die 12. Aprilis 1674. ad ædes DN. NN. vocatum fuisse, ut judicium meum de vulnere famulo ejus Zaccariæ Coquet inflicto aperirem. Huic autem die hesterno in media phalange digiti medii manus sinistræ vulnus transversum externè inflictum erat, quod ad os pertingebat tendinemque digitum extendentem dissecuerat, qui statim quoque à Chirurgo per suturam reunitus fuerat. Quamvis verò hæc sutura secundum genuinas Artis regulas applicata sit, attamen dici & certò promitti nequit, an tendo perfecte coalescere possit, antequam dies aliquot præterlapsi sint; & licet nulla quoque symptomata periculosa accessura

cessura sint, quæ consolidationem impedirent, dictus tamen Coquet duos adhuc menses consumet, antequam digitum rursus & sufficienter flectere possit. Sign. ut supra.

Reliqua in CURATIONE & Sutura tendinum observanda eleganter admodum in *Disp.* *sua* Inaugurali *de læsionibus tendinum*, Lugd. Batav. olim ventilata, pertractavit Dn. *D. Kisnerus*, Med. Francofurtensis Celeb. quam non invito Dn. Autore hic inserendam duxi:

THES. I.

Nec leve nec ultimum humanæ calamitatis testimonium exinde habemus, quod dum conamur extraneas irruptiones antevertere, irruptas jam, quantum quidem in nobis est, planè tollere, eo ipso novas inscii inducimus ærumnas, ut clarius constet, dum in animo nobis est, imminentia præcavere mala, præsentia autem aptis curare remediis, eodem momento alias morborum species nobis superinducimus, imo haud raro ipsam mortem. Quid enim antiquius est, quam in V. S. subjectum tendinem vel nervum, variis vasa gyrationibus circumvolventem variis lædere modis? Ubi vires vel aliæ circumstantiæ eam non permittunt, quid tristius, quam scarificatione aut hirudinum applicatione in eundem incidere metum? in ophthalmia, visus debilitate aliisque oculorum vitiis, quid frequentius, quam in applicatione setacei, substratum tendinem simul & semel pertundere? Nec desunt multa animantia bruta, quæ homines insidiose ac clandestine aggrediuntur, illosque eâ qua possunt vi & furore vulnerant, pungunt, mordent, eventu maxime tristi & deplorando, insequentibus quoque presso pede horrendis & diris

ſymptomatibus, quæ infra fuſius & ordinatim recenſebimus. Acturi igitur impræſentiarum pro ingenii noſtri modulo, de læſione tendinum, iterata adhuc vice Numinis divini auxilium ſupplices imploramus ſapientiamque, quæ cœlitus venit, ſubmiſſe & ardenter precamur.

§. II.

Nominis mala, dubia & æquivoca acceptio ſæpe numero in cauſa eſſe ſolet, ut quid proprie velimus, alii non intelligant, nec intelligere poſſint, niſi genuinam ejus interpretationem adjiciamus. Eo enim bene percepto, citius ac melius in rei cognitionem devolvimur, ſine qua impoſſibile eſt juſtam nobis connexionem & ſenſum ut formemus: perturbatus enim nominum uſus rerum quoque perturbat notitiam: Quanquam non ſolummodo *Galenus* paſſim in ſuis operibus, ſed & alii ſcrupuloſæ & ſupervacaneæ nominis tractationis hoſtes ſint acerrimi, quia ſecundem priorem ἀπιμέλεια τῶν ὀνομάτων utplurimum eſſet ſolet ἐμέλεια τῶν πραγμάτων καὶ τῆς ἀληθείας. Idem tamen utilem & neceſſariam nominum conſiderationem minime damnat: è contrario lib. 2. M. M. *qui alium*, inquit, *docere volet, quæ ipſe tenet, huic prorſus nominibus propter res uti neceſſe, in quorum uſu perſpicuitas, quaſi meta, ſpectanda eſt.* Caput quoque ſec. eundem ad effugiendam in rebus deceptionem eſt, ut definita locutione utamur: h. e. tali quæ & rebus conveniat & Lectoribus clara ſit atque perſpicua. Quâ in re ſuffragatur *Scaliger* Subtil. Exerc. Sectione I. *oportet* inquiens, *prius ipſius vocis uſum cognoſcere, ab eo enim nos provehi ſæpe numero in rei perceptionem.* Cum igitur animus ſit, de læſione tendinum theſes quaſdam proponere, ſub illa non comprehendimus, quæ à cauſa proveniunt interna, forſan eodem denominanda nomine; aliás enim requiretur de omnibus humani corporis effectibus mentionem facere, id quod humeri mei recuſant: nam illius ſum ſententiæ, quod in omnibus morbis, tam acutis quam chronicis, nervi & per conſequens tendines aut primario afficiantur, aut in conſenſum trahantur; de prioribus nemo erit, quod credam, qui id negaverit: de noviſſimis autem *Sydenhamium* anteceſſorem habeo. Nec de tropicis & metaphoricis dicturi ſumus, quæ ad

Me-

dicos non aut vix pertinent: sed id nobis propositum est, ut pro ingenii nostri tenuitate solummodo agamus de læsione tendinum externa vel violenta manu facta. Istud autem vocabulum læsionis eo lubentius amplectimur magisque arridet, quia sub generaliori ejus acceptione & aliæ comprehendi possunt species, quæ ad vulnerationem illorum stricte sic dictam non spectare videntur; sub eâ enim intelligimus solutionem continui factam instrumento pungente vel secante, in parte carnosa & membranacea. Quis jam contusionem tendinum nervorumque ad illam referre vellet? cum inter duas hasce species discrimen lippis & tonsoribus notum sit. Quod si autem nonnullis vox Vulnerationis magis placuerit, nec ego vehementius repugnabo, modo conveniamus in re ipsa, cumprimis ubi de corio humano agitur: accuratam enim morbi historiam rectamque quæ primam necessario insequi debet, medendi methodum malo, quam vanam sterilemque λογομαχίαν, ignorantiam quam facillime & digito quasi, ut ajunt, monstrantem.

§. III.

Non multum de nomenclatura solliciti erimus, quid Græci, quid Latini per læsionem intelligant. Priores sub ea generaliter omnes affectiones p.n. comprehendunt, nec discrimen inter, ulcera inter vulnera fracturasque faciunt. *Hippocr.* vulnus indiscriminatim pro omni læsione violenta accipit, in quacunque demum parte sit: ulcusque & continui solutio ipsi sunt Synonyma, ut *Gorræus in defin. med.* tradit. *lib. de Ulcerib.* non ulcera modo proprie dicta, sed etiam vulnera & fracturas & contusiones intelligit. Notat *Valleriola enarrat.* 8. *lib.* 3. plerosque Græcorum Interpretes vulneris & ulceris nomine indifferenter uti, omnemque solutionem continui in carne ulcus appellare. Latinis audit vulnus, plaga, sub quorum nomine multæ quoque differentiæ concluduntur: hoc tamen observandum velim, continui solutionem genus quoddam esse, sub se varias continens species, quibus ob partium diversitatem & varium inflictionis modum varia imposita sunt nomina. Specialius continui solutio in nervo dicitur, σπάσμα, qui affectus à Spasmo longe diversus est. vid.

Gorræus l.c. ἀπόσπασμα autem sec. *Galenum* est continui solutio, quæ ligamentis accidit, & *Hipp.* ἀπόσπασμα vocat, cum abruptis iis, quæ ossa inter se connectunt, ipsa, quæ jungebantur, plurimum ab invicem dehiscunt.

§. IV.

Plurimi Autores satis prolixi sunt in definiendis Vulneribus, cumprimis illi, qui in descriptione generaliori occupati sunt. Sufficit monuisse, nos impræsentiarum Vulnus s. Læsionem Tendinum definire, quod sit Solutio continui, partibus tendinosis recenter & violenta manu externa inflicta. Arbitramur nos omnibus satisfecisse desideratis: Generis enim locum obtinet Solutio continui, quæ quidem morbus communis est partibus similaribus vulgo dictis & dissimilaribus. Reliqua rationem habent differentiæ. Diximus enim solutionem recenter & violenta manu externa inflictam, ad differentiam ulcerum, quæ non semper eodem modo contingunt, præsertim interna, nonnunquam à corrosiva quadam humorum dispositione ortum deducentia, denique cum pure conjuncta sunt; quod ultimum quam maxime & solum, nullam juventutem sed senium potius redolet: In partibus tendinosis, ad discrimen aliarum partium carnosarum & fracturarum, quæ partibus duris & osseis accidunt.

V.

Antequam ulterius progrediamur, haud inconsultum duximus, de læsione tendinum acturi, primo naturalem eorum constitutionem & texturam, quantum quidem nobis possibile erit, præmittere. Is enim curam corporum suscipere non debet, quorum structuram non teneat, vel, quod eodem recidit, restaurare machinam tales nisi temere tentaverint, qui ipsius structuram non probe calleant; quam si quis exacte noverit, nec difficile erit, & statum p.n. oculis nostris subjicere, cui ceu fundamento superstrui tandem potest vera & genuina medendi methodus. Cum verò absque Musculi consideratione id fieri nequeat, & paucis ejusdem texturam retexemus, non neglecta ejus operatione & usu, quantum ad scopum nostrum sufficit. Nihil allaturus sum, nisi quæ optimorum Anatomicorum fide aut saltem nostra qualicunque observatione exploratum sit.

fit. Monemus autem L. B. ut integram hîc non expectet Myologiam, nec absolutam de Motu Musculorum doctrinam, quæ integrum magis tractatum, non paucas poscunt pagellas: utrisque etiam humeri impares sunt nostri, & limites Dissertationi nostræ constitutos excederet tam operosa & late fusa doctrina.

§. VI.

Musculus Gr. μῦς dicitur, sive ἀπὸ τοῦ μύειν quod contrahere significat, sive à figura, quam cum mure habere creditur excoriato: eadem quoque nominis ratione Latinis audit Lacertus, ab animalis sic dicti similitudine, quanquam omnibus musculis ea figura attribui non bene possit. In Galeno adscript. defin. Med. sic definiuntur: ἐισὶ σώματα νευρώδη ἀναμεμιγμένης αὐτοῖς σαρκὸς πρὸς κίνησιν τῶν σώματος μερῶν γεγονότες. *Musculi sunt corpora nervosa permista iis etiam carne, ad corporis motum procreati*, prout Latinè reddidit *Barthol. Sylvanus.* Aliis in locis eos tali modo definit, quod sint ὄργανα κινήσεως τὸ καθ' ὁρμὴν, *organa. s. instrumenta motus ejus qui fit secundum impetum.* Qui partes corporis nostri in similares & dissimilares seu organicas distinxere, inter illos nonnulli musculos ad priores, alii ad posteriores referunt, quibus & alia iterum definitio placet. *vid. Gregor. Horstii Institut. Med. Disput.* 3. Qui actionem musculi ejusque structuram ex principiis mathematicis deducunt, feliciores meo saltem judicio fuere in explicandis omnibus phænomenis, rejectâ ista splendida facultate motrice. Inter illos nobis reliquit aliquot definitiones *Steno in Elem. Myolog. Specimine.* quarum una hæc est: *Musculus est fibrarum motricium collectio, ita conformata, ut mediæ carnes parallelolipedum obliquangulum, tendines verò oppositi duo prismata tetragona constituant.* Duas adhuc habet, prout vel ex ordinibus, vel ex versibus conflati sunt. Ut autem L. B. hi termini, difficiliores forsan, ordines nempe & versus, in lectione non detineant, eorum explicationem & genuinum sensum verbis *Stenonianis* addere animus est. Sciat igitur quod series fibrarum musculi rectas, ordines, transversas autem versus vocaverit. Cum tamen in explicatione horum terminorum obscuritas adhuc quædam subiit, præsertim illis, qui Mathematicas non

callent

callent literas, consilium nostrum esset, ut ipsas figuras earumque enucleationem invicem conferant & inspiciant. Plurimi, inter quos *Spigelius* & *Bartholinus*, musculum definiunt, quod sit *pars organica & motus voluntarii instrumentum*; sed nimis stricta est, cum certe motus edant varios, qui non ex voluntate nostra dependent. Si & nostram subjicere liceat, sequenti modo illum definirem, quod sit *corpus s. Machina ex fibris vel staminibus, naturæ lege sibi invicem oppositis conflata, quæ ceu instrumentum proximum omnes motus animales perficit.* Crediderim facilè, me omnibus satisfecisse desideratis circa hanc definitionem, veram ejus structuram agendique modum indigitando.

§. VII.

Structura Musculorum *Galeno* audit nervosa, ut ex ejus definitione patet, quæ eo innititur fundamento, quia tres nervorum differentias facit: qui enim, inquit l.c. & alibi, ex cerebro & dorsi oriuntur medulla, ii propriè nervi, qui ex musculis, tendines, qui verò ex ossibus, ligamenta appellantur. Secundum illum Musculus constat ex nervis & ligamentis in fibras tenues dissolutis, quibus caro simplex est permista; spatia inter ipsas media substantia molli esse oppleta & fibris ipsis in orbem circumjecta, ut *in lib.* XII. *de usu. Part.* videre est. Recentiores autem, ut *Bartholinus, Steno* & alii fibris constare contendunt, quas motrices appellant, quorum primus præcipue *Stenonem* Præceptorem suum sequens, demonstrare conatur, omnes corporis nostri solidas partes, exceptis iis, quæ pareuchymata dicuntur, non nisi textum esse iisdem funiculis ubique contextum, & easdem fibras modò in carnes emolliri, modò in tendines & ligamenta compingi, modò in membranas expandi, modò in cartilagines indurescere, modò denique in ossa consolidari; hujus autem veritatem anxiè non perscrutantes manebimus circa ipsam fibram motricem, quam dividunt in partem carnosam, quæ intermedia est, & tendinosam, quæ in duas utrinque extremitates abit. Illam definiunt eum in modum, *quod sit minutissimarum fibrillarum sibi mutuo secundum longitudinem immediate junctarum certa compages, cujus intermedia pars ab extremis differt consistentia, crassitie & colore, & ab inter-*

terme-

termedia parte fibrarum motricium separata est per transversas fibrillas propriæ musculorum membranæ continuas: Motrix vocatur, quod ipsis videatur verum motus animalis organum, musculumque non esse, nisi talium fibrarum collectionem, nec agere, nisi dum singulæ harum fibrarum agant. *Bartholinus* circa hanc definitionem quædam monet, dicendo nempe, quod illâ fibræ motricis nomine tendines quoque comprehendi videat, quamvis dubitet ullas fibras, præter carneas, dici posse motrices: plura vid. *lib. de Diaphrag. Struct. nova.* Quibus si membranas musculum tegentes ac omnes fibrillis ex se emissis sibi invicem colligantes addideris, ac denique vasa in ipsum derivata annumeraveris, arterias, venas, lymphæductus, nervos, integrum cernis Musculum.

§. VIII.

Hic a quamplurimis dividitur in principium, medium & finem, s. caput, ventrem & caudam. Istud *Galeno* ligamentosum est & nervosum, nonnunquam quoque carneum, quia credidit plures musculos nullo præditos esse tendine: imprimis autem illam musculi partem principium insignit, ubi inseritur nervus, etiamsi inseratur in caudam ipsius: verum regula hæc, tãquam non satis firma, *Walæo* & aliis displicet, qui putat perinde esse sive in principium, sive in medium, sive in finem inseratur. Caput igitur sec. *Galenum* est prima & superior Musculi pars, quæ ex ligamento ossis & nervo insimul mixto generatur, ut ex utroque composita inter utrumque mediam quandam naturam obtineat & nervo quidem sit durius, ligamento autem mollius, quod secundum illum durum adeò, ut validè simul ossium dearticulationem colliget, neque motum impediat: molle verò eousque, quod non frangatur neque facile abrumpatur: sensus quoque expers est, quia ex partibus, ossibus nempe & cartilaginibus, insensibilibus constat. Medium autem s. venter pars musculi tumida dicitur, quæ ex carne musculosa composita maximam ejus partem constituit. Finis tandem s. cauda vocatur pars nervea & pellucida, in quam musculus terminatur, qui τένων, tendo dicitur, alias ἀπονεύρωσις, quasi dixeris enervationem musculorum, quoniam in eos

videtur finiri. Hæc musculi divisio, etiamsi maximi non sit momenti, usui adhuc esse potest ad faciliorem doctrinam, cum ferè omnibus principium semper sit in parte, ad quam movetur altera mota, finis autem in illa, quæ movetur, medium interjectum. Divisio *Stenonis* tanquam vera & commoda magis arridet, musculum quemlibet dividens in ventrem & tendines, seu medium & extrema: abstinendo potius ab istis nominibus aliisque terminis, musculorum partibus exprimendis destinatis, quæ sola rei non bene cognitæ evidens sunt argumentum, & acquiescendo in extremorum appellatione, cum proprie loquendo neutrum vel principii vel finis nomen mereatur, præsertim cum vices interdum mutent extrema, & quod jam mobile, alio corporis situ quiescens evadat; non enim existimandum, carere extremorum altero musculum, cujus carnes ossibus sine interveniente tendine, notabili saltem, inhærent, ut in parte musculi temporalis in variisque artuum videre est. Verissimum id esse, nullus ferme jam dubitabit, cum fibra motrix, quæ omnes efficit musculos, sine ulla contradictione omnique experientia anatomica, non solum in utrisque extremitatibus tendinosa sit, sed & sine illis non concipi possit, etiamsi omnes hæ exttemitates vel utrinque vel ab altera parte tantum in firmos colligantur tendines, vel in membranam diffundantur, vel in osseam degenerent rigiditatem: quamquã haud diffitendum, in aliis longiorem, in aliis breviorem inveniri, ut etiam rei non satis perito & primis intuenti oculis videri possit, in tendinem non abire omnes musculos, ut sanè accidit *Bauhino Theatr. Anat. lib.* 1. *cap.* 1. qui credidit, sphincteres nullo præditos esse tendine, cum non sit conspicuus & extra carnes suas protensus; filamenta tamen tendinosa fibris suis interjecta obtinent.

§. IX.

Dictitat autem Dissertationis nostræ facies, ut paulo fusius & accuratius tendinum considerationi incumbamus, cum & ipsa tractationis necessitas id postulare videatur, tum & auxilium, ex tendinibus in motum muscularem redundans, quod ipsis sane non denegari potest, cum ex varia eorum læsione varios quoque defectus in

motu

motu animalium accidere, quotidie observemus. Tendo igitur, qui & chorda dicitur, *Galeno* est extrema pars musculi, quæ conflatur ex concursu fibrarum, ligamentorum & nervorum tenuissimorum paulatim in unum corpus coalescentium. Inseri enim dicit in caput musculi & nervos & ligamenta, deinde in totum musculum dispergi, ideò rationabile esse, ex ambobus tendinem esse factum. Nervum, ubi jam ingressus est musculum, in multos minimos ramusculos seu exiles fibrillas dividi, iisque obviam ire ligamentum eodem modo fissum, atque ramusculos istos intermistis fibris ultro citroque coire & misceri, sicque mistos & ad finem musculi unitos tendinem constituere. Nervum quoque pervenientem ad ipsum musculum, in prima quidem insertione, in pauciores distribui portiones, illis rursus in alias scissis, hisque iterum sectis in alias, eousque tandem scissuram procedere, ut in membraneas & valde tenues fibras desinat: rursus has particulas invicem coire ac nervos mole quidem prioribus majores, cæterum numero pauciores generare. Quum vero tendo multò major sit nervo, qui in musculum descendit, manifestum esse, quod non solùm ex nervo factus sit, sed & aliquid ex natura ligamentorum assumserit, quorum usum exhibiturus erat; alligare enim subjectis ossibus musculum, id ipsi convenire ratione ligamentorum, sentire autem & movere, ratione nervorum, quorum particeps est, cum autem non ita sensilem esse ut nervum: utplurimum eos inseri in ossis terminum cartilagine illitum, nonnunquam & ipsum dilatatum involvi circa superiorem partim ossis: plura vid. apud *Galen. de usu part. lib. I. cap.* II. *& de Mot. Musc. lib. I. cap. 2.* cui sententiæ & *Laur. Piccolhominus, Fallopius, Bauhinus* aliique subscribunt, quibus religio est, ne transversum quidem unguem ab ea recedere. Multo minus illi audiendi sunt, qui tendinem demum inchoare putant ultra carnem, falluntur quam maximè, non existimantes docere experientiam & inspectionem ocularem, quod extendatur per totum musculi corpus: nec illorum recensioni vacabimus, qui dicunt, tendinem recta juxta longitudinem musculi duci, non oblique neque transversim, nec rectas fibras transversis aut obliquis intermixtas inveniri:

veniri:& esse partem illam, quæ primas in Musculo teneat, & cui actio tribuenda sit, quæ per ipsum in musculo immediatè perficitur; quanquam & ipsimet statuamus, tendinem totam longitudinem efficere, attamen non est de necessitate, ut statim sequatur, fibras nec oblique nec transversim currere, id quod tamen inferius affirmamus. Ad rerum veritatem, seu, si mavis, verisimilitudinem propius accedunt Neoterici, qui dicunt, tendinem esse fibræ motricis per totum musculum decurrentis utramque extremitatem, in qua descriptione definitio insimul continetur. Non à nervis, non à ligamentis ortum suum trahere, notorium est, crediderim potius, à prima statim formatione connatum esse: nec secundum sententiam *Spigelii* juxta musculi longitudinem rectà duci, nullus dubitaverim, cum ex observatione *Stenonis* nulla in ullo musculo facile reperiunda fibra, quæ unam rectam constituat lineam, sed singulas in tres minimum lineas, quæ duos angulos alternos comprehendunt, divisas esse; nec ipsas has tres lineas semper rectas, sed sæpe carnem, ut in sphincteribus, interdum & tendinem, quando digiti incurvantur, curvam efficere lineam: tendinem autem à fibra carnea intermedia diversum plane corpus esse, facile negaverim, cum eædem fibræ, quæ in medio laxius junctæ carnem constituunt, arcte & propius associatæ, tendinem componant; hinc non inepte eo sensu dictum est, consentiente etiam *Stenone*, tendinem corpus esse continuum à principio musculorum usque ad finem. Idem Autor partem extra carnes conspicuam in distinctionem reliquæ fibrarum massæ & portioni, appellat tendinum continuatorum partem extantem, & strictius dicendum esse tendinem illam partem, quæ musculum finit & membrum tendit, vult *van der Linden. Meletem.* p. I. §. 41. Verùm aliquid discriminis, cumprimis quoad usum, intercedere tendinem proprie sic dictum & ipsam fibræ tendinosæ partem intermediam, extra omnem dubitationis aleam, ut arbitror, positum est, cum experientiâ constet *Stenoniana*, musculi simplicis ab uno extremo ad alterum secundum fibrarum ductum divisi, si alterius partis carnem transversim dissecueris, tendinibus intactis, illicò carnes dissectas

carni-

carnibus integris longè breviores evadere, tendines vero tendinibus manere æquales; idem videre licet, si ventriculi cordis dissecentur, staminum carnosorum manet motus, valvularum autem tricuspidalium est nullus. Tendinem conficiunt fibræ tendinosæ, quæ in utroque earum extremo coëuntes ita intorquentur & coalescunt, ut funem aliquem grandiorem ex innumeris aliis minoribus textum referant, monente Autore *Anonymo de Motu musc. libro Willisii de nervis mihi annexo*, quem *Bartholinus in sua Anat. p. m.* 36. appellat *Croone*, qui de iis tria summopere notanda censet: I. ex illis potissimum musculos constare, quod eo probat argumento & experimento, quod octoginta librarum pondo alligatum istius musculi tendini, quem gracilem internum vocant, ab humo sublatum facilè sustineri possit, altera musculi extremitate manu apprehensa, quod etiam *Borellus de Motu animal. P. I. cap. 2. prop. 2.* testatur. 2. quod non modo pro ratione situs partium movendarum varios obtineant ductus, sed quoque fibræ ejusdem musculi iisdemque destinatæ motibus, variis contorqueanttur implicationibus, ac sibi invicem interserantur, ut in seminervoso, quod in aliquibus fibræ recta à capite ad caudam incedant, in alio, plus minusve, per lineas quidem spirales aut ἑλικοειδεῖς obliquentur; aliis autem quod duplex contingat series, quæ utrinque ex tendine quodam recto ab initio ad finem musculi pergente enascuntur. 3. Quod in quibusdam musculis hæ fibræ plures ac magis à se dissitæ sint, quam in aliis, quodque in diversis ejusdem musculi locis aliter ab invicem distent, & prope istam partem, quæ in contractione tumescit, spatia sive intervalla inter singulas fibras semper laxiora sint; prope utrumque autem extremum constringantur, monente primùm *Vesalio*. Tendo in plerisque musculis gracilis instar funiculi ad articulum movendum exporrigitur. Si enim fibræ tam copiosè parallelo illo situ, quo carneæ gaudent, ossibus conjungerentur, non haberent tendines tam lati satis spatii in lateribus ossium, nisi hæc exigentia essent, cumprimis cum ob necessarium motuum varietatem alii plures musculi tendinesque eidem articulo essent affigendi, Quamobrem natura & decoram animalis formam

ſervatura & multiplicitatem motuum commode præſtitura, hancce fibrarum muſcularium diſpoſitionem meditari coacta fuit, quia articulus hoc pacto plures horum tendinum ambitu ſuo excipere facile poterat, ut benè monuit *Sturmius in Epiſt.3. ad Borellum*, quam vid. in M.N.C. Dec. II. Ann. IV.

§. X.

Non minus, quàm muſculum, vaſa ſanguifera tendinem ingrediuntur, quod veterum hypotheſi planè contrarium eſt, quia crediderunt, tendini tanquam corpori duro venas molliores non commiſceri poſſe; ideoque ne verbum quidem de ejus nutritione dixere. Antiqui autem id ſilentio præterierunt, ulteriorem horum vaſorum diſperſionē in muſculis non examinātes. *Exc.* tandem *Ruyſch.* ad invidiam uſque aliorum feliciſſimus, ope injectionis materiæ ceraceæ, quâ omnibus aliis palmam præripuit, multa vaſcula arterioſa in ipſa tendinis ſubſtantia detexit, quæ ſecundum ejus longitudinem recto fere tramite decurrunt, ut mihi videre licuit in inſtructiſſimo ejus muſeo; quare ſtatim conſilium cœpi, Exc. Virum omnibus rogare precibus, ut obſervationem hanc, Diſſertationi noſtræ non parum lucis allaturam, communicare nobis vellet, quibus etiam pro conſueta benevolentia locum dedit: æri igitur incidi curavimus, ut L.B. inſpicere queat jucundiſſimum hocce ſpectaculum ſub fig. 2. Non dubitamus, vaſis his arterioſis lymphatica quoque aſſociari, quæ quidem nondum detecta ſunt: quod ſi adeſſent, crediderim, eorum nutritionem oculis pateſcere, ortumque & cauſam Synoviæ quam facillimè deduci poſſe, de qua tamen inferius plura.

§. XI.

Diſcrimen autem, de quo ſuperius mentio facta eſt, conſiſtit in eo, quod fibræ tendinoſæ pars media carnoſior ſit tendine extante, eamque ob cauſam à nonnullis Autoribus per excellentiam vocetur fibra muſcularis, quæ ſecundum illos diſtinguitur à fibris tendinum & membranarum, quatenus illæ magis ſpongioſæ ſunt & ſemper humectantur à ſanguine aliisque humoribus, ſecus quam iſtæ: ſtructurâ quoque, diverſiſſimo operandi modo & energia differre, contendit *Borellus de Mot. animal. P.1. cap. 2. propoſ. 2.* ſubſtantiam autem

ſpon-

Fig. 1.

A


E


C

D

E

B





B

ſpongioſam ſub rubicundo colore apparentem, eſſe parenchyma & tomentum villoſum à ſanguine incruſtatum & fibras circumveſtiens tendinoſas, & diverſum quid à fibris, multi crediderunt, hoc inducti argumento, quia in animalibus valde extenuatis muſculi redduntur graciliſſimi & excarnes, iidem autem bene conſtituti & craſſi, ſi bacillis conterantur, comprimantur, abradantur, pariter fibras relinquere graciles; ſed hoc non evincit carnem quid diverſum eſſe à fibris muſculoſis; humor enim omnis, qui fibrarum poroſitatibus continetur & tincturam præbet rubicundam, ab affluxu cruoris dependet, à quo veluti ſpongia replentur & perpetuo madefiunt. Hoc evincitur eo, quod rubedo illa ſanguinea facile ex muſculis elui poſſit ope ſiphonis, ſi iteratis vicibus aqua pura in arterias impellatur; quo efficitur tandem, ut fibræ muſculoſæ plane albicantes & candidiſſimæ appareant, ſimiles omnino fibris tendinoſis, quibuſcum eandem conſiſtentiam, fortem nempe & tenacem, habent. vid. *Borellum l.c.* & *Schelhammerum de lymphæ ortu*, *Bibl. Anat. P. II. inſert a p.* 522. Ut melius ipſa fibræ muſcularis ſtructura pateat, lubet *Levvenhockium* adducere, qui obſervavit, quod quælibet fibra carnoſa compoſita ſit ex minutis & valde ſubtilibus veſiculis, impleto humore quodam claro & pellucido: quæ exteriorem fibræ partem conſtituunt, ipſi videntur rotundæ; cum autem una alteri incumbat, reliquas reliquorum ordinum non videre & diſtinguere potuit: veſiculæ autem minutiſſimæ ſunt, quia ſexcentæ earum ne unius capilli craſſitiem adæquant, id quod optimo microſcopio obſervaſſe dicit, & ſi ſingulæ fibræ, poſt elixationem inflatæ, microſcopio inſpiciantur, videntur eſſe cylindruli, ſimiles virgultis arborum, qui non videntur eſſe tubuli cavi, ſed pleni ſubſtantiâ ſeu medullâ quadam, quæ debet eſſe ſpongioſa ad inſtar ſambuci; hinc non aſſentiendum iis, qui à ſanguinis extravaſatione carnem oriri ſtatuunt, quorum præcipua ratio eſt, quod nulla partium eſſet nutritio, ſi ſanguis intra vaſa ſua jugiter contineretur: verùm ſanguinis extravaſatio res adeo confuſa eſſe videtur, ut eandem in animalium ſtructura accuratiſſima locum habere vix putandum ſit; præterea plane non concipi poteſt, qui fieri

poſſit,

possit, ut sanguis extravasatus minutissimarum venarum oscula subiret, cum tamen, si per molem musculi difflueret, ultimas earum propagines comprimeret, & sic per compressionem illam ingressum sibimetipsi impediret, ut latius videri potest ap. *Majovv. de mot. musc. cap.* 3. Collectionem igitur vesicularum sanguiferarum præcipuam carnis musculosæ partem constituere, arbitrandum est; etenim quod ad rubicundum carnis crassamentum attinet, nihil aliud esse videtur, quam affusio sanguinis, qui vesiculis illis continuò allabitur iisdemque adhæret, de quibus probabiliter credi potest, quod sibi sint contiguæ & alia aliam intret, & quod partem quandam sanguinis arteriosi revehant in venas, & quod possint inservire loco viarum, inter hæc vasa communicantium, *vide, sis, Tauvry in Anat. nov. Gall. edita p.* 204. nec non *Borellum l.c. cap.* 17. *prop.* 116. *Bellinus de mot. cord. prop. XI. p. m.* 81. fibras hasce villos vocat contractiles, musculum componentes, carneamque substantiam esse sinulos villorum, in quos derivatur liquidum nervorum & sanguis.

§. XII.

Differunt præterea tendines à nervis, quod hi videantur fasciculi tubulorum à cerebro derivatorum & membranâ ejusdem involutorum, tendo verò collectio fibrarum seu staminum primordialium, quæ eodem tempore ac reliquæ corporis partes formantur; si enim non differrent invicem, de necessitate non esset, ut nervus musculum ingrederetur, qui sine ejus ingressu & miscela omnes tunc transmittere posset voluntatis & imperii instinctus; contrarium autem jam satis notum est; videmus quotidie ex anatomicis, nervum intimius semper penetrare musculum; ille *sec. Galenum Lib. de mot. musc. cap.* 2. in prima quidem insertione in pauciores distribuitur portiones, illis rursus in aliis scissis, hisque iterum in alias sectis, eousque tandem scissura procedit, ut in membranas & valde tenues fibras desinat: hodiernorum verò diligentia assertum hoc experientia confirmare non potuit, nec unquam poterit exactius; quare multi contradicunt, docentes nervum musculi carnem ingressum dispergi quidem in minimos ramulos, euntes in flexum quendam membranosum,

nosum, & deinde in nihilum abire seu desinere antequam in tendinem veniat, notante *Bartholino*; attamen utraque adhuc incognita esse, nervorum nempe cum fibris muscularibus communicationem eorumque distributionem genuinam: hinc non adeò male quis musculum divideret in partes constituentes & adjuvantes, ita ut illæ sint fibræ primordiales, ipsum musculum in integrum componentes: hæ autem arteriæ, venæ, nervi, utpote quæ non tam ad esse quam ad actionem musculi inserviant; à Membranis insuper differunt tam structura quam diverso agendi modo: illis enim non assentire possum, qui omnes membranas indiscriminatim tendines dicunt, nec ullam dari in corpore humano, quæ non sit tendo vel quæ non ejus officio fungatur; dubiam autem mihi reddunt illam sententiam sequentia, quæ me ab ejus amplexu adhuc detinent; primò enim aut tendines hi statim in prima generatione fuêre tendines, aut postea ex membranis tendines evasêre. Primum membrum extra omnem dubitationis aleam est positum, quoniam natura semper ordinem respicit & à facilioribus ad difficiliora progressum facit; sic, e.g. videmus, quod ossa ante membranas ligamentaque non generentur; posito hoc, uti etiam verissimũ est, sequitur impossibile esse, ut postea in adultis omnes hæ membranæ in duriores tendines facessant, dum nulla sana ratio vel naturæ ordo hoc comprehendere vel permittere potest, & sectiones anatomicæ singulis diebus contrarium testantur. Nec obstat, quod in plurimis membranis maxima ad tendines dispositio, variis nempe tendinosis fibris ipsis intertextis, reperiatur, cum etiam hoc fiat contrario modo in ligamentis, & tendinibus, cum alii membranosi, alii nervosi dicantur, pro varietate nimirum & dispositione fibrarum: ita pinguedo etiam in sacculis membranaceis continetur, propterea tamen nemo facile membranam illam dicet; & quis est, qui musculum ex diversimodis fibris conflatum, membranas cerebri & fœtum involventes, tendinem insignire vellet. Hinc *du Verney* statuit, quod membrana musculorum, communis vulgò dicta, in nullo animali reperiatur, licet ordinario aponeuroses seu expansiones tendinum musculorum superiorum in

membranas abeuntes, vel membrana propria unius cujusque musculi pro ea demonstrari solet. Et licet quidem aliquo modo concedi posset, membranas suis visceribus, e.g. intestinis, ventriculo, pro tendinibus inservire, modò fere non absimili, quo aliqui musculi in ossa terminantur, non interveniente tendine satis notabili, ut sphincter ani & vesicæ, qui tendinibus per totam ipsorum substantiam sparsis se ipsos movere dicuntur: attamen cum tale quid de ligamento, quo hepar cartilagini ensiformi appendet, & aliis dici queat, usumque partium ipsaque rerum nomina invertat; melius est scapham dicere, & membranam nomine membranæ, tendinem tendinis vocare. Adhæc tendinem non concipere possum absque fibra carnea intermedia, quæ tamen an in omnibus demonstrata sit membranis, valde dubito: & etiamsi ipsemet mihi objiciam, totum corpus fibrosum esse, ideo hæc non statim exinde fluit consequentia, quod omnes membranæ tendines existant: quod si esset, inter numerum eorum etiam reponi deberent ossa, cartilagines, quatenus nempe ex una eademque materia constant, cujus tamen incertam veritatem laniones jam rident. Plura adhuc dubia afferre potuissem, deducenda ex varia harum partium læsione, quæ toto cœlo inter se differunt: sed ulteriori jam examini supersedemus, tanquam merum cerebelli commentum autoribus suis relinquentes; qui gloriolam quandam exinde aucupari, valde persuasi sunt: nos non movemur vanissimo sententiarum strepitu & rerum rumore, imò levibus inanibusque sonis; quibus id tantum efficiunt, ut corpus anatomicum enervetur & cadat.

§. XIII.

Integrum musculum fibræ musculares cum tendinosis & fibrillis membranaceis constituunt, quæ tamen rectâ lineâ ab uno tendine in alterum vergunt, sed prout à diversa origine, ita in oppositos & diversos feruntur fines. Quam seriem fibrarum jam olim *Galenus* subolfecit, dum scribit *lib. 1. anat. administ. cap. 3. in musculo considerandum esse principium extremumque & fibras* (*quas* ἶνας *vocat*) *omnes, ne secundum longitudinem musculi invicem similes existant, ac compositionem variam sortiantur; quosdam enim simplicem fibrarum*

rum

rum naturam habere invenies: nonnullos duplicem, ut pluribus sibi mutuo incumbentibus musculis similes esse videantur: quin etiam fibras longitudine inter se contrarias continere. In harum descriptione satis accuratus est *Steno*, qui *in specim. de musc. & glandul.* statuit, quod quælibet earum in tres minimum lineas, quæ duos angulos alternos comprehendunt, divisa sit, ut jam §. IX. diximus. Musculum quemlibet rectum & simplicem binas juxta fibrarum ductus sectiones admittere, quarum priorem ordines, posteriores versus, appellat. Nunc secundum eundem Autorem ejusdem ordinis fibræ in eodem plano sunt & parallelogrammum obliquangulum, seu rhomboideam exhibent figuram, cujus duo opposita parallela, quo loco cum reliquis parallelis acutos comprehendunt angulos, extra in oppositas partes porriguntur. Et hæc extra figuram pergentia parallela oppositos tendines referunt in diversa abeuntes; reliqua his intercepta, totamque figuræ aream replentia parallela carnium situm repræsentnt. Insuper ibidem notat, in utroque tendine, utut tenui, totidem esse filamenta sibi mutuo incumbentia, quot in ventre numerantur carnes: interiora filamenta tendinum exterioribus semper breviora esse: tandem quemlibet ordinem, si accuratius inspexeris, tres continere figuras, duas sibi inverso modo oppositas syringas & medium parallelogrammum (Syringas vocat tendinosarum utrinque partium certam inæqualitatem, quam cum fibris carneis in eodem ordine inter se æqualibus servant.) porro versus fibrarum utplurimum in tres figuras resolvitur non eidem plano incumbentes, unam carnium, quæ rectangula, tendinum duas, quæ vel rectangulæ vel triangulæ vel trapeziæ, pro varia tendinis integri figura. Ex versibus sibi mutuo ita impositis, ut media illorum plana quoddam quasi parallelolipidum componat, musculus exsurgit, ubi versuum compages ex fibrarum in ordinibus serie innotescit, cum tot sint versus in musculo, quot in quolibet ordine fibræ. Ex varia hac fibrarum positione sine dubio ansam cœpit *Lovverus de cord. cap.* 2. ut diceret, non solummodo duos in collo musculos digastricos esse, uti ab Anatomicis hactenus scriptum est, sed omnes musculos biventres esse, nullumque

reperiri in toto corpore, cujus fibræ ab altero extremo tendine in alium rectà inseruntur; sed omnes fibris in oppositum respicientibus constare: Hasce fibras, quæ rectæ sunt & per tenuissimas solummodò membranarum fibrillas cohærentes, ex parte saltem aliqua ex fibrillarum membranacearum collectione componi, videtur *Majovv. de mot. musc. cap. 2.*

§. XIV.

Motum animalium ope fibrarum musculum constituentium fieri, omnium fere sententia est: quo autē modo id fiat, sub judice lis est & erit: Tot enim opiniones inveniuntur, quot Autores, qui de illo quædam literis mandarunt. Nonnulli conspectiori animæ imperio omnes dirigi motus, contendunt: alii iterum ejus opem excludunt: quidam spirituum animalium per nervos defluentium sanguinisque per arterias ruentis auxilium ad id requirunt: alii è contra hæc omnia negant, statuentes, solam musculi fabricam hisce sufficere functionibus; verùm meo saltem judicio facile crediderim, nec animam, nec spiritus animales excludi posse, cum negato eorum influxu ingentes certe mutationes & eclipses notemus, nec illis nimium attribuendum esse. Quo modo autem anima in corpus agat, nolo in ejus investigatione me frustra torquere, cum forsan nemo mortalium eum assequi potuerit: attamen non ab anima immediate, verùm intercedente aliquo instrumento musculorum operationes peragi vix dubitaverim, id quod etiam ex motibus convulsivis satis patet, quæ absque animæ ope præstari videntur, nisi eam quoque morbis affici credamus. Non minus de modo, quo machina movetur musculosa, controvertitur, cum alii ex inflatione fibrarum id fieri velint, alii autem ex contractione. Primæ sententiæ antesignanus est *Willisius*, qui perhibet, musculorum contractionem à diversi generis particulis, in musculi compage invicem commixtis mutuoque effervescentibus, provenire; inquit enim *in Exercit. de mot musc.* spiritus animales ab ἐγκεφάλῳ nervorum ductu ad musculos advectos fibrillarum membranacearum commeatu in tendines deferri ibidemque recondi; qui spiritus, cum naturæ agillimæ & elasticæ fuerint, quousque valent ac permittuntur, sese expandentes, fibras carneas insiliant,

unt, dein impetu peracto mox subsidentes in tendines relabuntur, ac ita vicissim. Dum vero iidem spiritus animales ad datum motus obeundi instinctum è fibris tendineis in carneas prosiliunt, illic particulis alius indolis activis à sanguine suppeditatis occurrere & statim mutuo effervescere, ita ut ex ambarum lucta & agitatione fibræ carneæ, utpote laxæ & porosæ, infarciantur & in corrugationes agantur, omnibusque utrinque corrugatis totius musculi contractionem procedere: quâ finita spiritus sinceros, qui resident, iterum maxima ex parte in fibras tendinosas recedere, particulis alteris intra carnes relictis; harum impendia sanguinem illarum nervos resarcire. Ut autem spiritus animales è fibris tendinosis effluentes carneas omnes æqualiter subirent, in omni simplici musculo binos haberi tendines, qui juxta oppositos angulos ita constituuntur, ut spiritus à duplici meta accurrentes è vestigio totum musculi ventrem impleant atque motu subinde peracto mox citissime recedât: præsumit, spiritus animales fibris tendineis inhærentes esse indolis spirituoso-salinæ, carneis autem insidentes esse sulphureas ac nitrosas, unde ex hisce particulis diversi generis & inter se dissimilibus eorum rarefactionem & turgescentiam, corporum autem continentium subitam inflationem simul & abbreviationem oriri, per nervos verò tanquam à fomite igniario commoveri & quasi accendi. Sed hæc doctissimi Viri sentētia præter alias difficultates & hâc maxime laborat, qua vult, quod spiritus animales in musculi relaxatione è fibris tendineis in carneas revertantur; non enim conceptu facile est, quid spiritus illos in motum recessus ordinaret, nec non, si materia quædam elastica intra fibras detenta, easdem modo prædicto inflaret, qui fieri queat, ut fibra momento temporis & ictu oculi citius denuò subsideret vel in actione diu perseveraret? *Majovv* hac in parte *Willisio* assentitur, quod motus à diversi generis particulis fiat, ab illo autem recedit, quod statuat, non fibras sed fibrillas transversim iis insertas, (quas in quolibet musculo ut partem essentialem supponit,) præcipuas in contractione musculorum partes obtinere, Fibrillarum autem contractionem à particulis nitro-aëreis in partibus motricibus in motum con-

citatis

citatis & etiam satis intensè incalescentibus perfici supponit, motumque harum particularum fibrillis contorquendis maximè idoneum esse, experimento cum chorda Musica facto probare annititur. Omnium fere assensu ad motum muscularem requiritur variorū fluidorum influxus, quibus tamen *Steno*, diversis demonstrationibus Geometricis contradicit, supponendo etiam sine illo fieri posse, nec sufficere solum tumorem ad novæ materiæ accessionem in contractione musculi asserendam; quare variis hypothesibus demonstrare aggreditur, in omni musculo, dum contrahitur, tumorem contingere, etiamsi contractus æqualis maneret non contracto: dicit enim quamlibet partem carnis in fibra motrice transversim dissecta pari ratione contrahi, ac contrahebatur tota caro, idque resectis etiam venis, arteriis & nervis, hinc fabricam ab illis, quæ influxum novæ materiæ sustinebant, traditam, naturali fabricæ similem non esse, nec ipsā novæ materiæ accessionem vero similem, quam tamē in sequentibus proprio experimento in scenam producit: ligata nempe aorta descendente sine prævia sectione, partium posteriorum omnium motum voluntarium toties cessare, quoties vinculum injectum stringitur, iterumque tot vicibus redire, quot vicibus nodus laxatur. Comprobat hoc observatum *Bartholinus de nervor. usu in mot. musc.* Vasis nempe cruralibus canis vivi vinculum injicit, & illæso nervo sub ligatura utraque vulnerat omnemque sanguinem educit, imò pro reliquiis extergendis per arteriam aquam immittit tepidam, donec omnis tincturæ sanguineæ expers per venas redeat: idem experimentum in nervis locum invenit, qui si ligentur, non minus, si non citius, in partibus inferioribus motum & sensum amittere faciunt, evidenti sanè indicio, per hosce canales aliquid accedere, quod ad motum muscularem requiritur.

§. XV.

Viâ igitur mediâ incedens non omnem vim vasis musculum ingredientibus, nec fibris solummodo attribuendam esse, sed utraque partes suas tenere, haud dubitaverim. Musculus enim est per se machina iners & demortua, nisi adveniat forinsecus facultas motiva, quæ imperium afferat, eumque à sopore & torpore excitet: attamen si

impe-

bræ, dum adhuc quiescunt, ope spiritus insiti & ipsius structuræ vim aliquam contractivam habent & in continua sunt tensione, quod ex eorum dissectione apparet, cui si influxus spirituum animalium & sanguinis superaddatur, non fieri potest, quin major fiat & partes illis appensæ ad se invicem attrahantur. Hæc fibrarum contractio, meo saltem judicio, non bene fieri potest inflatione: eadem enim magis extenduntur, modo contractioni plane contrario, ut voluerunt *Willisius*, *Borellus*, *Bellinus*, *Cartesius*. Si enim musculus per illam contraheretur, necessario sequeretur, eundem in contractione sua extrorsum distensum in molem multo majorem assurgere, quam quidem contingit: quare non vereor asserere, quod etiam observatione compertum est, musculum potius arctius & in sese introrsum constringi, durescere, &, si non minorari, certe tamen in tantum non intumescere, quantum ad illius contractionem requiritur, si ea per fibrarum inflationem fieret, ut *Lovverus* jam animadvertit: & cum ex superioribus constet, musculum ex fibris in oppositum respicientibus constare, crediderim, quod meliori jure adversæ harum contractioni musculi motus debeatur, quam simplici inflationi; desunt enim in illis proprietates speciales, quæ ad eam requiruntur, cavitas nempe partis, quæ inflari debet, & receptaculum illius materiæ, quæ fibram inflat: præterea nullam concipere possum remoram seu obstaculum, quod impediat, ne materiæ affluentis exitus citius quam par est, è fibris pateret: negato enim illo, easdem potius pertransiret, non verò easdem debitè inflaret: magis magisque ideo in mea opinione confirmor, ut credam, solummodo particularum, quibus fibra constat, mutua approximatione motum musculorum fieri; etiam illa duritiem & modicum tumorem haud difficulter explicari posse, ut mihi non opus sit, ad explosionem diversæ indolis spirituum sibi mutuo in musculo occurrentium confugere; concesso enim interrupto horum influxu & effervescentia, necessario sequeretur, omnes partes motu exerceri continuo, quod tamen œconomiæ animali maxime molestum esset, nisi illum influxum ab animæ imperio moderari statuant. *Cartesius* plura adhuc assumit, quæ ipsa rerum fide minus constare

arbitror,

arbitror, uti illud, quod nervis valvulæ quædam insint, quas tamen nullius diligentia hactenus assequi potuit, cum nervi, experientia & ipso *Cartesio* teste, ex infinitis quasi funiculis filamentisque communi membrana inclusis constent. Præterea, quod spiritus animales venti instar sese habeant ac ab ipsis violenter irruentibus musculos veli ad modum inflari ac distendi. Credidit explicari posse valvulis, ad voluntatem nostram claudi & aperiri aptis, cur spiritus animales solum unum musculum inflent, altero autem intacto, etiamsi in utrosque unus insereretur nervus. Notandum adhuc est quod hyeme frigidaque tempestate musculorum vis augeatur, quia tunc temporis breviores fiunt fibræ contractiles, ob majorem liquidorum molem in musculos influentium, quæ in æstate calore ambiente porisque magis apertis difflatur. Docuit enim nos *Sanctorius in statica sua. Sect. I.* §. 29. *&* 41. animalia circiter libram perspirationis hyeme retinere, quam æstate emittunt idque quotidie. Sed quicquid hac in re, ab aliis & nobis dictum est, probabiles saltem hypotheses sunt, secundum quarum regulas motus muscularis fieri potest: quod autem ita fiat, non determinaverim; maximi equidem œconomiæ animalis lustratores ingenue confitentur, verum motus modum ipsis incognitum esse. Fibras, de quibus hoc in §. mentio facta est, intelligimus carneas; tendines enim non contrahuntur, sed retinent eandem longitudinem, quam prius habebant, ut sensu patet ex anatome vivorum, *vid. ea de re.* §. *XII.* Vim patiuntur, quatenus simplici motu locali trahuntur à fibris carneis contractis & illis loco manubrii, *sec. Borellum*, inserviunt.

§. XVI.

Ut antecedentibus majorem fœneremur lucem, paucis naturam spirituum animalium explicare conabimur. Notum igitur est, succum corporis alimentarem ut aliis, sic & quibusdam volatilioribus & subtilioribus refertum esse particulis, quæ per frequentem sanguinis circuitum paulatim ex crassis ac magis terrestribus, quibus implicatæ sunt, evolvuntur, volatilisantur. Hæ particulæ, dum adhuc sanguini arterioso permistæ sunt & cum maxima aliarum copia conjunctæ, ejus ductu per arterias ad cerebrum feruntur, &

lenta

lenta quadam destillatione in ejus medullam deponuntur, quæ exinde in omnes à cerebro exeuntes canales seu nervos depluunt, per hos autem continuo incedentes quaqua versum dispensantur, irrigatis & quasi vivificatis corporis partibus, in venas illabuntur, denuoque ad cor redeunt, priorem cursum & circulationem ut aggrediantur. Spirituum horum secretionem fieri per corticales cerebri glandulas, communis omnium recepta est opinio, cum tamen glandulas hasce reperiri nondum certo constet, easque rem creditu difficilem esse, ipse *Bartholinus* confiteatur: licebit igitur pace tantorum virorum, quos in sui patrocinium vocarunt, aliquantulum recedere, sustinendo, structuram ipsorum vasorum & pororum quibus affiguntur, satis superque ad hanc operationem sufficere, nec esse de necessario, ut cribra hæc glandulosa in arbitrium vocentur: accedat autem necesse est impetus sanguini impressus à corde, cogente fluida exitum moliri per ea loca, in quibus est minor resistendi facultas. *vid. Pitcairne.* Persuasus fere sum, nonnullis id absurdum videri, qui credunt omnes secretiones humorum in glandulosis partibus celebrari, nec tunicas vasorum eorumque texturam moliri aliquam. Quid autem ad hanc sententiam amplectendam me induxerit, non est vanum contradicendi desiderium, non molestus ambitionis pruritus, sed partim Autor quidam Anglus, *Ridley* dictus, qui substantiam examinans cerebri corticalem, non glandulosam sed vasculosam esse pronunciat. Ipsa ejus verba apponere lubet: *I am inducet to believe this cortical part to be only an aggregate of different vessels, containing different sorts of fluids.* i. e. *inducor ut credam, hanc partem corticalem esse solummodo aggregationem vasorum diversorum, varias fluidorum species continentium, vid. the Anatomy of the Brain chap. xi. pag. 91.* ipsa partim autopsia, qua videre licuit, apud. *Exc. D. Ruyschium*, Anatomicum Amstelodamensem felicissimum, cerebri substantiam corticalem vulgo dictam nihil aliud esse, nisi congeriem & continuationem vasorum sanguiferorum, tum & in vasis quibusdam materia ceracea impletis, quæ ita tenuia sunt, ut per

rum extremitates capillares materia transeat albissima, relicto colore rubro, quo antea tincta fuit, evidenti satis argumento, illam secretionem non per glandulas fieri, sed sanguinem tincturam suam relinquendo, subtilissimum saltem seri florem nervosis fibris tradere: tum & verisimilis *Bellini* sententia, qua proponit, contractionem & distractionem arteriarum præcipue facere ad separationem & derivationem liquidi per nervos in cerebro, quæ latius explicata videri possunt *lib. de Miss, sang. Propos. 47*. Quod si enim per glandulas solum fieret secretio, omnino excludenda esset Cerebri medullosa substantia, quæ tamen easdem cum corticali partes tenet, nisi cum *Whartono* totum cerebrum glandulam dixeris, vel medullosam substantiam, motam ex arteriis percurrentibus, diastole & systole sua spiritus in corticali elaboratos ulterius propellere. Quænam autem horum Spirituum natura sit, non definio: sufficit mihi dixisse, quod sint particulæ mobilissimæ & subtilissimæ, mediatum omnis motus instrumentum. Non enim assentior *Willisio*, qui contendit, illos se habere instar radiorum lucis è sanguinis vitalis flamma emissorum, & perinde ac radios solares aut lucidi cujusvis corporis diversimode configurari, ac radii à vitris dioptricis multifariam refringantur: videtur ex collatione diversorum locorum sibi ipsi non constare, dum docet, modo eos esse instar cujusdam liquoris spirituosi sale volatili referti (cum diathesi sana & legitima potiuntur) modo corrosivos & stygios evadere, particulis nempe salinis in fluorem actis & sulphureis commixtis, modo, ut in Apoplexia, vitriolicæ esse naturæ, quæ tamen lucis radiis non congruunt: Nec *Mayovv*, qui credit, particulas nitro-aëreas respirationis ope in M. S. indeque in cerebrum transmissas, ipsos spiritus animales esse. Nec illis assentio, qui diversos admittunt spiritus, alios nempe esse in tendine ejusque fibris, alios nempe esse in tendine ejusque fibris, alios in carne musculosa, alios demum, qui per nervos influunt, vid. *Croone*. Nec *Borello*, qui spiritus sulphureos v. g. Vini, spirituum animalium naturam exhaurire dicit: quæ autem

tem difficultas ſententias haſce premat, latius videri poteſt apud *Bohnium in Circ. Anat. Phyſiol. Progymn. XIX. p. m. 200.*

§. XVII.

Non incongrua eſt illorum ſententia, qui volunt, ſpiritus animales alio ſucco magis corporeo & lymphatico involvi, quem vulgo liquorem nervoſum dicunt, diſtinctum ab illis non materia, ſed gradu ſaltem ſubtilitatis & puritatis; neceſſarius enim videtur, cumprimis ut pro vehiculo & retinaculo inſerviat, ne ſpiritus animales in continuo & citato motu exiſtentes ſecundum eorum ſubſtantiam admodum penetrativam citius quam par erat partes tranſeant continentes, undique tranſpirabiles. Niſi enim jugiter emanantes in tali continerentur fluido, ob eorum ſubſtantiam, aëreæ aliquomodo accedentem, facile fieri poſſet, ut intercedentibus aëris bullulis non eſſent contigui ſicque eorum communicatio intercluderetur, quod tamen motui animalium haud convenit. Tale liquidum in M. S. contineri ſpontanea ejus analyſis demonſtrat: emiſſo enim per V. S. ſanguini innatat liquor limpidus, à craſſamento purpureo ſeparatus, qui à leni calore facile inſpiſſatur & conceſcit, ob particulas nutritias inibi contentas; pars autem ejus tenuior per arterias cerebro delata, dum ulterius per anfractuoſos earum reptatus impellitur, perfectior & purior redditur, ut nervos ingrediendo ſpiritibus animalibus eos inviſibiliter trajicientibus pro vehiculo eſſe poſſit. Limpidi hujus liquoris tres recenſet ſpecies *Bellinus* ex *Zambecchario*; prima jam memorata eſt; ſecunda eſt, quæ educitur è vaſis lymphaticis & ductu thoracico; tertia, quæ continetur in cerebro. Duæ priores ſpecies ſi igne tentantur ſemper relinquunt corpus quoddam tubuloſum ex bullulis erumpentibus productum: ultima vero neque bullas concipit, neque ullam ſui partem coagulatam relinquit, ſed tota evaneſcit & evaporat: patet tamen, dari in tribus hiſce liquidis communionis & ſimilitudinis aliquid, in omnibus partem evaporantem, in lympha autem cerebri non partem igne concreſcentem, ut in reliquis, ſed ſolum,

quasi dixeris, lymphæ spiritum. *Vieussenius in Nevrolog. lib. I. c. 18.* lympham *crassiorem & humidiorem, succum cerebri nutritium & succum nervosum cum Willisio appellat, Sicciorem vero & tenuiorem lymphatici ejusdem succi partem, spiritum animalem. lib. III. c. 8.* circularem motum Spirituum animalium cum succo nervoso tradit. Hancce lympham per nervos dispensatam aliquatenus nutritioni conferre arbitror: attamen summè improbabile est, quod (nonnullis id volentibus) saltem ab ejus affluxu omnes totius corporis partes nutriantur: præterquam enim, quod nimis spirituosa sit, huic provinciæ administrandæ omnino impar videtur, etiam impossibile est, ut maxima dispendia alimenti in substantiam solidarum partium assimilandi resarcire possint; tales enim jacturæ nutricatu solum, per tenuissimos nervorum ductus suppeditato, vix imo non restituuntur: materiam igitur aut influentiam saltem quandam *sec. Willisium* nutritionis operi contribuit, quod ejus defectu vel negato influxu statim inhibetur & pervertitur. Hoc in membris paralysi resolutis cernere licet, ubi sine crasi sanguinis notabiliter vitiata, motus & sensus privationi atrophia brevi succedit, in opposito latere optime sæpius procedente nutricatu, manifesto sane indicio, ex præpedita lymphæ hujus spirituosæ cum sanguine miscela illas oriri lacrymas: Existentiam quoque ejus arguunt ipsa partium nervosarum vulnera, quæ illam effundunt, equidem haud diffitendum, non omnem, quæ in hisce affectibus profuit, humorem gelatinosum, nervorum nutritium esse, sed ab arteriis pro alimento partium suffusum, in quantum à parte læsa non excipi potest, ibidem colligi. Multa quidem argumenta huic opinioni contraria proferuntur, eorum autem examini supersedemus. Difficile est, si non impossibile, hisce in rebus abstrusis certi aliquid proferre. Nam secundum Poëtam

Est hominis causas cognoscere velle, sed omnes
Nosse Deum solum laus ea sola manet
Ergo erit & quadam nescire scientia, nemo
Quum bene perscrutans omnia nosse queat.

Certò

Certò tamen constat, *Stenone* monente, esse fluidum in fibris tam nervosis quam membranosis carneisque; at vero uniusne generis sint hæc fluida, an, ut locorum intervallis distincta, sic & materiæ proprietatibus diversa, non æque certum. Ut substantia hujus fluidi nobis ignota est, sic incertus ejusdem motus, in quo nempe differat in musculo dum contrahitur, à motu in eodem musculo, dum quiescit non contractus. Qui plura de hisce desiderat, adeat *Glissonium*, *Charleton*, *Entium*, *Malpighium*, *Vieussenium* aliosque.

§. XVIII.

Præmissis & finitis, quæ de tendinum statu naturali dicenda erant, ordinis filo jam ducimur ad recensionem causarum læsionis tendinum, quarum aliæ *immediata*, quæ est ipsa solutio continui tendinosi, aut punctura, aut sectione in transversum & in longitudinem facta. Aliæ *mediata*, quæ in tantum hic considerandæ veniunt, quantum conditionem læsionis seu vulneris pejorem vel meliorem, itemque curationem difficiliorem vel faciliorem reddere possunt. Hæ rursus subdividuntur in *proximiores* & *remotiores*; ad illas referri possunt humores corporis humani, qui pro varia eorum constitutione & textura vulneris conditionem quoque variant; sic ex sanguine cacochymico, particulis salinis, biliosis aliisque referto vel alia labe infecto, partes tendinosæ vulneratæ haud parum patiuntur, quatenus nimirum vappida sua consistentia vel particulis hisce nimium exaltatis & exagitatis easdem diversimode afficit. Non minus liquores ex M. S. secreti varias sistunt mutationes; spiritus equidem animales non aliter peccare possunt, nisi motu depravato; hic autem si vel debito fortior sit, deliria & convulsiones producendo periculosam relinquit prognosin, vel si minor sit, partes vulneratæ magis ad gangrænam inclinant & curationem respuunt citiorem, ob tonum fibrarum magis debilitatum caloremque minorem, fluidum autem nervorum, cui spiritus animales involvuntur, quodque à jam recensitis causis plurimum vigoris sui naturalis amisit, manes suos pati, nullas eo inficias, cum ob aliqualem

ejus humiditatem particulæ ſanguinis heterogeneæ & peregrinæ ipſi facilius affricentur & contagione quaſi afflent; ſiſtit ſeſe in vulneratis nervis & tendinibus ſub facie Synoviæ *Paracelſo* dictæ, quæ quidem lympha extravaſata ſecundum §. præcedentem non omnis ex nervis extillat, ſed plurima pars ex lympha muſculis impacta continuo affluit. Data autem hac occaſione ſicco pede illam transire non poſſumus, quoniam curationem quam maxime impedit & ſymptomata periculoſa, ſi non ſucceſſu temporis lethalia, hujus liquoris profuſionem comitantur. Varia ſortitur nomina ab Autoribus, aliis enim audit Meliceria, nonnullis Ichor, quibusdam Hydarthros ſeu Hydrops articulorum, ut *Hildano*, qui liquorem hunc pro materia vitioſa & morboſa habuit. *Paracelſus* eum ſumit phyſiologice & pathologice. De ortu non minores reperiuntur lites; ſunt enim, qui pro partium humore alimentario declamant & ſemper tantam quantitatem articulis naturaliter adeſſe, volunt: alii autem ex vulneris lymphaticis meliori juri deducunt. Nihil aliud eſſe, quam ipſam lympham, docet tum color, tum conſiſtentia; limpidiſſimæ enim aquæ ſpecie plerumque effundi incipit: tum & illud potiſſimum, quod tandem craſſior facta ad ovi albumen quam proxime accedat. Senſim circa vulnus colligitur, quia diſſectis muſculis & tendinibus à vaſis ſuis recipi non poteſt, à ſanguine vero interim jugiter ſeparatur: lymphatica vaſa fibrarum interſtitia penetrare exinde concludo, quia in ſectione cadaverum plerumque glutinoſa quædam ſubſtantia circa fibras obſervatur, dum muſculi ipſi ſecundum fibrarum ductum diſcerpuntur, fibram à fibra ſeparando, quæ nihil aliud eſt, quam ipſa lympha, ſpiritu ſuo orba & à frigore externo in gelatinam concreto, quamvis nondum liquido pateat, an recte omnibus habentibus & naturaliter ea continuo huc influat. Sed utcunque ſe res habet, ad minimum id certum eſt, illata quacunque vi aut præpedita vel leviter etiam ſanguinis circulatione ſtatim prodire extra limites vaſorum & in ſpatia hæc ſemper erumpere, quod ſequens *Lovveri* experimentum confirmat *lib. de cord. cap. 2.: Haud pridem venas jugulares, ſubducto*

iis

iis filo, in cane arcte ligaveram & post aliquot horas partes omnes supra ligaturam intumesciebant, & intra duos dies canis quasi angina suffocatus interiit. Toto hoc tempore non solum lacrymæ copiosius fluebant, sed & plurima saliva ex ore fluxit, non aliter quam si Mercurio assumto fluxus ille concitaretur. Post obitum cutem ejus à partibus tumefactis separavi atque expectavi, ut partes tumefactæ sanguine extravasato turgerent, sed aliter ommino evenit, siquidem nullum vestigium aut colorem ferè sanguinis observare potui, sed musculi omnes & glandulæ sero limpido maxime distentæ & admodum pellucidæ apparebant: ligata quoque cava in cane maximam seri quantitatem in ejus abdomine fluctuare observavit & si *Schelhammeri de lymphæ ortu. Bibl. Anat. Tom. II. insert.* conjectura vera sit, quod vasa lymphatica ex musculis prodeuntia non in medio seu ventre illorum, sed in fine circa tendinem exoriantur, quia hic locus & ratione collectionis lymphæ & insertionis vasorum commodior videtur, oculis quasi pateret, quare vulnerato tendine majus hujus lymphæ profluvium sit quam læso musculi ventre: superveniente iuflammatione major ejusdem colligitur copia, quod fit, quia à calore p. n. in motum majorem acta, vasculis suis tenuissimis amplius contineri non potest, sicque exitum necessario molitur. Plures autem cum *Hildano* dolorem maximum fluxionis hujus causam esse volunt, cum existimem effectum potius esse, quando nempe lympha extravasata acrior reddita partes vellicat nerveas: Dolor quoque semper fluxum hujus seri sequitur, non autem præcedit: plura phænomena §. XXV. continebit.

§. XIX.

Ex naturaliter occurrit. 1. *Ætas*, cujus ratione in infantia annisque juvenilibus humores sunt adhuc puriores, dulciores & magis gelatinosi, partes item succulentiores, adeoque ob utramque causam ad consolidationem magis proclives: humorum motus intestinus & localis in tenello corpore tam rapidus tamque citatus non est ac in homine provectioris ætatis; partes quoque solidæ mol-

molliores adhuc & magis dilatabiles, quæ etiam plus alimoniæ accipiunt, antequam molem & robur acquirant & ad terminum actionibus edendis proportionatum augeantur: hinc partes eorum vulneratæ feliciorem spondent curationem, quia insuper & ipsa dispositio intrinseca injusta & legitima earum extensione quotidie adhuc occupatur: è contra major ætas plurimum annorum decursu extensionem atque fibrarum robur illud acquisivit, quod actionibus organicis obeundis adæquatum, quare talis ac in tenellulis augmentatio non amplius procedit; fibrarum enim jam ad destinatam longitudinem perventarum pori magis rigidi fiunt, ac de die in diem magis constipantur atque corrugantur, imo in osseam plane substantiam degenerant, ob majora humorum dispendia laboresque magis insolitos, tam mente quam corpore peragendos, qui humorem nutritium partibus apponendum citius dispellunt: quæ omnia vulnerum, si quæ accidunt, consolidationem non solum graviorem & difficiliorem, sed & quandoque omnino impossibilem faciunt. II. *Sexus Distinctio*, quæ notatu digna sane comprehendit phænomena, quam maxime enim inter se differunt hæc vulnera in maribus vel fœminis; hæ enim, cum menstrua jam pati inceperunt, pro eorum vario statu semper graviores luunt pœnas, vulnera & omnes læsiones inflictæ plerumque deteriorantur & pejoris notæ fiunt ac in illis, præsertim, ubi menstrua copiosius fluunt, vel deficiunt, vel alia quadam labe infecta apparent, sæpius quippe contingit, ut ex eorum suppressione diuturniori variæ oriantur exulcerationes & quidem sine prævia externa vulneratione; quæ si adhuc accedit, statim de qualitate ejus judicare licebit; nam. M. S. contagio seminali gravida consolidationem non parum retardat vulnerum, quæ non raro in ulcera maligna & depascentia degenerant, indicio, omnes humores maxime acres imo corrosivos esse. Hinc fit, ut Chirurgi prudentes à vulnerum deligatione fœminas arceant, & hortulani ab omni florum elegantiorum cultura illas excludant. III. *Temperamentum*, quod non parum hic contribuit: prout enim à sanguinis constitutione seminali seu primordiali

diali dependet, ita pro multiplici ejus temperie vulneratorum tendinum curatio mitior vel gravior erit: etenim non negandum est, in quodam particulas salsas, acidas, biliosas præpollere, in alio iterum alias, pro quarum prædominio partes solidæ etiam participant, quatenus humores corporis nostri ejusmodi moleculis inquinati illas continuo intrant, malumque intrinsecè jam communicant. Sic e. g. temperamentum phlegmaticum (ut loqui amant) i.e. ubi M. S. magis cruda, aquosa & viscida est, difficiliorem præbet curam, quia pauciores separantur spiritus & membra tenore suo privata quasi collabascunt, flaccida fiunt, frigido & tenaci perfunduntur madore, ut postmodum iisdem vulneratis medicamenta in actum deduci non possint, quia talis sanguis eorum vires obtundit & inviscat; è contra sanguis laudabilis, calore suo constans, rarius spem fallit; & sic in aliis: ex hoc fonte etiam explicari potest, quare unum idemque vulnus in alio magis, in alio minus curabile sit, prout nempe partes & humores imprimis differunt: hinc Germanorum proverbium: er hat eine heilsame haut, er hat eine unheilsame haut: IV. *Hæreditaria dispositio*, quæ an aliquid ad hoc symbolum conferat, à priori vix dignoscrre licet, à posteriori autem per se patet: videmus enim, affectus Parentum sæpe in liberos transferri, & arthriticum progignere arthriticum, phthisicum procreare phthisicum, ex Lue Venerea laborante generari etiam filium fœtida hac labe conspurcatum; quibus si vulnera tendinum infliguntur, semper gravius decumbent & symptomata tam concomitantia quam supervenientia magis periculosa quoque erunt.

§. XX.

Ad causas mediatas sed remotiores spectant res nonnaturales vulgo dictæ, inter quas occurrit I. *Aër*, qui non solum si diversis particulis noxiis refertus, nebulosus, nimis calidus aut abdita ratione loci epidemica inquinatus est, sed & virtute sua elastica vulnera multum mutare potest, cumprimis in genere nervoso; acces-

ſione enim ſua humores in fermentationem agit continuam, quam ſemper ſequitur acor vitioſus, omnibus vulneribus communis. Pariter prout climatum ratione variat, etiam in uno loco facilius quam in altero curari ſolent; notarunt enim jamdiu Autores, quod e. g. vulnera capitis Florentiæ plerisque ſint lethalia, ut *Vidus Vidius lib. 6. de curat. morbor. cap. 90.* teſtatur, qui cauſam dicit aërem frigidum, & tenuem: Piſis vero & Lugduni paucos ex iis interire, cum cœlum ibi ſit craſſius. & *Amat. Luſit. Cent. 5. Curat. 100.* dicit, Florentiæ & Bononiæ capitis vulnera eſſe periculoſa, non ita Raguſæ, & *Ambroſ. Paræus* ait, Lutetiæ quam Avenioni eadem eſſe difficiliora, quæ meo quidem judicio varietatem aëris arguunt: ſine dubio etiam hæ mutationes circa læſiones tendinum acciderent, ſi modo accuratius obſervaretur. Sic & aër ſeu adſtantium halitus emiſſus nonnunquam eſt nocivus, ſi labia vulneris attingit; hinc accuratiores Chirurgi in deligatione halitum ſemper alioſum efflant & à vulneribus vitandum ſuadent, nec potui deditos & inebriatos admittunt, propter acorem quem plerumque ſpirant. Non parum alteratur ex ſiderum imprimis Lunæ motu: conſtat enim obſervationibus, ſecundum phaſes lunæ, affectus cerebri, nervorum & partium nervoſarum in ſenſu ac motu conſiſtentes, plus minus remitti, & ex læſione partium fibroſarum talem peculiarem in iisdem remanere ſenſum, ut ægri percipiant mutationes temporum, ſanis non perceptibiles. Certum quoque eſt, ſub Lunæ incremento expandi quaſi & turgere magis M. S. indeque reliquos ejus ſuccos: hinc forſan fit, quod illi, quibus ſutura tendinum facta eſt, toties, quoties tempeſtatum mutationes ingruunt, in antiquo vulneris loco dolorem percipiant quodammodo podagræ ſimilem; huc referri poſſunt regiones ſub climatibus calidioribus, ſub Zona torrida, ubi aër ſubtilior & magis elaſticus humoribus corporis noſtri majorem inducit turgeſcentiam, conſolidationi vulnerum plane contrariam: nec non loca maritima & metallifodinæ, quæ peregrinis & corroſivis eorum effluviis varias humoribus labes inurunt, cumprimis ultimæ, quæ ſæpiſſime paralyſin, arthritidem

&

& plura morborum inducunt genera. II. *Cibus* & *Potus*, quatenus nempe legitima quantitate justoque tempore non assumuntur; vitiantur enim quam maxime ex illis corporis digestiones, indeque plus minus alteratur M. S., eo vitiosior & magis degener redditur humor nutritius, ut ea de causa nunc facilius nunc difficilius partes læsæ consolidentur. Majores autem causat lacrymas potus, præsertim vinum & plura potulenta generosiora, non quod nimium calefaciant, sed quod eorum acore intrinseco toti nervoso generi inimica sint, ut in ebriis quotidie videre est: quare non male eorum usus interdicitur, quia acidum vulnerum magis exinde augetur. III. *Somnus* & *Vigiliæ*: de excessu prioris rari questus, nisi à causa externa excitetur; sed potius de vigiliis continuis, quas insignis partium læsarum dolor inducit; magno impedimento sunt curationi, quia exinde sanguinis intestinus & progressivus motus citatiores fiunt, per consequens spiritus animales inordinatim nervos influentes deliria motusque convulsivos producunt, quibus non raro Epilepsia succedit. IV. *Motus* & *Quies*, quorum defectus & excessus hic locorum solummodo accusantur: quies equidem major concedi potest in hisce vulneribus, præsertim ubi tendines in totum dissecti sutura conjuncti iterum sunt, attamen motus requiritur conveniens, moderatus & nonnunquam repetitus, cumprimis circa finem curationis, ne membrum, quod incurvatum esse debet, incurvatum maneat, ut sæpius contingere solet. V. *Retenta* & *Excreta*, quæ circa hæc vulnera mira exhibent schemata; sic videmus quotidie, ex suppressione menstruorum & hæmorrhoidum non minus ac omnia naturalia à statu debito declinare; illa enim difficillime sanantur & sæpius in ulcera cacoëthica degenerant, quia impedito eorum fluxu ordinario M.S. variis particulis heterogeneis aggravatur, quæ acorem vulneris pejorem indies reddendo multorum symptomatum supervenientium causæ existunt Alvus adstricta & insensibilis transpiratio haud bene procedens plerumque non attenduntur, cum tamen plurium malorum autores sint, cumprimis cir-

ca genus nervosum, quod facilius aliis mala ex iis provenientia suscipit; sufficit enim in hocce vis minima damni, secus ac in cæteris corporis partibus, ut ingentia & horrenda phænomena exinde oriantur. Nunc incertus hæreo, utrum retenta an vero excreta principem locum obtineant? si enim non majorem, eandem tamen tragœdiam ludunt: largiori quippe sanguinis profusione omne partis vulneratæ nutrimentum absumitur, calor innatus maxime debilitatur, viresque tam necessariæ omnino tolluntur; nam impossibile est, ut accedente dysenteria, diarrhœa, sudoribus immodicis, nimio menstruorum & hæmorrhoidum fluxu, gonorrhœa diuturniori homo superstes diutius maneat. Ut unum exemplum adducamus, observationes nobis reliquit duas *Hildanus* de juvene quodam, nervi vulnere afflicto, qui, cum nimis cito congressum matrimonialem celebrare voluerit, renuente uxore citra coitum semen emisit, sed quarto post die obiit, *vid. Cent. 1. obs. 22.* De alio, qui, vulnere capitis cicatrice penè obducto, rem cum scorto habuit, symptomata priora singulis momentis ingravescentia & nullis cedentia remediis quarto die libidinosum hunc extinxerunt. *vid. l. c. obs. 19.* VI. *Animi affectus*, quorum magna vis est in alterando universo corpore; docet enim experientia, morbos fuisse inductos & curatos mediantibus hisce, imo repentinam mortem insecutam: quare etiam inter alia in curatione horum vulnerum omnes facetiæ prohibentur, ne ægrotus in nimium risum exsolutus consolidationem vulneris impediat, cum illo major humorum affluxus sæpius excitetur eoque vulnerum coitio prohibeatur vid. *Hildan. l. c. obs. 23.* Pueris, qui nonnunquam appetitu inordinato gaudent, noxia etiam aliquoties concedenda sunt, ne ex eorum recusatione fletus fiat, qui maxime illis nocet, & ne pejora succedant incommoda, ut benè monuit *Fallopius tract. de Vulner. in genere cap. 16.* Ira autem omnium passionum ferocissima est, & fœcundissima infinitorum malorum mater: ex ea quendam in capite vulneratum è vita decessisse, & arteriam vulneratam & jam penè sanatam, denuo magno

gno cum periculo ruptam esse, vid. *Hildan. l. c.* Qui plura de his desiderat, consulat *Cartesium.*

§. XXI.

Superioribus annecti queunt Causæ p. n. e. g. Vitium corporis cachecticum, Venereum, scorbuticum, quod pro vario salium eminentium statu conditionem horum vulnerum varie pervertit; eorum enim culpa acrimonia, quæ jam in vulneribus est, major fit, humores, etiamsi sint melioris notæ, ab eadem pedetentim inficiuntur; nec laudabilis sanguis, sed lympha quædam corrupta, acerrima, vasa sua trajicit; hinc vulnera minima, quæ in corporibus bene constitutis proprio nisu consolidantur, in cachecticis cæterisque difficillime sanantur, quanquam partibus carneis solummodo sint inflicta. Taceo tendinosas, quarum læsiones in hisce subjectis mortem sæpe afferunt. Huc referri possunt arma veneno infecta, morsus animalium ira concitatorum: nam omnis feræ morsus sec: *Celsum* habet quoddam virus, adeo ut etiam hominis morsus sub iræ fervore impressus non excipi debeat. Semper ex his armis cum virulento seu caustico quodam succo imbutis maligna indoles, & acres fermentescibiles particulæ & effluvia labiis vulnerum affricantur, fermentescendo omnem lympham omnesque humores partem illam alluentes, quam brevissime corrumpunt in saniem ejusmodi virulentam, quæ reliquæ Mæ Sæ idem contagium, nisi citius occurratur, communicat & affligit, quod haud difficulter accidit, cum plerumque hisce venenis adsit præternaturalis quædam expansio & viscidit as, quæ simul juncta sanguinem quam maxime inficiunt, ipsa vero illa venena lento gradu, etiamsi optima antidota nonnunquam propinentur, è corpore ejiciuntur: plerumque tamen ideam quandam venenosam sanguini cæterisque humoribus adhuc infixam relinquunt, cumprimis in hominibus rarioris texturæ.

§. XXII.

Differentiæ horum vulnerum desumuntur ab ipso vulnerationis modo, à vulneris situ, figura, existentia, ab adjunctis & supervenientibus symptomatibus, qualitate, eventu &c. sic inter læsiones tendinum sine dubio primum obtinet locum Punctura, quæ est continui solutio facta à re tenui & acuta, v. g. acu, pugione, stylo, scalpello, spina, festuca, ab ictu animalis; vocatur & perforatio, quæ iterum distinguitur in cœcam & apertam: sub priori intelligendo, quæ fit instrumento valde tenui, quod, cum vulnus minimum & vix aut non conspicuum infligat, exitum saniei subtus conclusæ non permittit, aut è qua nihil expirat aut sensibiliter evacuatur. Secunda autem prima amplior est & prioribus caret impedimentis, quæ duæ puncturæ rursus aut venenatæ, aut veneni expertes sunt. Illam sequitur non minus formidabilis incisio transversalis, non illa totalis, qua totum tendinis corpus plane abscinditur: sub eodem sed paululum diverso vexillo militat Incisio per directum s. secundum longitudinem. De Ruptione & Contusione nulla jam verba facturi sumus. Differentia ratione situs depromta cumprimis in vulneribus musculorum observari potest, ut sciamus, an scilicet vulnus inflictum sit ejus capiti, an ventri, an fini? aliud est internum, quod videri non potest, aliud externum, quod sensibus patet, ut in punctura cœca; si enim externam spectes faciem, dixeris sæpius, nullam factam esse læsionem, cum interim maximum periculum subsit & anguis lateat in herba: aliud vulnus in sinistra, aliud in antica, aliud in postica parte & sic porro. Quæ à vulneris figura hauritur differentia, nec illa emolumento caret: curationem enim non leviter variant vulnera transversa & quæ secundum longitudinem facta sunt; nec minus orbicularia & rotunda, quæ tardius sanantur, quia partes ejus à se invicem longius absunt ideoque difficilius coëunt, nam plerumque ex ejusmodi vulneribus inscitia & sordities Chirurgi fistulas producit sæpe insanabiles. Ratione existentiæ vel simplex est, quod solitarium & cum alio affectu minime sociatum: vel compositum, quod cum alio eoque uno

aut

aut pluribus conjunctum est. Coincidit cum hac differentia, quæ fluit ab adjunctis & supervenientibus symptomatibus, eo nomine in considerationem veniens, quoniam varii affectus illis associati breviorem vel diuturniorem promittunt curationem, aut, quod haud raro accidit, brevi temporis spatio vel uno ictu spem illius abrumpunt, superveniente nimirum morte. Quæ à qualitate depromitur differentia, posset cum illa, quæ de figura agit, commode conjungi, addendo solum, quod hæc nobis monstret, an vulnus venenato instrumento factum fuerit, nec ne? quod curam mirum in modum variat. Differentia ab eventu nobis indicat, num vulnus lethale sit aut salutare: si sanabile, an citò & facile possit curari, vel curatio diutius protrahatur? de quibus in prognosticis plura.

§. XXIII.

Ut in omnibus affectibus signa diagnostica nobis aperiunt, quinam morbus iis associetur, sic & idem hic locum invenit. Signis equidem vulnus per se non opus habet, quia sensibus manifestum est; attamen etsi sensui patet, quis in curâ locus sit vulneratus, si equidem vulnus ad interiora penetret, haud ita obvium est, quænam partes intus vulneratæ sunt. Quare consultum duximus, in hoc §. illa tradere, quæ certo possunt evincere, læsionem tendinum aut nervorum factam esse. Sic fieri non potest, ut statim post V. S. probe administratam varia & quidem horrenda symptomata ictu oculi citius oriantur, è contra ex V. S. tremula manu, imprudenter & negligenter instituta varia & atrocia irruere, singulis diebus observatur, quæ rei & perito & imperito maximum incutiunt terrorem. Cognoscuntur ex loci vulnerati consideratione & ex anatome, quæ docet, ubi tendines membris inserantur: præterea ex ratione doloris & partis actione læsa. Statim post inflictum vulnus dolor adest acerbissimus, qui paulo post comites habet affluxum humorum, qui totum membrum in tumorem extollunt, & inflam-

matio-

mationem, quæ ex humoribus extravasatis jam acrioribus redditis & majori eorum motu producuntur: inflammatio si major fiat, exoriuntur varii motus convulsivi, deliria, aliiue affectus, genus nervosum infestantes: pro majori etiam læsione sensus & motus periclitantur ægri; ad minimum in hisce vulneribus stupor molestus veluti symptoma inseparabile esse consuevit & prout major fuerit stupor vel integra ἀναισθησία, eo majorem quoque læsionem adesse, argumento est. Superveniunt febres magnis cum rigoribus, quæ aliquando remittunt, aliquando repetunt; sed quando adsunt, semper rigorem habent conjunctum: in nonnullis observantur vomitus, lipothymiæ, cumprimis ubi nervi insimul læsi sunt, qui ex consensu cum aliis, Ventriculum, Intestina &c. ingredientibus, symptomata hæc producunt. Ab initio serosum & crudum quid effluit, etiamsi omnia recte & ad votum succedant: quapropter ex solo isto signo synoviam adesse nondum judicandum est, donec & alia advenerint, cumprimis sequentis: circa tertium quartumve diem pars affecta tumescit & labia vulneris utplurimum & fere in omnibus elevantur, in aliquibus tamen contrahuntur, eodem quoque tempore propter inflammationem ex irruentium humorum copia exortam æger vapores quosdam calidos, fliegende hitze, ex ipsa parte læsa sursum ascendentes percipit; Vulnus fere semper carne quadam spongiosa & ex pallido livescente repletum observatur. Præcipua ex hisce & ex quibus solum judicare possumus tendinem læsum esse, sunt dolor intensissimus, tumor, motus & sensus difficultas & haud raro convulsiones. Venenata ab aliis minus venenatis facile cognoscuntur: si namque ab animalibus inflictum sit, ex ægri relatione patet; verum si ex armorum quodam genere factum, non à priori, sed à posteriori dignoscitur & quidem ex eo, quod in loco vulnerato dolor major sit, quod partis color naturalis mutetur & in lividum ac nigrum degeneret, quibus mox symptomata præter rationem vulneris graviora sequuntur, ut sunt, in toto corpore nunc ardor, nunc obstupescentia, præcordiorum angustia, cephalalagia, faucium siccitas, sitis

ſitis maxima, cordis palpitatio, interdum & tremores & lipothymiæ percipiuntur. Hæc tamen plurima alia pro veneni cujuscunque natura ſubſequuntur ſymptomata; ſi autem venenum jam altiores egit radices, hydrophobia quoque ſocia eſt & idea quædam ſpecialis actionum animali venenato competentium ſe prodit. Hæc omnia in omnibus locum non habent, ſed pro ſubjectorum varietate etiam variant, ut *Hippocr.* jam diu annotavit *II. prædictor. Sect. XIX. multum*, inquit, *differt corporis ipſius hominis ſtructura, aliquando enim neque febricitat, neque inflammatur ſauciatus, aliquando etiam citra cauſam febricitat & aliqua corporis pars omnino inflammatur.*

§. XXIV.

Veriſſimum eſt effatum *Hippocr. l. c. Sect. II. Nulla mihi videtur eſſe difficultas prædicendi, ſi quis circa talia ſtudium ac curam adhiberi velit.* Ut ad noſtrum thema id applicemus: ex ipſa facie horum vulnerum, ab omni ævo perculoſa habita ſunt, & quidem magis à Veteribus, quam à Recentioribus, quanquam ad unum omnes conveniant, difficillimæ eſſe curationis: propter graviſſima ſymptomata, quæ inferunt, cumprimis ſi in ineptorum Chirurgorum manus incidant; ſi enim vel maxime nullum vitæ periculum metui debeat, attamen partium læſarum motus valde periclitatur; etenim juxta *Hippocr. Coac. prænot. Sect. III. plerumque claudi fiunt, quibus nervi craſſi vulnerantur: & ſi obliqui vulnerantur præſertim, & ſi muſculorum capita, maxime in femoribus.* Videtur autem ex ſequentibus, per nervos craſſos intellexiſſe muſculorum tendines extantes. Inconcuſſa etiam veritate conſtat illud *Hipp. l. c. Sect. XIX. moriuntur homines ab omnis generis vulneribus*, quia vulnus ſecundum Medici & Chirurgi judicium poteſt eſſe ſalutare, & tamen vulneratus, vel ob morboſam corporis conſtitutionem, vel ob varias internas læſiones, nobis non compertas, vel alias cauſas ſupervenientes moritur: una enim circumſtantia nonnunquam vulnera inſigniter variat. Sic etiam ſi quoad magnitudinem nullo modo conſideratur, reſpectu tamen partis læſæ

poteſt eſſe utplurimum vel abſolute lethale. Itaque Vulnera tendinum minus periculoſa pronunciamus vulneribus nervorum, quatenus nempe ſubſtantia à nervis non parum differunt, nec tanto ſenſu gaudent, nec conſenſus cum cerebro tantus eſt: punctura vero eorum eadem fere ſymptomata producit, quam Nervorum, convulſionem nempe, delirium &c. præſertim quando caro & cutis collabuntur. Quare autem minimum vulnuſculum magis metuendum ſit, quàm reliqua, etiamſi maxima, diſquiſitionem requirit; ea mihi videtur ratio, quod ſolutâ unitate ipſius membranæ, tendinem vel nervum cingentis, humores ſtatim extravaſentur, nec amplius in eorum alveolos recipi poſſint; ideò à ſtagnatione eorum & ab externo accedente aëre qualitas eorum valde imutatur, acriores fiunt, longiori morâ virulentiam acquirunt & continuò ob denegatum exitum partes vellicant nervoſas; hinc ſpiritus animales in majorem & inordinatum acti motum convulſionis & delirii auctores ſunt ſanguinemque ad partem læſam violentius adigunt, unde inflammationes ſolitò majores. Quam facilime etiam humores concluſi varios agunt cuniculos, quia iſta acredo medicamentis temperari non poteſt, vulnuſculi enim anguſtia illorum introitum præpedit; nec rarò gangræna & ſphacelus, quem nervi citò ſuſcipiunt, ex majori nempe corruptione ſuccedit. Punctura quæ infligitur, dum in apertione cadaverum occupati ſumus, ſemper periculoſior eſt; quapropter ob jam memorata accidentia quoad periculum primum locum obtinet, cui quam proxime accedit tendinis tranſverſa ſectio partialis, quæ quidem eadem ſymptomata afferre poteſt, quæ punctura; fibræ enim à ſpiritibus majori copiâ & vi irruentibus fortius tenduntur & læſis alteris per conſequens majorem inferunt dolorem, cui ob ſpirituum motum turbatum, per nervos cerebro communicatum convulſiones & deliria fere ſemper aſſociantur, aliudque malum, motus nempe debilitas reliquis adſtat. Humores quoque impetuoſius affluunt, qui curationem valde retardant & quorum largiorem profuſionem atrophia & maraſmus ſequitur plenarius. Si tendo ſecundum longitudi

tudinem vulneratus eſt, feliciorem ſpondet curationem. *Hippocr. prædict. lib. IV. Sect. 24.* *Si vero*, inquit, *ambiguum fuerit de nervis, quomodo ſe habeant, ſiquidem fuerit acutum telum, quod rectum vulnus fecit, melius eſt obliquo.* Si in totum ſit diſciſſus, tantum equidem periculum non affert, nec convulſionis ullus metus: attamen aliud malum ſubſequitur, partis nimirum, in quam inſeritur, motus plane aboletur & tollitur. *Hippocr. l. c. vulnera in articulis, quæ quidem magna ſunt & nervos conjungentes penitus præſecant, clarum eſt, quod claudos efficiant.* Vid. quoque *Galenus de Mot. muſcul. lib. 1. cap. 1.* Motus reſtitutionem Veteres non crediderunt, quia obſtat *Hippocr.* doctrina & authoritas, qui dicit VI. Aph. 19. *Nervus præciſus ac diſſectus neque augeſcit neque coaleſcit*; id quod tamen cum grano ſalis intelligendum eſſe arbitror. Nam experientia Chirurgica tunc temporis tanta non fuit, cum primis circa operationes efficaciores, ut ex illa hujus dicti infirmitatem obſervare potuiſſent: è contrario hodierna ſatis ſatisque quotidianis & felici ſucceſſu inſtitutis operationibus hac in parte certiores nos reddidit; num autem tendinum diſciſſorum reunio fiat vel proximiori & mutuo ipſius ad invicem contactu, vel alio accedente corpore intermedio, nondum liquet; quanquam potius à poſterioris ſententiæ partibus ſteterim. Hinc ſuperius *Hippocratis* dictum adhuc defendi poteſt, quia forſan eodem indigitare voluit, tendines præciſos ope propriæ ſubſtantiæ non poſſe coaleſcere, aliudque quod interveniat, requiri. Symptomata concomitantia mirum quantum prognoſin variant, cum ex eorum majori & minori numero vulneris curatio facilis vel difficilis judicetur. Inter ea ſine dubio excellit Convulſio, quæ ſecundum *V. Aph.* 2. lethalis eſt: pro lethali forſan periculoſum intelligit, non quod ex neceſſitate ſemper mortem afferat: ſed quod crebrò admodum mortem præcedat: ejus etenim præſentia in vulnere non minus quam in aliis morbis fere ſemper mortis nuncia eſt; ideò in alio loco, *Coac. prænot. Sect.* 3. *§.* 382. quaſi in correctionem præcedentis dicit, *quod convulſio accedens ex vulnere mala ſit*, quæ pejor evadit,

si majus sanguinis profluvium præcesserit *V. Aph.* 3. quibus delirium si associetur, majus inde concipitur periculum. Lipothymiæ crebriores si superveniunt, mali ominis habentur: denotant enim spirituum animalium parciorem influxum & vires maxime debilitatas, quarum defectu partis affectæ debitus calor sufflaminatur, qui plura mala habet pedisequa. Diarrhœa & Vomitus si incidunt symptomatici, pejoris fere notæ sunt prioribus: sæpius enim beneficio eorum ipsa vita ejicitur: utplurimum autem Vires maxime exinde concidunt, vid. *Coac. prænot. Sect.* 3. 3. *§.* 383. Inflammatio præsertim hic consideranda est, mediante enim illâ plurima, quæ superius nominavimus, symptomata vulneribus tendinum superveniunt. Si maiori vulneri assistat major inflammatio, cumprimis si diutius non duraverit, noli nimium expavescere: Sin autem major parvo accedat, malum signum habeto, vid. *Barbette.* Si brevi post inflammationem vulnus colorem pallidum & lividum contraxerit, magnum subest periculum. Si tumor vel elevatio p. n. circa partem vulneratam non adsit, malum pronuntiatur signum: denotat enim, quod humores, qui ex dolore & inflammatione ad partem affectam alias protruduntur, per metastasin in alium locum, nobiliorem nonnunquam, inciderint, *V. Aph.* 66. Sin autem subitò sine ulla causa evidente, ut ex medicamentis topicis, ex purgatione, ex V.S. evanescat in aliam partem translatus, plerumque sequuntur convulsio, delirium, pleuritis, dysenteria, pro vario situ partium & membrorum quæ occupavit. Sæpe etiam fieri solet, quod citius omnia symptomata remittere videantur, magno ægri cum solamine: attamen tum versatur in statu periculosissimo: repente enim dein recrudescunt, & hominem quasi inopinatò è medio tollunt. Febris utplurimum adest vulneraria, quæ si pro ratione læsionis major sit & longiori tempore quam inflammatio & suppuratio durant, invadat, vel delirium inferat, mala est. Omnia tendinum vulnera si infliguntur corporibus diuturniori morbo emaciatis, morboso habitu præditis vel alio affectu graviori detentis, semper majus denuntiant periculum, quoniam eorum humores

magis vel minus corrupti semper parti læsæ particulas quasdam malignas suppeditant, quæ curationem valde difficilem reddunt, si non impossibilem: præsertim scorbuticis, hecticis, Lue Venerea laborantibus, cacochymicis, quibus parva vulnera difficulter sunt sanabilia, sæpius insanabilia; & tanti faciendus morbosus corporis habitus, ut non solum in mediocribus sed & in minimis maxima ejus ratio sit habenda, cum facile ex ejus culpa vulnus minimum & salutare alioquin posset pravitatem contrahere, ex qua deinceps ægrum perire facillimum est. In adultis & decrepitis difficulter vel nunquam sanantur, quia eorum partes jam magis rigidæ & exsiccatæ sunt, sanguis quoque alimento suo in totum fere privatus, quique parum ad agglutinationem aptus videtur: è contra in pueris & junioribus brevius curationis spatium requiritur, carnes & fibræ eorum sunt magis flexiles, & sanguis dulcior adque consolidationem aptior, ut §. XX. diximus: sed id incommodi etiam hisce familiare est, ut propter humidum & calidum corporis temperamentum citius corruptiones & putredines vulneribus subsequantur. Ratione aëris ambientis hæ læsiones insigniter variant: sic tempore vernali facilius sanantur, quam æstate aut hyeme. Vulnera hæc si ab animalibus venenatis, ab armis veneno imbutis, inflicta fuerint, utplurimum funestum eventum habere solent, tum quia eodem momento Mæ. Sæ. venenum communicatur, tum quoniam ex ejus infectione gravissima inducuntur symptomata, quæ citò mortem afferunt horrendam; sæpius enim ex contemtu & negligentia ejusmodi vulnera curantur, nihilque quod in principio metuendum sit, relinquunt, sed successu temporis, satis producto sæpius, novæ oboriuntur lacrymæ, quæ prioribus longe graviores sunt & haud raro lethales, nisi tempestive occurratur. Synoviæ fluxus diuturnior maxime periculosus est: etenim præter id, quod consolidationem impediat, plerumque etiam atrophiam & marasmum inducit, cum omne omnium partium nutrimentum per hasce vias excernatur. Quod si nimis citò curetur, sequi solent intumescentia, inflammatio tanta, ut gangrænam minetur, febris

continua & ardentissima, capitis & lumborum dolor maximus, sitis inextinguibilis, nausea, eructationes, cibi fastidium, inquietudines, vigiliæ, lipothymiæ, magna virium prostratio, hydrops, icterus &c. plurima ex antecedentibus §. huc referri possunt, & L. B. ad eruditum *Bohnii* tractatum *de renuntiatione vulnerum* remittimus.

XXV.

Ex antecedentibus jam constabit difficiliorem horum vulnerum esse curationem, quatenus nempe iis plurima adjunguntur symptomata, quæ in reliquis plane non obviam veniunt; auxilia tamen satis efficacia superesse, quotidiana & felicissima demonstrat experientia. Differt autem curatio ab aliorum vulnerum curatione, propterea, quod illa diutius aperta servanda sint, hæc autem citiorem permittant consolidationem. Cum igitur in hisce vulneribus dolor valde molestus sit & inflammatio urgeat, præ cæteris conandum est, ut ille leniatur, hæc autem mitigetur: id quod unâ fieri potest fidelia, in usum nempe vocando V. S. quæ adeo conducit, ut ab ea fere oporteat curationem auspicari, nisi alia adsint contraindicantia, ætas nimirum, viresque magis debiles; impossibile enim est, imò perniciosissimum, vigentibus symptomatibus, quæ nonnunquam totam ad se trahunt medelam, continui solutionis curam moliri. Non tamen sequerer *Fallopium*, qui consulit, ut Vena secetur etiam ad animi deliquium usque, quia ex majori evacuatione sequitur major refrigeratio, hinc minor inflammatio. Medicamenta semper adhibenda sunt calida & quæ sunt partium tenuium, penetrantium: illa enim, quæ partibus carnosis conveniunt, huc non quadrant, nisi in fine, ubi jam tendine in integrum restituto, integumenta corporis solummodo agglutinanda restitant. In genere etiam conducunt nervina, tam interna quam externa, ut sic vi unitâ, quæ semper fortior est, huic malo occurratur; præcavemus enim hisce medicamentis motus spasmodicos, convulsiones, deliria, imo ob liberiorem Spirituum influxum tonum partis læsæ conservamus & ad hostem expellendum magis aptum

ptum reddimus. Pro tendinis quomodocunque vulnerati curatione & ſymptomatum inhibitione totum membrum affectum ad nervorum principium uſque inungendum ol. lumbr. vigorato cum ol. lavend. deſtill. quod hoc in caſu excellit, vel ol. ſalv. ſuccin. aut ſimilibus. Similiter inungi poteſt ſeq. ungt. ℞. ol. lumbr. vulpin. axung. hom. ana. ℥j ſucc. lumbr. terr. ℥ß. M. Ex antimonio certa encheiriſi parari ſolet balſamũ elegantiſſimum, coloris ſanguinei & odoris ſuaviſſimi, paucis adhuc notum: ꝑptio autem talis eſt: extrahitur ex ſcoriis regul. antimon. cum ſale alcalino fixo paratis, mediante aquâ ſal ſulphureum, dum ſolutio filtrata leni calore inſpiſſatur, hujus ſalis ℞, ℥j. cui ol. junip. menth. aniſ. ana. ℥ij ſuperfunduntur, add. ſp. vini rectif. ℥j. hæc invicem probe mixta induntur retortæ vitreæ & leni arenæ calore digeſtio per 12. horas inſtituitur, ita, ut forſan ℥j. olei exſtillet: deprehenditur ſic in retorta balſamum, ſanguinis inſtar rubicundum, paulo craſſius, non ingrati ſaporis quod externe vulnera citiſſime ſanat; convenientiſſimũ autem eſt læſionibus partium nervoſarum ac tendinoſarum, à quibus periculoſa avertere ſolet ſymptomata. *Aquapendens* ab Hiſpano quodam Sacerdote deſcriptionem medicamenti præſtantiſſimi accepit, quod ad partium nervoſarum vulnera imprimis commendat, qui ipſi retulit, non licere in Hiſpania hoc medicamentum componere, quod homines ejus viribus confiſi facile digladientur inque arenam deſcendant. ꝑptionem & utendi modum vid. in *operat. chirurg. part.* 2. *cap.* 1. Quaslibet jam læſionis ſpecies ordine aggredimur.

XXVI.

Tendo igitur ſi puncturâ vulneratus fuerit, conſiderandum, num vel cæca ſit vel aperta. In priori, quia ſanies collecta non effluere, nec medicamenti vis ad locum pervenire poteſt, opus eſt, ut vulnus dilatetur per ſectionem cutis & carnis uſque ad ipſum tendinem, cavendo tamen, ne cultro tangatur, poſtea medicamenta jamjam nominanda in uſum vocanda ſunt. At punctura ſi aperta ſit, latius quoque, ſi neceſſitas requirit, incidenda, patens

autem

autem servare debet vulnus non turundis, nisi extrema necessitas id postulet, illicò enim dolor exacerbatur; tunc imponenda sunt medicamenta potentia & actu calida leniterque siccantia, qualia sunt Terebinthina, Gumm. elemi, tacamahac. caran. Opobalsamum, quod *Alpinus* valde extollit *de plant. Ægypt. p. m.* 56. Bals. Copaiv. Peruv. Tolutan. Sulphur. ol. ceræ, succin. lavend. sabin. Philosoph, laurin. tereb. Spir. Vini & similia. Etenim in hisce vulneribus, ubi jam nervus vel tendo denudatus est, nec unguenta nec olea pinguiora unquam admovenda sunt, quippe vehementem mox excitare solent inflammationem. *Galenus* jam piscatoribus, qui continuò à spinis piscium lædebantur, tanquam singulare excogitavit remedium Terebinthinam, quam calide vulneri injiciebat. Inprimis autem ejus ol. dest. omnibus fere palmam præripit, si calidum instilletur, vel ejus loco ol. ceræ in usum vocetur, quibus alia adhuc possunt addi, e. g. ℞. ol. tereb. dest. ℥j. sp. Vin. ʒj. camphor. ʒß. M. quæ commode puncturæ instillantur. Est unicum fere remedium Chirurgis hodiernis usitatum quod præcalidè vulneri imponunt, superimpositis defensivo quodam & fomento ex variis herbis nervinis & confortantibus conflato. Hac methodo *Paræus* Carolum IX. Regem Galliæ curavit, instillato sc. in vulnus fervente ol. tereb. cum sp. Vin. & applicato super totum brachium Empl. diapalmæo in aceto & ol. rosac. dissoluto, obvolutâ insuper fascia expulsiva, quæ à carpo ducto initio in summum humeri articulum desinebat. Ut melior sequatur effectus, post instillatum ol. tereb. fervidum, linteum eo imbutum spatulæ cujusdam extremo alligari potest, quo aliquoties contingenda non modo vulneris superficies, sed & intimæ ejus partes. Circa hæc medicamenta *Nuckius* monet, ut linteum carptum iisdem madidum admoveatur spatulâque ferrea ignita tamdiu comprimatur, quamdiu patiens id ferre poterit, eo fine ut intimius penetrent; sequentia idem præscribit ℞ ol. tereb. hyper. ana ʒvj. M. vel ℞. ol. cer. ij. hyper. sp. Vin. ana ℥iß. Euphorb. ʒiß. M. vel ℞. Tereb. ℥j. ol. cer. ʒj. Vitell. ou. N. j. Mell. ℥ß. M. Non minores vires obtinent lumbrica-

lia

lia, quæ optima nervis læsis præbent solamina, qua ratione ol. hyperic. lumbricatum præstans est remedium, quod *Musitano* sic paratur. ℞. Summit. hyper. florent. Mj ol. comm. lib. vj. hisce probe invicem digestis postea add. Tereb. lib. I. lumbr. psat. ℥iii. croc. parum M. non solùm mitigant, sed & sanant vulnera nervosa, imò dissectos tendines glutinant, si aq. lumbr. calefacta ac gossypio excepta calentiaque vulneribus immersa quotidie renoventur, ut vult *Smetius in Miscellan.* p. 235. qui etiam B. P. miræ facultatis esse dicit, p. m. 502. Laudat quoque *Fallopius* ol. suum hyperic. magistrale, quod lumbricos recipit & seqq. modo componitur: ℞. Tereb. clar. ℥ii. ol. tereb. ʒiß. ros. compl. ℥iv. verm. terrest. lotor. cum vino malvat. ℥iß. rub. tinctor ʒii. sem. & fl. hyper. Mj. rorismar. centaur. min. millefol. ana, mß. sulph. viv. ℥ß. M. *Helmontius* tanquam specificum in hisce vulneribus aurium cerumen commendat, cui addi potest B. P. vel sulphur. ol. nuc. jugland. expr. vel ol. sem. hyper. si nonnihil inspissatur in formam Ungti, dat balsamum s. linimentum egregium, nulli æquiparandum: vim enim abstergendi possidet iste mucus, nec sinit aliquid crescere in pus, vid. *Ettmullerus*. Pro specifico *Galenus* usus est Euphorbio, quod & hoc tempore apud nonnullos magni pretii habetur: parant ex eo varias medicamentorum formulas, e. g. ℞. Euphorb. ℈j. Resin. tereb. ℈ß. Ceræ parum. M. F. Ungt. calide applicandum. Illo *lib.* 5. M. M. hoc modo utitur. ℞. Euphorb. ʒj. ol. comm. ʒxij. Ceræ ʒiij. *Fallopius* id valde extollit & in tendinis punctura sacram anchoram appellat. Ol. infusionis fl. sambuc. cum experientia laudat *Blochvvitius in anat. samb. cap.* 13. *p. m.* 278. Ol. ex juglandibus & Empl. Apostol. conducere ait *Rulandus in Med. Pract. rec. & nov.* Confect. alkerm. commendat *Pauli in quadrip. p.* 69. Hisce & similibus remediis vulnus tamdiu omni diligentiâ tractandum est, donec indies majus salutis indicium affulgeat, id quod ex doloris sedatione aliorumque symptomatum imminutione dignoscitur. Non autem interim alia negligenda sunt, quæ do-

loribus & inflammationi prospiciunt. Ad dolorem sedandum Cataplasma ex micâ panis, lacte & croci tantillo parti affectæ utiliter applicatur, vel additis quibusdam anodynis felicius consequimur. ℞. Mic. pan. alb. ℔ß. farin. alth. ℥iß. fl. chamom. aneth. ana. Miß. Vitell ov. N. j. coq. in lacte dulc. ad mollitiem & F. catapl. Quodsi dolor nondum remittat & magna insuper adsit inflammatio, hoc vel simile præter V. S. adhibeatur: ℞. Mic. pan. alb ℔ß. farin. hord. ℥ij. fol. scord. rut. flor. sambuc. ana. ℥i. summit absinth. ℥ß. M. F. pulv. ex coque cum s. q. vini Gall. & lact. dulc. Catapl. Non negligenda sunt empl. defensiva, quæ affluxum humorum nimium retardant & moderatâ refrigeratione inflammationes arcent. Finita curatione ipsius tendinis allaborandum est, ut carne restitutâ vulnus cicatrice recludatur, in quem finem sarcotica, ut thus, aristol. rotund. varia balsama nativa & gummata conveniunt, quæ omnia si vi magis adstrictivâ prædita sint, epulotica evadunt & cicatrice vulnus obducunt. Laudant plerique ad carnem inducendam Bals. *Vigonis*, quod tale est: ℞. ol. rosar. omphac. ana. ℥j. ol tereb. ʒiii. succ. plantag. ℥ß. sem. hyper. aliquantulum contriti Mß. tut. ppt: ʒiij. calc. decies lot. cum aq. plantag. ʒii. antimonium ʒi sevi hircin. & vitulin. ana. ʒv. verm. terrestr. cum vino lotor. ℥iß. bulliant omnia simul demtâ tutia, in cyatho decoct. hord. ad consumt. aq. & vini, colentur & rursum igni admoveantur, add. tutiam & F. linim. cum cera alb. & croc. ʒß. M. Supervacaneum arbitramur varias formulas digestivorum, mundificantium, sarcoticorum transcribere, quas ipse L. B. invenire poterit apud omnes Scriptores Chirurgicos. | Quodsi omnibus hisce scopum nostrum non attingamus, ægerque in pejus quotidie ruat, ob symptomatum partim atrocitatem continuam, partim ob gangrænæ, marasmi aliorumque metum, melius erit, ut difficiliorem curationem, nonnunquam etiam mortem, antevertamus, tendinem nempe in totum dissecando, quo fit, ut mala præcaveantur imminentia. Nam

Cun-

Cunctaprius tentanda, sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Nonenim refert ancipitem & ultimam hanc operationem instituere, quia satius est, ut unum saltem membrum pereat quam totus homo; & quanquam dubia sit, alio tamen modo, inferius tradendo curationem aggredi possumus, non sine feliciori successu. In punctura insectorum, quæ sæpius ne lynceo quidem observabilis est, illicò imponatur plumaceolum sequenti medicamento madefactum; ℞. ol. tereb. Sp. vin. ana pj. ol. ceræ. in quo aliquid euphorb. solut. pij. M. huic superimponatur aliud siccum, mox spatula ignita, aut stylo planiori applicato, ut calor & vis mixturæ ad interiora læsa deferatur: hac inustione peracta, plumaceolum Ungt. Basilic. inunctum, priori remoto, admoveatur, hinc Empl. stictic. *Paracels.* imo toti membro ceratum *Vigonis*, aceto, aqua, & Sp. Vini calefactis madidum applicetur, cura debita habita deligationis convenientis, ope fasciarum eodem liquore madefactarum peragendæ, vid. *Mangetus in not. ad Chirurg. Barbettian.* Fieri nonnunquam solet, ut ex ignorantia factæ puncturæ curatio plane aliter instituatur, ac quidem fieri deberet: hinc humores extravasati indies acriores redditi ipsum tendinem corrumpunt & putrefaciunt, ut postea impossibile sit huic malo secundum methodum debitam occurrere: quare hoc in casu tendinis pars putrida in utrisque partibus sanis abscindenda est, ne malum latius serpat; quo facto, quod abscissum est, per locum in manus parte interna extrahendum: membrum vel digitus ea figura curandus, quæ minimum impedit, imo ne ex humoris acrioris diuturniori detentione ossium corruptio augmentum sumat, Sp. Vitriol. phlegmaticus plumaceolorum ope ossibus applicari potest & hac ratione incarnatio debita sequitur, vid *Mangetus l. c.* Tale exemplum nupertime videre licuit auxiliante *Cl. Drelincurtio*, Fautore ac Amico (quod lætor) singulari, in futore quodam hujus civitatis, qui in junctura prima indicis digiti verrucam habebat ipsi satis molestam, hanc subula

 per-

pertundendo attollere voluit, ut poſtea contabeſcens decideret, ſed præter ſpem tendinem pupugit ſubjectum, cui læſioni ſtatim ſubſequebatur dolor maximus & digiti tumor valde elatus. Chirurgus accerſebatur, cui tamen cauſam proximam non aperiebat: dum igitur hæc ignoratur, imponit ſecundum majorem indicationem Cataplaſmata bonæ notæ, ut dolor ſedetur & humores contenti ſuppurentur: interim ex hiſce in interiore & exteriore manus parte circa radicem digiti affecti varia ulcuſcula propullulant, & ope cataplaſmatum etiam in ipſo digito apertura fiebat, quæ adhuc ſectione dilatabatur: qua facta tendo putrefactus ſeſe offerebat, quem ſtatim forcipe reſecabat. Cum per aperturam humoribus jam virulentis & ſanioſis exitus concederetur, adhibitis medicamentis mox illa ulcuſcula non difficulter ſanabantur, ut & brevi poſt totus digitus; hac ſaltem jactura, quod motum primæ & ſecundæ articulationis perdiderit. Accidit inſuper, ut puncturæ nonnunquam fiant ab animali vel inſtrumento venenato, quæ non ſolum ratione ſymptomatum, ſed & curationis haud leviter variant: quapropter, ne in ſanguinem cæteroſque humores venenum penetret altius, ſanguis primò diligenter è vulnere exprimendus, idque abluendum aceto acerrimo, vel potius Sp. Vini ſimpl. vel in quo diſſoluta ſint Camph. & Theriac. inſimul vis ejus infringatur alexipharmacis internis & ad exteriora vocetur per ſudorifera antidota, quæ interea in uſum ſemper vocanda ſunt, dum in externorum applicatione occupatus eſt Chirurgus. Ad venenum extrahendum utebantur Veteres ſuctionibus per homines certos inſtitutis, qui *Pſylli* dicebantur: *vid. Celſ. lib. 3. cap. 27.* Ex relatione peregrinatorum conſtat, in India orientali nunc etiamnum multos reperiri, qui hoc curationis genere victum & amictum ſibi quærunt, dum interim ore colluto & deterſo ſucco limonum ſeſe præſervare norunt: Alii cumprimis in animalium ictibus venenum extrahunt cucurbitulis, quæ quidem efficacius operari poſſent, ſi profundius ſcarificentur: verum id merito in hiſce

vulneri-

vulneribus prohibetur; quare autor essem, ut in carnosis magis partibus, à loco affecto non multum remotis, applicentur; interim priores, non scarificatas nempe, non modo non negligendas sed & maxime proficuas duco: quodsi autem gangræna superveniat, statim scarificatæ in usum sunt vocandæ. Cauterium actuale, ceu efficacissimum alias remedium, in partibus nervosis convenire, non facile crediderim: quanquam *M. A. Severinus* in simplici tendinum læsione id velit, sed quoad ejusdem usum huic Autori nondum assentire queo, ideo eligerem potius locum, quem cucurbitulis assignavimus: cumprimis si motum conservare velimus. Si autem hæc intentio impossibilis fiat, omnino illud applicandum esse juberem. Sed si gangræna metuatur, omnibus aliis palmam præripit. Postea cum nulla veneni suspicio amplius subsit, eadem methodus circa vulneris consolidationem servari potest, quam superius jam dedimus. Id autem monere voluimus circa dilatationem puncturæ, quod illam tanquam veterum doctrinam *Paræus* in multis non sit secutus; id potius, quod communis dictitat indicatio: & in fidem ejus rei allegat duo exempla, ubi sine diuturniori apertura vulnera statim agglutinavit, instillato solum suo balsamo calente & circumposito præterea repellente & adstringente medicamento; hæc autem verba judiciose apponit: *Nolim tamen tyronem Chirurgum hanc aleam subire, quem prius multo usu exercitatum esse debet in hominum temperaturis habituque dignoscendis: non enim illa curandi ratio feliciter succederet in corpore plethorico, cacochymico &c.*

§. XXVII.

Haud secus procedendum est in læsione quæ fit secundum longitudinem: minorem adhuc apparatum requirit, quam qui in puncturæ curatione observari debet. Sufficit, ut vulneri immittamus ol. tereb. calidum. circumligata denique fascia, ut partes invicem distantes approximentur & ad mutuum contactum ferantur; sic enim facilius concrescunt, & eo, quo fascia cir-

cumjicitur; affluxus humorum sistitur, qui aliâs medicamentorum vires valde obtundit; superest solum, ut vulnus carnibus incumbentibus adhuc inhærens, methodo, quam supra dedimus, consolidetur, non neglectis interim externis, tam V. S. quam Ungtis aliisque remediis ad principium usque nervorum illinendis. In sectione per transversum, si levis sit, jam nominata etiam conveniunt, tam quoad partem læsam, quam partes adjacentes, quanquam major circa hoc vulneris genus difficultas plerumque deprehendatur. Præterea inter remedia usitata semper simul balsamica vulneraria acuenda esse aliquod gtt. ol. cujusdam destillati, ut tereb salv. succin. apprime monet *Ettmullerus*, qui quoque laudat medicamentum *Cnœfelii*: ℞. Exuv. serpent. lapid. cancr. ppt. ana M.F. pulv. inspergendus nervis & tendinibus læsis, qui mire convenit pro eorum unione. Quodsi omnia hæc remedia legitime adhibita spem boni successus eludant, nec brevi vulneris facies omniaque symptomata mitiora evadant, consultum imo maxime necessarium est, ut tendo plane discindatur. Sic enim imminentia mala, convulsiones, deliria, gangræna & quæ ejusdem sunt farinæ, præcavemus, securi, nullum aliud incommodum subsecuturum, quam motus cessationem, quæ tamen modo in sequenti §. tradendo tolli potest, nisi varia & sæpius nondum visa id impediant accidentia. Insimul omnium oculis constabit, quam vanus nunc nobis appareat metus, quem veteres Medici de hisce vulneribus conceperunt, non credentes, discissos tendines iterum curari posse, quod tamen hodierna experientia multoties confirmavit.

§. XXVIII.

Quod igitur ad sectionem tendinum transversam & quidem integram attinet, non minimæ inter eruditos lites hac de re motæ sunt, quorum nonnulli eorum curationem impossibilem credunt, alii è contra eandem tanquam indubitatam assumunt veritatem, persuasi, hancce medelæ rationem felicissimo eventu non carere posse, si methodica & justa operatio præcesserit in corporibus saltem bene constitutis, nullaque labe maculatis.

De-

Devolvor nunc ad decantatam ſatis controverſiam illam, quæ de tendinum diſſectorum ſutura agitatur. Rem duabus quæſtionibus abſolvam: I. an in diſſectis tendinibus ſutura locum habeat nec ne, conſequenter an conſolidari iterum queant? II. quomodo ſutura peragenda ſit? Quod ſpectat effatum *Hippocr. VI. Aph.* 19. *Nervus præciſus neque augeſcit neque coaleſcit*, idem repetit VII. *Aph.* 28. *in coac. prænot. Sect.* 3. *§*. 380. *& lib.* 1. *de morb. Sect.* 7. §. 21. Hujus dicti interpretationem ſi inſpiciamus, non aliter fieri potuit, quin hæc conſequentia ex præconcepta eorum hypotheſi ſequeretur: etenim harum partium, quas ſimilares & ſpermaticas dixerunt, veram reunionem non crediderunt & pro non ente habuerunt; renaſci ſolum voluerunt loco ablatæ partis aliquid, forma & materia diſpari à primæva parte & cum poro ferruminari ac agglutinari. Cur autem partes ſpermaticæ abſciſſæ non regenerentur, nonnulli cauſam ad materiæ ſeminalis defectum, alii ad facultatis conformatricis corruptionem aut ceſſationem, alii ad ſiccitatem partium, alii ad neſcio quas facultates, mihi planè incognitas & occultas retulerunt. Quicquid, ſive ab intra & centraliter, ſive ab extra & quoad ſuperficiem magis conſolidentur, nihil intereſt quo id fiat modo, ſufficit nobis, hanc operationem à poſteriori ſaltem rationi & experientiæ non contrariam videri. *Galenus* item tendines non ſuendos eſſe hinc inde dicit, quamvis eum ſibi in vulneribus tendinum parum conſtare, eaque non conſuenda eſſe dicere quidem, alio verò loco tendines neceſſariò conſuere ſcribat *Veſlingius obſ. & epiſt.* 35. Nec pauci reperiuntur, qui hæc caſtra ſtrenuè ſecuti & omni defendentes auſteritate, ſuturam tendinum omnino & pertinaciter negant: inter quos certe præeminet *Petr. Marchettis*, Chirurgus alias celebris, qui expreſſe *obſerv. ſyllog. obſ.* 63. 63. non eſſe ſuendos tendines contra *Severini* ſententiam affirmat, ex ea ratione, quia eſt contra *Galeni* methodum, quam Autor ille proinde non intellexit: hanc igitur *Severini* doctrinam, utpote contrariam & ſententiæ *Galeni* & experientiæ, non

eſſe

esse omnino admittendam, quin potius damnandam prorsus arbitratur. Audiamus quæso adhuc alium, sc. *Bernhardum Gengam in Commentar. suo in Aph. Hippocr. ad Chirurgiam spectantes*, qui tendines vulneratos consutos fuisse & ad perfectam sanitatem perductos, nugas censet & ridiculas jactationes, ut referunt *Acta. Erudit. Ann.* 1695. *Mens. Mart. Franc. Peccetius oper. chir. lib.* 2. *cap.* 47. ab hac operatione valde abhorret, neque illam instituere conatur, neque aliis suadet, præter auctoritatem gravissimorum autorum, propter rationes varias quas l. c. tradit. *Arcæus de curand. vuln. lib.* 2. *cap.* 5. omnibus viribus illam prohibet, credens, quanquam sutura facta sit, nihil minus propterea curari, imo minus etiam membrum evadere. Restant plurimi, qui huic sententiæ subscribunt, ut *Paræus*, *Hildanus*, *Joel*, aliique, quorum autem recensioni supersedemus. Rationes præcipuæ & magis urgentes, quas hi autores afferunt, sunt I. dolor acutus nervorum & tendinum continuus excitatus in eorum læsione, quare argumentantur eum in modum: tendinis puncturam prava & multa sequuntur symptomata, dolor nempe, inflammatio, convulsio, si tendo consuitur, compungi necesse est, ideo & dicta symptomata supervenient; E. tendo nunquam suendus; verum ex punctura, quâ punctura, illa symptomata non sequuntur, sed ex humorum acrimonia & vi corrosiva, qui per suturam extravasantur & juxta membranam tendinem involventem continentur: non enim tendinis substantia tam sensibilis est, ut ejusdem læsio dictorum malorum causa sit; observatione enim constat & experientiâ, tendines illius sensus haud esse, cujus ab omni tempore habitus fuit, sed vaginam membranosam, in qua tendo volvitur, ipso sensibiliorem esse, vid. *Job. Mekeranum obs.* 62. Hinc omnes Autores, qui suturam negarunt, varia excogitavere remedia, quibus ad agglutinationem eorum utebantur. *Plinius* passim nonnulla proponit lib. 21. cap. 19. lib. 25. cap. 5. lib. cap. 12. *Gufer. in tabul. med.* præscribit cochleas contusas & mistas cum pauxillo farinæ, quæ, si imponantur

tur Emplastrum, nervos tendinesque conglutinant. Idem Autor suadet, ut lumbr. terr. rec. contusi vulneri imponantur, in cujus rei testimonium adducit *Æginetam*, qui vim hujus remedii expertus est: necnon de *Fallopio* scribit, quod lumbr. terr. igne combustos in pulverem redigat & cum melle commisceat, quo si illinatur vulnus, tendines iterum agglutinari, cumprimis si antea terra recens imposita fuerit. Quod *Musitanus* laudat, non multum ab illo variat: ℞. lumbr. terr. q. s. exsicca blande & pulverisa, vel pulverisatos lumbr. latos contritos M. cum tereb. quo 20. hor. supra vulnus imposito, illud sanatur vel sine tereb. pulv. illi inspergatur. II. Ratio altera, quare ab hac operatione abstinent, est fides eorum imaginaria, quod tendines non possint coalescere, ut id auctoritas *Hippocr.* voluit, in cujus verba unanimiter tum temporis jurabatur. Quod si verum esset, absonum sane foret ejusmodi operationem instituere, quæ felici careret successu. Respondeo igitur, quamvis non recrescat pars tendinis amputata (quod tamen nondum nego) conglutinantur interim partes dissectæ mediante glutinosa lympha, sensim ex extremitatibus sudante utrisque, de quo à posteriori saltem experientia nos certiores reddidit ex restituto tendinis usu & actione, quæ facile post factam suturam curamque absolutam patescit.

§. XXIX.

Eorum autem, qui contrariam tuentur sententiam, haud exiguus est numerus: illi separatis aliquantisper verbosis hypothesibus ad manuales operationes transgressi sunt, quarum felici eventu ipsis constitit, tendines dissectos etiam sutura conjungi posse. Res est mira & prima fronte videtur paradoxa & periculosa, si sc. punctura tendinis minatur convulsionem, quomodo igitur acubus possunt consui? Inter eos, qui illam asseruerunt, antiquissimus fere est *Avicenna*, qui *Fen.* 4. *tr.* 4. *cap.* 2. dicit si *vulnus nervi sit in latitudine, necessarium est ipsum suere, & si non, minime conglutinatur.* Hunc autorem postea

plures insecuti sunt, ut *Guido de Cauliaco*, qui tres rationes pro sutura tendinum affert, quarum prima est, ut eâdem labia separata iterum conjungantur, altera, ut tendo denudatus carne & cute tegatur, ne externo accedente aëre lædatur: tertia est, quod sutura curationem acceleret: pergit: *ego vidi & audivi, in multis nervos & tendines incisos & eos ita instauratos cum sutura & aliis auxiliis, quod erat postea incredibile, ipsos fuisse concisos, tract.3. cap.* 4. *Joh. Veslingius* aliquot exempla adducit, quorum tendines dissecti sutura conjuncti bene curati sunt; notari merentur, quæ etiam addit obs. 15. *Detestabar*, inquit, *hominum audaciam, sed felix successus & vix notabile à peracta curatione detrimentum timoris mei vanitatem arguebant!* vidit enim tendinem à gastrocnemiis & soleo musculis conflatum paulo supra os calcis dissectum aliquot suturis à Chirurgis conjunctum: hinc existimat, quosdam necessario esse suendos, quosdam non nisi certa adhibita cautione. *Felix Wurzins cap.* 14. de dissecto pollicis tendine loquitur ibidemque monet, ut instrumento quodam, si retractus fuerit, protrahatur & fortiter consuatur; ne autem vulnus eodem modo claudatur, sic iterum conglutinabitur, ita ut ægroti motus non pereat. *M. A. Severinus* Chirurgiæ muliebris & quotidianæ pertæsus, varias & quidem efficaces operationes tentavit, inter quas etiam suturam tendinum instituit, ut videre est in *efficaci Chirurgia lib. 2. cap.* 123. merito illum increpat *Marchettis*, quod *Parei* experimentum *lib.22. cap.* 10. traditum male citasset, cum ne litera quidem de sutura tendinum in eodem reperiatur. *Ettmullerus* idem Parisiis observavit in juvene quodem, cui in carpo manus omnes tendines transversum dissecti erant. Sufficiat adhuc nominasse autores quosdam huic operationi patrocinantes, ut *Job. Mekeranum*, *Stalpart van der Wiel*, M.N.C. *Acta Erudit.* quæ laudant *D. Bienaise*, quod feliciter hanc operationem Parisiis instituerit *Decur. I. Ann.* 7. *Musitanum*, *Chalmeteum*, *Nuckium*, *Solingen*, *Jungkenium*, *Clericum*: aliosque & non dubito, quin omnes Chirurgi hodierni

huic

huic operationi faveant, cum ex sæpius iteratis exemplis ad eorum imitationem invitentur & alliciantur. Sed dicat quis, hæc quidem in theoria & speculatione probabilia esse, verum dubitandum, an in praxi id feliciter succedat: Huic regerimus solummodo experientiam non unicam sed plurimam; plura enim testimonia prostant, quam quidem ad illum convincendum requiruntur, omnesque observationum collectores ad minimum aliquot ei suppeditabunt: nec ipsimet defecimus, hoc in §. autores nonnullos citare, qui non pauca ea de re colligerunt literisque mandarunt.

§. XXX.

Secunda jam quæstio explicanda venit, quomodo nempe sutura fieri debeat? Non unus modus, sed aliquot cogniti sunt, quos tamen omnes tradituri sumus. Quidam fit sola fili circumjectione, quidam autem fili trajectione cum acu per ipsum tendinem. Primam operationem tradit *Joh. de Muralto*, quæ describitur tam in *M.N.C. Dec.* 2. *Ann.*3. quam in scriptis ejus Chirurgicis Germanica civitate donatis *obs.*6. Verba adscribam ejus, quia modum operationis explicant: Juvenis 24. annor. noctu in manu sinistra vulneratus fuit ejusque tendines digitos moventes abscissi: vocatur Parisiensis ille Chirurgus D. Bienaise, qui manum læsam asseri plano alligavit, cutem cultello separavit tendinesque discissos & retractos inquisivit & iis filum circumduxit, opeque suturæ hujus eos invicem stricto vinculo solubili connexuit & conjunctim singulos tendines sub ligamento annulari colligavit, idque dolore ineffabili: fila hæc extra vulnus relicta sunt satis longa nervisque impositum fuit ol. tereb. cum Sp. Vini & ol. hyper mixtum, iisque facta suppuratione fila leviter attracta, fuerunt exemta & vulnus simpliciter persanatum ægerque perfecte restitutus fuit. Nonnulli autores hanc methodum magni æstimant, vel hac ratione, quod illis ex hac observatione constet, tendines non acu perfossos sicque consutos, sed tantum filo circumducto ligatos & sic invicem artificiose conjunctos fuisse. Sed perpauci

reperiuntur, qui hoc modo ſuturam inſtituunt: illum potius præferunt, qui acu efficitur, quemque jamjam deſcripturi ſumus. Noſtro ſaltem judicio melior eſt altero modo, quoniam omiſſâ forti ligaturâ, quæ præcipuum ejus caput eſt, dolor fere intolerabilis præcavetur, quem tamen in hocce timere non debemus. Aliter n. ſe habet punctura, quæ fit in tendine diſciſſo, ubi tanta non eſt tenſio, ac in eo qui adhuc integer eſt; quare etiam minori difficultate preſſi hanc elegimus methodum, quam propterea æri incidi curavimus ſub fig. I. cum ex oculari inſpectione meliorem nobis formare poſſimus conceptum quam ex ſola deſcriptione. Non autem hanc operationem chimæram eſſe credamus, nec, quia hypothesi veterum contrariatur, inani ſub ſpe venturi cœlitus auxilii deſides uſque maneamus, nam ſecundum. *Virgil. lib. 1. Georg.*

- - - - *Alitur vitium creſcitque medendo.*
Dum Medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.

Tendines igitur plane abſciſſi ſuturâ conjungendi ſunt, quæ non adhibenda, niſi intus plaga purgata ſit; nimirum, ne quid ibi concreti ſanguinis relinquatur, id enim in pus vertitur & inflammationem movet, autore *Celſo lib.* 8. *cap.* 26. quodſi factum fuerit, utræque tendinis partes, quæ plerumque retractæ ſunt, forcipula apprehendantur, & incurvato membro invicem adducantur: poſtea per acum tenuem & valde ſubtilem (breit aber ſehr dünn) filum ſericeum duplicatum trajicitur, cujus finis nodo nectendus eſt, hoc facto, utriſque extremitatibus particula quædam corii vel alius rei apponitur, per quarum unam intra fibras tendinoſas acus intruditur à parte externa ad internam, perque alteram à parte interna ad externam, non nimis prope, ne filum illas diſſecet, & utrique fines tunc prope ad invicem adducuntur, & nodo facile ſolubili firmantur: hinc Balſamo vulnerario efficaci vulnus ac ſutura illinenda ſunt, ſic enim poſtmodum brevi conſolidantur iterum tendines & diſſecti denuo uniuntur, citra hoc ut motum membri

affe-

affecti perdat æger: quod eadem figura, qua sutura peracta est, tenendum est, ne ejus extensione præcoci tendines dilacerentur. Nec hanc nec illam calculo suo probat *Nuckius Experiment.* 47. *p. m.* 156. qui partem læsam decenter locatam duobus in locis unamquamque tendinis extremitatem perforat, filumque sericeum cera obductum trajicit: hinc interposita suberis aut corii particula, extremitatum adductionem filorumque adstrictionem certiorem reddi, neque etiam tendinis extremitates adeo facile ac in recensitis superius methodis lacerari contendit. Administratio suturæ secundum M. A. *Severinum* hæc est: si liberos hos quantum licet factos & complicitis proximis partibus supposito, ubi opus, eburneo (nam hic inter omnes commodissimus est) auriscalpio, aut lignea forcipula, quæ corpus nervorum lubricum contineat ac firmet, digitis quoque summissis aut nostris aut ministrorum adjuvantibus tunicam extimam ipsorum quatuor, aut etiam pluribus numero, punctis ex tortilibus intestinorum fibris, quæ ad musicas testudines intenduntur, prius vino rubro calido remollitis, consuamus, sed sic tamen, ut respondeant in situ primo nervorum fibræ, neque distortæ ullatenus componantur aut consuantur. Ad hunc modum plusculos post dies perbelle cernes conglutinata extrema, quemadmodum experimento comprobasse testatur *Fabius Pacius & Gab. Ferrara.* Nostræ quoque & aliorum fuerunt observationes & experimenta felices nervis concisis evenisse suturas. Neque alia ratione consuentur ligamenta, quæ professus est constanter *Aquapendens* per suturas in pueris agglutinari. Ego vero neque etiam in viris dubito successuram agglutinationem, si sutura diligens adhibeatur; qua, quo durius & minus sensile corpus erit, eo confidentius audentiusque licebit uti; adeoque ipsum etiam ligamentum trajici quaqua parte non erit abs re alienum. Tametsi vero veretur à tendinum sutura dolorem & inflammationem *Paræus* lib. 9. cap. 36. nihilominus neque hic perpetuus est metus & utrique simul occurri potest oleis ceræ vel Terebinth. stillatitiis, quæ miræ virtutis in hisce casibus equidem comperi. vid. *Chirurg. offic.* p. 2. *cap.* 123.

Hanc methodum exacte sequitur *Burgerus* in suo Candidato Chirurg. German. edito part.2.§.105. Miror sane *Mangetum in Biblioth. Med. Pact. Tom. IV.* p.1102. contra *Severinum* statuisse & quidem ex *Marchette*, quod tendines non essent suendi, cum tamen in Notis ad Chirurg. Barbett. id admiserit: & l.c. p.283. observationem narraverit sequentem: Chirurgus quidam tendinem digiti maximi dissectum acu filo forti commodo instructa perforabat tendinem qui brachium respiciebat, & versus manum retractus erat: mox etiam alterum digito inhærentem, obvium satis, hinc acu priore allata, utriusque lateris filo imponebat particulam, primo suberis, mox etiam plumbi, perforatam, dein extrema conjungebat, factoque circa plumbeam particulam, alteri ligneæ incumbentem, utraque tendinis extrema tangentem, nodo, particulas hasce lateraliter se invicem attingere procurabat. Et hac ratione impediebat, ne tendinum extremitates jungerentur, cum alias callus, qui interponi debet, haud invenisset locum. Hisce modis contrarium plane afferunt nonnulli, inter quos mihi ad manus est *de la Vauguion*, Med. Gallus, in libro, *traité complet des operations de Chirurgie* dicto, qui monet, ut Chirurgus incurvet membrum ad facilitandam approximationem duorum tendinum terminorum, quorum unus alteri imponatur ad duas pene lineas, in hac positione acus filo munita trajici debet ab extra ad intra, rursus ab intra ad extra: postea acu ademta nodus injicitur simplex super parvum pulvillum, compressam vulgò dictam, tunc nodus solubilis: non enim satis esset, quod duo fines se tangerent, quoniam brevi invicem abscederent pp. contractionem musculorum: eorum autem fines, alius alii impositus, uniuntur per succum nutritum, qui egreditur tendines, & qui toti superficiei circumfusus, ibidem ganglion efformat. Num autem hæc methodus præ cæteris eligenda sit, exercitatioribus relinquo: equidem mihi videtur tendinem hac operatione breviorem evadere, quem tamen elongare magis convenit, si motum conservare velimus. *Lamzvverde in App. ad Armament. Sculteti* hac usus est methodo: abscisso medio nervo & tendine præcisam

medic-

medietatem ope acus prius acte conjunxit, antequam medietatem dissecuerit alteram, & acum usurpavit communem nullo alio oleo quàm tereb. & Empl. communi imposito, *Weckerus Medic. utriusque Syntag. l.* 3. & *Chalmeteus Enchirid. Chirurg. cap. XI.* tendinem dissectum una cum carne, si fieri possit, sutura reuniendum volunt. *Solingen* literis reliquit, quod sæpius sine sutura motum restituerit, dum manum retrorsum semper eadem figura teneri curaverit per splenium illi alligatum, part. 4. cap. 13. Huc referri potest observatio *Borelli* in histor. & observ. rar. Medic. physic. Cent. 2. observ. 18. ubi inquit: Tendo magnus malleoli ab ulcere corruptus amputatus cum fuisset, tamen æger sine ullo incommodo ambulavit: nato iterùm tendine vel alia re analoga. Quodsi autem sutura neglecta fuerit eo tempore dum vulnus fuit recens, & jam cicatrice obductum sit, oportet ut iterum aperiatur leniter ad detegendum tendinem, quem carnes ab omni externa corruptione hactenus conservarunt. Ut curatio incipiatur, extremitates eorum perparum abscindendæ sunt, quoniam tractu temporis fieri potuit, quod callosæ factæ fuissent, ex neglecta nempe diutius sutura, quæ postea eo modo quem jam tradidimus, instituenda est. Finita operatione oportet ut pars affecta incurvata & quieta teneatur quibusdam fasciis & spleniis ex crassa papyro factis, ne fines tendinum invicem abscedant, quod reunionem redderet impossibilem: vulneri imponi potest plumaceolum madidum liquore quodam spirituoso, & pulvillus exiguus, qui fascia cruciata firmetur. Vulnere jam cicatrisato frictiones instituantur remediis balsamicis & spirituosis, ut tendo mollis & tractabilis fiat, ut pedetentim elongetur, alias enim membrum eadem figura, qua durante curatione tenebatur, maneret rigidum, quod tamen maximo esset incommodo. In genere adhuc monere debemus, quod omnia hæc vulnera non sæpius & sine causa detegenda sint, novaque deligatio festinanda & cita: accessu enim aëris liberiori mirum quantum alterantur.

§. XXXI.

§. XXXI.

Nonnullorum ſymptomatum medela, quam ſuperioribus commode inſerere non potuimus, haud negligenda eſt, cum ſæpius citiorem poſtulent opem ipſis vulneribus; nec raro quoque majus faceſſant negotium in eorum curatione. Inter ea maximum fere eſt fluxus ſynoviæ, qui periculoſus eſt: impedit namque vulneris conſolidationem, partis atrophiam, poſtmodum totius corporis contabeſcentiam, & tandem mortem inducit: ſtatim itaque ſiſtendus eſt, ne ægrum in Maraſmum & irreparabilem adigat tabem. Prudentes autem & cauti ſimus in ſiſtendo ejus fluxu, quem nimis cito curatum varia ſequuntur ſymptomata, quorum §. XXIV. mentionem fecimus: clauſo enim in ſuperficie vulnere & putreſcente materia in ejus fundo major excitatur inflammatio, hinc major humorum affluxus, qui ſi acres fiant, plerumque ipſa oſſa erodunt, & cuniculoſa efficiunt ulcera difficulter ſanabilia. Conveniunt tam interna quam externa, quorum priora conſiſtere poſſunt in blande diaphoreticis & purgantibus, quæ corpus à pravis humoribus benigne liberant, eorumque nimiam quantitatem abſumunt, præſertim ſi in auxilium vocetur exacta victus ratio, quæ curationem non parum adjuvat. Externa autem maximam partem abſolvunt, ut V. S. Cucurbitulæ, hirudines, quæ omnia humorem peccantem immediatius paulo educunt: ſublata enim hiſce remediis inflammatione & brevi ceſſabit lymphæ fluxus, qui meo judicio ppr. ab illa excitatur; in uſu topicorum ſemper obſervandum eſt, ut ſint anodyna & dolorem ſedantia, qui in hoc malo valde urget, ſi ingens ſit, ſequens fomentum toti membro applicandum præſcribi poteſt: ℞. Rad. alth. malv. ana ℥j. fl. chamomil. melilot. ſambuc. chamæp. roſ. rubr. ana mj. ſem. fœnugr. ℥ß. lumbr. terreſtr. ℥iß. Incis. & contus. groſſo modo pro ſacculis ejus magnitudinis ut totam affectam partem cooperire queant. Coq. in aqua vel lacte dulc. applicentur calide & iterentur quoties neceſſarium videbitur. Ante applicationem autem totum membrum ol. lumbr. cum ol. lavend. vel tinct. caſtor: acuato inunguen-

gendum est; si autem inflammatio comes sit, ab oleosis abstinendum, quæ valde contraria sunt, & loco eorum sequens vel aliud cataplasma præscribi poterit: ℞. farin. hord. ℥iv. fl. beton. fl. ros. rubr. myrt. balaust. ʒij. croc. ℈i. cum decocto chamæpit: vel beton: vel melilot. fiat catapl. cui sub finem addi possunt vitell. ov. Nij. appl. calide; non incongruum est vel solummodo in usum vocare ungt. alb. camphorat. quod in ejusmodi casibus à multis extollitur. Præter ea adhuc possunt convenire remedia defensiva vulgo dicta, ut sunt succus sempervivi, solani, portulac. aqua rosar. plantag. equiset. vel magis composita, ut Empl. defensivum Fel. *Wurtzii* aliorumque: quilibet enim Chirurgus aliam fere compositionem habet. Potest etiam sequens in forma cataplasm. præscribi: ℞. Farin hord. ℥iv. bol. armen. ℥iß. cort. gran. pulv. ros. balaust. rad. bistort. ana. ʒij. applicetur. Quodsi autem remediorum multa ingredientia non semper ad manus sint, necessitas tamen urgeat, succus sempervivi lactuc. fol. salic. quercin. summopere conveniunt, si parum aceti & albumen ovi admixtum fuerit: vel etiam solum acetum & aqua invicem mixta præstant, si fascia hoc liquore madida totum membrum involvitur: notandum tamen defensiva non ipsi vulneri applicanda, sed locis vicinis & circumpositis; ubi jam parcius fluere incipit, sequens pulv. potest inspergi: ℞. Testar. ostrear. ℥j. cran. adust. oss. sæpiæ, mandibul. lucii pisc. calcin. ana, ʒij. spod. ppt. terr sigill. vel O. ana. ʒiß. M. F. pulv. qui insuper inspergendus vulneri: sic namque cito evanescit synovia. Ut M.N.C. ann. 2. observ. 53. referunt, Chirurgus quidam recepit usneam cranii humani & laccam pictorum ana. aut in defectu usneæ pulv. ex ipsis ossibus humanis s. calvariæ, linteo concerpto vulneribus applicare solebat & pro summo habuit secreto. Optimum quoque est Unguentum Fuscum *Wurtzii*, quod *Hildanus* inter Empirica numerat, nam pleraque ibidem tradit, quæ ejus sententia Empiriam olent. Alias singulare esse experimentum dicunt, si stercus porcinum cum sanguine vulneris invicem coquatur, & vulneri ita applicetur instar cataplasmatis, aut ab ægro devoretur: quin & linteum sanguine

guine primo menstruo virginis tinctum; hoc humidum seu siccum certissimum habetur ad compescendam synoviam remedium. Polychrestum est, si destilletur aqua ex cancr. fluviatilibus contusis, quæ cum linteis duplicatis imposita non tantum illam sistit, sed præterea omnes inflammationes, erysipelata, & partium vulneratarum dolores lenit & curat: plura vid. apud. Hild. l. pec. de Ichore & meliceria.

§. XXXII.

In tr actatione vulneris, sæpe observatur caro luxurians, quod partim oritur ex ipsa debilitate partis læsæ; quando fibræ aut stamina variis de causis laxata partem reddunt spongiosam, partim & inprimis ex ignorantia Chirurgi. Curatur autem alumine usto vel croco metall.; qui inspersione ulteriorem prohibent accretionem, & integrum tollunt. Illiniri etiam potest ungt. Ægypt. quod in hoc casu non parum laudatur: tentandum autem prius aliis remediis, quam ad illa accedamus, quare seq: pulv. qui nulla vi corrosiva præditus est, inspergi potest: ℞. Rad. Irid. fl. Angel. ℥ß. Aristol. O. Cort. lign. guajac. ana ʒij. M. & insperge postea. Ut seq. applicetur cataplasma, suadet *Hildanus* ℞. Farin. Fabar. & lupin. ana ℥iv. fim. columb. ℥j, pulv. rof. rubr. myrt. balaust. absinth. ana ʒij. sal. marin. ℥ij cum lixivio simplici fiat catapl. quod applicandum bis in die, inspers. prius præscripto pulvere & filamentis adeo contecto, ut nihil humiditatis à cataplasmate ad fungum pervenire possit, ne propter acrimoniam cataplas. fungus irritetur. Quod si non flaccescat & diminuatur ℞. prædicti pulv. ʒij add. alum. usti ℈j vitrioli ust. & pulveris. Mercur. præcip. ana. ℈ß. quibus cum continuari potest, usque dum plane evanuerit. Quam maxime etiam convenit merc. præcip. bene ppt. qui continua inspersione huic malo valde medetur: fieri quoque solet, ut adhibibita omni diligentia & non neglectis optimis remediis gangræna superveniat, vel ex debiliori partium læsarum tono, vel ex prægrandi inflammatione succorumque in vasis incrassatione & stagnatione, quod pessimum signum est: cognoscitur ex dolore qui in principio

minor

minor est, tempore suppurationis autem maximus, qui in fine ejus magis magisque remittit: ex pallore & subsequente partis affectæ livore quæ deinceps mollescit, flaccescit, & cuticula non raro separatur, sensus attamen adhuc adest, quamquam non acutus. Interne conveniunt omnia sudorifera, sanguinis motum promoventia, qualia sunt theriaca diascord. spiritus sal ammoniac. tinctura bezoard. myrr. croc. spiritus vin. camphor. Externe in gangræna incipiente conducit sp. V. cum aloë, myrrh. & camphor. permixtus parti laboranti linteis aliquoties duplicatis calide impositus: citissime autem hisce vel aliis remediis auxilium adferri debet: alias enim in sphacelum degeneraret; si autem inveterata sit nullisque auscultari remediis velit, calx viva cum Mercur. dulc. & sp. vin. calide linteis duplicatis applicetur & sæpius de die renovetur, prægressa partis scarificatione, ut humores exire & medicamenta intimius penetrare queant. Profundius autem fieri debet, si internas membri partes occupaverit, indeque sensus amissus plane aut obtusus fuerit, usque dum sanguis effluat, & vitæ sensusque indicia se sistant; facta scarificatione pars abluatur spiritu vini, in quo theriaca dissoluta est. *Thom. Bartholin.* in M. N. C. admodum extollit Aq. marinam, cui absinthium incoctum est; cataplasma quoque imponi potest seq. ℞ Herb. rut. scord. salv. ana M. jß. summit. absinth. centaur. min. flor. melilot. lavend. ana. pj. Sp. vin. camphorat. gtt. aliqt. Ante applicationem a. illius nonnulli parti affectæ imponunt ungt. basil. cum vel sine theriaca, ungt. Apost. vel digestiv. cum basilicone. Monent quoque ut Chirurgus, quoties ad ægrum accedit, summum Escharæ partem tollere conetur, aut scalpelli acie ad partem usque sanam incidat. Tollitur etiam ungt. basil. vel butyr. recenti. Pars sana conservari debet, ne gangræna latius serpat, ne humores magis affluant, quod fieri potest empl. defensiv. rubro aut cerato Vigonis, aut seq. linimento. ℞ terr. sigill. bol. armen. ana. ℥ß. C. C. ppt. ʒj. camph. ℈j. acet. rosac. ℥j. ol. myrt. ℥iij. album. ovi N. j. vid. *Barbette.* Hirudines & cucurbitulæ locum habent in educendis humoribus, quorum ulterior pro-

 gressus

gressus hisce remediis impeditur: hunc in finem summopere etiam conducit butyr. antimonii toti circumferentiæ in parte sana illitum. Quodsi autem inter angustos contineatur terminos, ut cauterio actuali occurri possit, præ cæteris illud præferendum, impr. quæ ex ictu venenato ortum duxit; si vero in sphacelum jam degeneraverit & periculum est ne interea ulterius proserpserit, pars mortua à vivente in integrum est separanda & amputanda: & si quid adhuc de phacelo supersit, illud cauterio actuali aduratur. Quomodo machinæ artificiales confici & in membrorum extirpatorum locum substitui queant, *Taliacotius in tract. de curtorum chirurgia* satis abunde tradit. Reliqua symptomata, quæ interna potius requirunt medicamina, jam non tractabimus, quia ad Chirurgum proprie non spectant, ideo illorum curam prudenti Medico in auxilium vocato relinquimus.

§. XXXII.

Non parum curationem adjuvant ipsa diæta, quæ in usu sex rerum non naturalium, vulgo dictarum, consistit, qui conveniens esse debet constitutioni seu temperaturæ. Aër igitur nec nimis frigidus nec nimis calidus sit, sed temperatus potius, serenus, ventis perflatus; cibus & potus sint laudabiles, bonæ digestionis, quique pravis symptomatibus omnem abscindere ansam queunt: non assumantur simul & semel in majori copia, præstat sæpius & parce illis frui: nam secundum *Hipp.* vulneratos fame & siti cruciare oportet: à vino autem abstineat æger, præterquam enim quod aciditate sua nervoso generi inimicum, etiam interna viscera excalefacit, incendit & dolores adauget, cpr. autem ubi inflammationis suspicio adest; loco itaque ejus in usum vocari potest cerevisia vel decoctum ex vulnerariis & nervinis conflatum, cui circa finem curationis aliquid vini admisceri potest, ad corroborandum ventriculi tonum. Somni & vigiliarum recta instituatur ratio: motus sit moderatus, quies autem solito major, cumprimis parti vulneratæ, convenit. Alvus si non respondeat, clystere potius aperta servari debet quam medicamento purgante, quod

motum

motum humoribus majorem infert. Venus autem, ceu maxima inter excreta & retenta cane & angue pejor eſt, ideoque omnibus vitanda modis, tam colloquio quam lectura, quæ ideam quandam jucundam poſtea excitare valent: quam non raro inſequuntur pollutiones nocturnæ, aliaque mala plura; quare Poeta optime cecinit:

Sed fugitare decet, ſimulacra & pabula amoris
Abſterrere ſibi atque alio convertere mentem.

Menſtrua & hæmorrhoides obſerventur, eorum enim obſtructio, vel nimius fluxus miras ludunt ſcenas. Quid autem paſſiones animi efficere valeant, in ſuperioribus quandam mentionem jam fecimus: moderati ſimus in earum uſu, abuſum caveamus, homineſque nos præbeamus quibus mens ſana eſt etiam in corpore ægroto.

§. XXXIII.

Et hæc ſunt L. B. quæ impræſentiarum de læſione tendinum tradere voluimus, plura equidem reſtare ingenue fateor, quorum ulteriorem extenſionem circumſcripti Diſſertationis hujus limites non conceſſere. Plura inibi reperies mutila, manca, nulla methodo ac ordine concinnata, nec pauca quæ ſordida ac incompta involvuntur oratione; ſed hominem me eſſe credas, qui nullus dubitat, quin plurima inibi contineantur, quæ iſtud humanum quam facillime in apricum ponere poterunt. Juvenem me eſſe ſcias, cujus mentum honorabili nondum ornatum eſt canitie, qui propria experientia deſtitutus impar eſt ad debitam difficillimi hujus thematis enucleationem. Non erubeſcam ſi devium in rectam viam reducere L. B. velit: quem ſumma cum obſervantia rogamus, ut leviuſcula hæc ſerena fronte aſpiciat, & de iis benignum ferat judicium, memor iſtius, quod *Seneca* dicit *lib. de ira c.* 9. *Nemo eſt mortalium quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc contagem ex ipſa mortalitate traximus*;

Fig. I.

Fig. I. *Musculorum gasterocnemiorum portionem inferiorem repræsentat, tendinis sutura adhibita.*

A. *Dictorum musculorum portio carnosa, nullis additis vasis sanguifluis.*

B. *Calcis portio posterior, in quam dictorum musculorum tendo inseritur.*

C. *Tendo transversim abscissus & suturæ ope unitus.*

D. *Filorum sericorum nodus.*

E.E *Frustula quadrata ex corio crassiori confecta, quibus sutura firmatur.*

F. *Filum sericeum duplicatum.*

Fig. II.

A. *Arteriolarum reptatus per membranam investientem infimam partem dictorum musculorum.*

B.B. *Ramuli dispersi per membranam, quæ tendinem ambit.*

C. *Ramuli arteriosi, subtilissimi, ceracea materia infarcti & recto fere tramite decurrentes inter fibras tendinem constituentes.*


Fig. III.

A. *Acus filum sericeum duplicatum trahens.*

B. *Filum sericeum duplicatum modice crassum.*



RE-



IX.

RELATIO MEDICO-CHIRURGICA

DE

LUXATIONE OSSIS HUMERI.

Ego NN. Chirurgus juratus Parisiensis hisce refero, quod hodierno die, qui 19. Februarii A. 1690. erat, Hubertus Pivotel vesperi circa horam 8. me convenerit, ut eundem ob luxationem humeri, quâ de scala 10. graduum præcipitatus corripiebatur, deligarem. Luxaturam inspiciens præter insignem contusionem os humeri è suo acetabulo excidisse vidi. Facta igitur sufficienti extensione caput ossis humeri in dictum acetabulum reposui & peracta deligatione V. S. administravi, imperando simul quietem & diætam laudabilem, quò symptomatibus tali in casu familiaribus, febri sc. inflammationi & similibus, tempestivè obviam eatur. Interim intra 18.

ad

ad 20. dies laboribus suis ordinariis defungi non poterit. Sign. Lut. Parisiorum, die & anno supradictis.

Reliqua ad CURAM necessaria vid. in seq. *De Luxationibus* Disputatione Inaugurali *D. D. Volmari*, Helveti, Marburgi olim habita.

THES. I.

Cum juxta *Xenophontem in Oeconom.* ὐδὲν ὕτως ὔτε εὔχρηστον ὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις; nostram hanc ζήτησιν quoque certa methodo certoque ordine pertractabimus, & monitum *Aristotelis l.1. Physic.c.1.* secuti, à generalioribus exordium ducemus: quid, qualis & quotuplex sit significabimus. Ad specialiora post descendentes, Differentias Luxationum, earundum signa, tam Diagnostica, quàm Prognostica & curationem considerabimus.

II.

Describitur verò Luxatio, (Græcis ἐξάρθρημα, ἐξάρθρωσις, ἔκπτωσις καὶ ἔκπτωμα, monente *Valeriola in Append. loc.comm.c.6.* dicitur) quòd sit articuli è propria sede versus alienam partem decessus, sive prolapsus, cum motus arbitrarii impedimento, referente *Gal. lib. de diff. morb. c.10. & Paulo l.6.c.3.*

III.

Quia autem in hac definitione seu descriptione mentio fit articuli, necesse est scire quidnam intelligatur hoc in loco per articulum, cum *Galeno lib. de oss.* sit τὸ ἄρθρον σύνταξις ὀστῶν φυσική: Articulus naturalis ossium compositio. Hoc clare *Galenus comm. l.1. de artic. Hippocr. text. 1.* docet, dum scribit, non quiddam aggregatum ex duabus ossium extremitatibus invicem connexis, sed caput articuli

ticuli ſolum intelligendum eſſe. Et *comm.* 3. *in lib. de fract.* εἰκότως ὁ Ἱπποκράτης τῶν διαρθρωμένων ἐςῶν ἀλλήλοις ἄρθρον ὀνομάζειν εἴωθεν, ἐ τὸ ὑποδεχόμενον τὴν πλησιάζουσαν ἐξοχὴν ἀλλὰ τὸ ςηριζόμενον ἐν τῇ κοιλότητι, jure Hippocrates articulationem oſſium inter ſe junctorum articulum vocare ſolitus eſt, non id quod eminentiam excipit, ſed in alterius cavitatem firmatur. Plura ſi vis loca, *Föeſii* diligentiſſimi *Oeconomiam Hippocraticam* adi.

IV.

Cui vero affectuum p. n. claſſi accenſendum ſit hoc malum? videndum. *Galenus* ad morbos organicos & quidem ad ſitum præter naturam refert, *lib. de differ. morb. c.* 10.

V.

Sed quo propius jam ad rem ipſam accedamus quæ potiſſimum ſint cauſæ, indicabimus: Ἀδύνατον γὰρ εὑρεῖν τὴν θεραπείαν τὴν αἰτίαν μὴ διεγνωκότας πρότερον τῆν νόσου ποιον. Impoſſibile namque eſt curationem invenire, niſi morbi effectrix cauſa prius ſit comperta, monente *Alexandro Tralliano* Anthemii Mechanici fratre. Cauſam igitur quod attinet, cauſæ ſtatuuntur omnia illa quæ vel τάσει vel ὤσει βιαίᾳ, tenſione ſcil. vel impulſione violenta valent, teſte *Gal. Lib. de cauſ. morb. c.* 10. Præcipuè verò etiam partium à quibus continetur laxitas vel ſoluta unitas huc pertinet.

VI.

An vero & inflammatio poſſit eſſe cauſa luxationis, quæritur? Nonnulli planè negant ideò, quòd inflammatio ſit intemperies, Luxatio verò mala conformitatio. Deinde quòd curatio inflammationis nihil faciat ad curandam luxationem. Sed nos affirmativam approbamus, & ſtatuimus inflammationem poſſe luxationis cauſam eſſe, verùm non per ſe, ſed per accidens, quatenus ſcil. propter vicinas partes inflammatas fit affluxus ad tendines & ligamenta, quem luxatio facillimè ſequitur. Quapropter reſpondemus ad negativam, inflammationem per accidens luxationis cauſam eſſe poſſe. Deinde inflammationis curationem per ſe quidem non inſervire curationi luxationis, per accidens tamen

necessariam esse tanquam restitutionis impedimentum, quod removendum venit.

VII.

Sequuntur nunc Differentiæ Luxationis, quæ variæ sunt. Alia enim est *à causis externis*, ut ictu, lapsu, extensione violenta, percussione, saltu, cursu, quibus articuli sæpius suis sedibus exilire coguntur. Aliquando etiam in ipso partu brachia vel crura, imprudentiâ Obstetricum, dum ab illis cum violentia quadam infantes extrahuntur, luxari posse experientia testatur.

VIII.

In ipso utero materno ex percussione, casu, compressione, infantibus ossa luxari posse, refert *Hippocrates lib. 3. de artic. text.* 88. & *l.* 4. *de artic. text.* 2. *&* 3.

IX.

Luxatio alia quoque est à causis internis, ut dum humor in cavitatem articuli prolapsus & ligamenta dissolvens ac madefaciens laxiora reddit, eumque à sede sua expellit, referente *Valeriol. in App. loc. comm. c.* 6. Verùm humorem non tanquam causam efficientem, sed tanquam adjuvantem & mediatam admittimus; facit enim ut luxatio eò facilius existat, madefaciendo, relaxando, & reddendo ligamenta lubrica, quibus ossa colligantur, ut apparet aliquando in Ischiatico dolore & gibbositate, animadvertente *Hippocr. l.* 6. *Aph.* 59. *&* 60. *M Fabricio Hildano Cent.* 8. *obs.* 100. *p. m.* 633. Imò Dictator noster *Hippocrates l. de artic. p.* 825. scribit, πολλὰ ἐξαρθρήματα γίνεται ἐν νόσοισιν.

X.

Est etiam Luxatio alia perfecta, imperfecta alia. Interdum enim longè amplius, interdum verò πολὺ ἐλάσσονα ὀλισθάνει τὰ ἄρθρα juxta *Hippocr.* περὶ ἄρθρ. *p.* 827. Perfecta est quando articulus totus sua sede excidit, quæque etiam propriè Luxatio vel Dislocatio dicitur. Avicennæ interpres integram & plenam hanc luxationem dislocationem vocandam censet. Cum verò ex parte saltem & usque ad sinus acetabuli marginem articulus prolabitur, imperfecta

vel

vel incompleta Luxatio existit, quæ Græcis παράρθρημα, Latinis Subluxatio, Extensio Frambesario, junctura separatio & torsio Avicennæ Interpreti dicitur. Utraque species quatuor modis fit, in parte anteriore, posteriore, interiore vel exteriore.

XI.

Potest differentia Luxationis etiam à subjecto desumi, quòd scilicet ossa, quæ luxantur, conjungantur vel per Συνάρθρωσιν, quæ est σύνθεσις ὀστῶν οὐ μὲν ἐναργῆ τὴν πρὸς ἄλληλα κίνησιν ἐχόντων, cum motu nec manifesto nec adeo magno, sed obscuro & nullo: cujus tres sunt species Ἴδια τρία, ῥαφὴ, Ἁρμονία, γόμφωσις. In στεφανιαίᾳ ῥαφῇ σαφεστάτην κίνησιν manifestissimum motum se observâsse scribit *Galen. l. 13. m. m. c. 22.* Ὅτι χαλαρὰ τοῖς ἀνθρώποις ἐκείνοις ἡ σύνθεσις τῶν ὀστῶν τῆς κεφαλῆς, quia compositio ossium capitis his hominibus admodum laxa. Confirmat id ipsum *Marchettis in Anatom. contra Riolan.* & *Bartholin. Cent. 5. histor.* 92. Ast *Columbus l. 1. c. 4.* ait, *Galenum* deceptum à motu cutis frontis & capitis, nec naturaliter vix ullum motum illis ascribendum affirmat *Rolfinck. l. 2. c. 22. dissert. Anat.* cùm nulla vi possint divelli; Vel per Διάρθρωσιν, quæ est σύνταξις ἐναργῆ τὴν πρὸς ἄλληλα κίνησιν ἐχόντων, cum motu manifesto, in qua Luxatio propriè contingit, juxta *Barthol. l. 4. anat. reform. c. 1.* Hujus Διαρθρώσεως tres sunt species: 1. Ἐνάρθρωσις, cum excipiens cavum admodum est, caputque quod in id inseritur oblongum, sic conjungitur os femoris cum Ischio. 2. Ἀρθρωδία, quæ cavum leviter & in superficie & caput depressum habet & occurrit in articulatione radii & humeri. Ad hanc speciem refert *Rolfinck. dissert. Anat. l. 2. c. 2.* Articulationem τροχοειδῆ, in prima cum secunda vertebra occurrentem contra *Fallopium*, qui peculiarem & distinctam inde fabricavit differentiam. 3. Γίγγλυμος, quo ossa invicem ingredientia conjunguntur, qui est simplex vel compositus. Hunc compositum *Andr. Vesalius* non admittit.

XII.

Quantum ad signa, sunt illa vel Diagnostica, quibus ipsum morbum cognoscimus, vel Prognostica, quæ de eventu morbi testantur.

tur. Διαγνῶναι γὰρ χρὴ τὰ παρόντα, προγνῶναι δι᾽ ἐξ αὐτῶν τὰ γενησόμενα τὸν μέλλοντα χρήσεσθαι βοηθήματι δραστηρίῳ: Dignoſcat namque quæ præſentia ſunt, & prænoſcat, quæ ex illis futura ſunt, oportet, qui efficaci remedio uti vult, inquit *Galen. l.* 10. *m. m. c.* 6.

XIIII.

Signa Diagnoſtica. Articulus cùm fuerit luxatus facile viſu & tactu cognoſcitur, membri enim in ſitu, figura, longitudine diſſimilitudo obſervatur. Cumque omnes articuli, teſte *Galen. l.* 1. *de uſ. part. c.* 15. motui voluntario inſerviant, jam verò quòd ſi luxatio partis accidat, & quidem perfecta, motum tunc penitus aboleri neceſſe eſt. At ſi eſt incompleta, poteſt quidem paululum moveri, ſed tamen cum dolore, ac difficulter, referente *Lud. Mercato inſtitut. de Arte lux. c.* 8.

XIV.

Cognoſcitur quoque Luxatio ex tumore partis, in quam prolapſus eſt articulus, imò & ex cavitate loci è quo prolapſus eſt, notante *Celſ. l.* 8. *c.* 11. Dolet quoque locus in quo verſatur articulus cum vehementer os premit carnem & diſtenduntur ligamenta, niſi valdè humidus ſit ac laxus. Videmus enim eos qui valdè humidi ſunt, ſine dolore ſibi aliquos articulos & expellere & reponere, teſte *Gal. l.* 1. *de artic. comm.* 9. quod autem non evenit ſiccioribus, his enim & difficulter exeunt, & difficulter reponuntur.

XV.

An Luxatio à cauſis externis facta ſit, ex ægri vel familiarium relatione patefiet, luxatioque, quæ inde provenit, ſubitò fit. Quæ vero luxatio ob ligamentorum laxitatem accidit, ſenſim fit, & luxatum membrum huc atque illuc inordinatis motibus movetur atque vacillat, uti refert *Sennert. l.* 5. *prax. p.* 6. *c.* 1.

XVI.

Membrum verò luxatum cum ſano ſemper inæquale in ſitu, figura & longitudine fiat, ſemper juxta *Avicenn. l.* 4. *fen.* 5. *tract.* 1. *c.* 2. illud cum ſano, quod verò nullum vitium habeat, comparare oportet, ut humerum cum humero, cubitum cum cubito, ſicuti etiam

Hippoc.

Hippoc. in prooem. *Medicatrinæ & l.*1. *de artic.text.*34. præcipit. Luxatis quoque omnibus ossibus est commune, ut alterum extremum semper ad locum contrarium illi declinet, in quem alterum excessit, observante *Galen.comm.*3. *in lib. de Artic.c.*70.

XVII.

Quantum ad Prognostica, uti enim in aliis morbis, ita etiam in hoc, teste *Hippoc. & Gal. l.*1. *prognost. in proœm.* necessaria sunt. Scire enim oportet qui articuli citra noxam, & qui contrà cum periculo restituantur, ne Medicus, si os non reponat, habeatur artis imperitus: Necesse igitur est, ut diligenter observet, qui casus periculosi, qui tuti, qui sanabiles, qui articuli mansuri sint in suo loco, qui verò levi de causa iterum elapsuri, quò magis æger sibi cavere possit, monente *Vid.Vid.l.*7.*de curat.generat.c.*6. Artis enim non exiguæ est curam luxatorum ossium salutariter corpori impendere, siquidem is, cui hoc præsidium ab audacia, vel non satis noscit positum figuramque cujuscunque commissuræ, vel lædit facilè tumultuario suo opere, tendines, nervos, venas, arterias, quæ nullibi quàm circa articulos frequentiores, uti *Tulp.l.*1.4.*c.*49. pronunciat.

XVIII.

Omnis luxatio statim reponenda, *Hippoc. de fract. p.*778. inveteratæ enim luxationes & quæ jam callo obduruerunt, nunquam, vel certe difficillime curantur, imo sæpe in vitæ discrimen adducunt ægrum, qui tales luxationes contendunt reponere, propter symptomata tunc supervenientia, notante *Guidone de Cauliaco*: Optime *Hippocrates de artic.*64. omnes articulos dislocatos, dum adhuc à dislocatione calent, si fieri potest, reduci jubet. Et *Fallop. de luxat. c.*3. moneo inquit, vos, ut habeatis semper rationem temporis ad summum non excedentis diem tertium, quo præterito est expectandus terminus inflammationis & tempus usque quò non sit periculum de inflammatione. Quod & *Scultet.* in χειρπλοθ. asserit *p.* 18. *column.* 2.

XIX.

Quibus τὰ ἄρθρα πολὺ πλεῖον ὀλισθῇ ἢ ἐκπέσῃ χαλεπώτερα ἐκβάλλειν τὸ ἐπίπαν ἐστὶ καὶ ἣν μὴ ἐμβιβασθῇ μείζους καὶ ἐπιδηλοτέρας τὰς πηρώσιας καὶ κακώσιας ἴσχει τὰ τοιαῦτα, καὶ ὀστέων, καὶ σαρκῶν καὶ σχημάτων *Hippocr.* περὶ ἄρθρ. p. 827. *edit. Foes.* i. e. articuli luxantur aut excidunt longè amplius, majore molestiâ in totum reconduntur, ac nisi reponantur, in his ossa, carnes corporis habitus & magis ac manifestius debilitantur & depravantur.

XX.

Os luxatum facilius restituitur si corpus gracile, humidum, si ligamenta debilia, teste *Cels. l. 8. c. 11.* Et *Hipocr.* ac *Galeni comm. 1. in lib. de artic. c. 27.* Τοῖσι εὖ ἔχουσι τὸ γυῖον καὶ σεσαρκωμένοισιν ἐκπίπτει τε ἧσσον, ἐμπίπτει τε χαλεπώτερον: Luxationes in corporibus bono habitu præditis & corpulentis ægrius accidunt, difficiliusque reponuntur ossa luxata, contra in extenuatis p. n. *Hippocr. p. 784. Edit Föes.*

XXI.

Periculosa quoque luxatio, quæ cum inflammatione & dolore est; quod si hisce non prius prospiciatur, antequam articuli repositio tentetur, metuendum est, ne ex distentione nervorum convulsio vel aliud periculosum malum oriatur.

XXII.

Periculosissimæ etiam sunt luxationes cum vulnere, præsertim si articulo vulnus sit vicinum, quia non solum restitutione sunt difficiles, sed etiam, quia, si quis insistat in illis reponendis, facile ex distentione nervorum & musculorum, dolor inflammatio, convulsio, febres acutæ excitantur, unde præstat, cum minus sit malum, ægrum mutilatum relinquere, quàm in vitæ discrimen adducere, uti rectè monet *Lud. Mercat. instit. de art luxat. c. 9.*

XXIII.

Dislocatio in qua ruptæ sunt margines acetabulorum ossis pessima est, quia articuli repositi in locum suum diu hærere non possunt

possunt, sed levi occasione excidunt, referente *Guidone de Cauliaco.*

XXIV.

Costarum subluxatio, à defluxu humorum orta, sponte potest restitui, observante *Thoma Barthol. centur.* 1. *histor.* 22. & *cent.* 4. *histor.* 66.

XXV.

Luxata membra, quæ reponi non possunt, minus aluntur, quia tam vasa quam musculi in ipsis distorta sunt, *Galen. comm. in lib. de artic.*

XXVI.

Si articulus magnus luxetur, ita ut sit vel detectus, vel extra pellem parum protrusus, affectus est θανάσιμος: quam vocem *Hippocrates* duplici in significatione usurpat, explanante *Gal. comm.* 5. *aphor.* 2. & *comm.* 6. *aphor.* 18. Dicitur lethale, quod ἐξ ἀνάγκης καὶ διὰ παντὸς ἐπιφέρει ὡς θάνατον vel quod πάνυ πολλάκις καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ mortis causa est, idemque est quod κινδυνῶδες: qua ultima in significatione vocem θανάσιμον accipimus.

XXII.

Luxatio cum vulnere & osse detecto non est reponenda sine ægri & astantium consensu, *Anonym. in Analect. Ioh. Rhod. lib. Septal. caut. med. l.* 8. nam mortem repositus articulus, cumprimis τῆς κνήμης, καὶ τοῦ πήχεως, intra paucos dies inferre solet, monente *Hippocr. l. de artic. p.* 828. ἐμβληθέντος τοῦ ἄρθρου καὶ ἐμμείναντος ἀποθνήσκουσι.

XXVIII.

Aliquando etiam evenit, ut fractura cum luxatione conjungatur, teste *Ionstono l.* 5. *Id. med. pract. tit.* 2. *c.* 4. *artic* 8. *Chalmetheo Enchir. chirurg. c.* 2. *l.* 4. *& aliis,* ubi tunc probe videndum, si fractura prope articulum est, an articulus quoque fuerit luxatus nec ne, ne dum Medicus fracturam curat, luxationem negligat, quod sæpe à Chirurgis negligentibus factum est, quale etiam exemplum tangit *Sennert. l.* 5. *prax.*

XXIX.

XXIX.

Hactenus de Essentia, Causis, Signis tam Diagnosticis, quam Progn osticis hujus mali: Superest ut quibus præsidiis profligari, & ne iterum accidat, præcaveri possit, determinemus.

XXX.

Via sanationis una tantum est, & per ἀρθρεμβολὴν perficitur, qua os restituitur quod suo loco excessit. Hinc Herophilus magnum artis medicæ lumen, teste sexto Empirico, Diodorum Cronum luxatione humeri laborantem & tamen motum dari negantem, lepidè excepit cum repositionem articuli ab eo peteret, qui restituam, inquiens, cum motus non detur. Hæc vero repositio non potest fieri à natura, uti testatur *Gal. lib. de constit. art. c.* 12. sicut pleraque alia opera, referente *Hippoc.* 16. *Epidem.* 1. sed ab arte; manu duntaxat medica reponuntur articuli prolapsi. componuntur ossa fracta, conjunguntur quæ præter naturam sunt diducta, separantur quæ coierunt.

XXXI.

Curatio igitur hujus mali perficitur variis modis, ἀντιτάσει ἀπευθύνσει ἢ καταρτήσει, δέσει καὶ ἀποθέσει: scil. Extensione, Repositione, Deligatione ac membri repositi confirmatione & collocatione, referente *Galen. l.* 1. *de fract. comm.* 1.

XXXII.

Cum vero multa hic occurrant symptomata, ut sunt dolor, teste *Cels. l.* 8. *c.* 11. & *Avicenn. l.* 4. *fen.* 5. *tract.* 1. *c.* 5. inflammatio, distentio nervorum id est, ligamentorum, quæ apud Celsum per nervos intelliguntur, observante *Foresto l.* 9. *obs. chirurg. in schol.* & alia quibus, tentari solent articuli, necesse est, ut præcaveantur. Hisce enim jam præsentibus neque extendere, neque etiam reponere membrum licet, sed exspectandum donec dolor, inflammatio aliaque supervenientia mala leniantur, monente *Cels. l.* 8. *c.* 11. abstinendo ab astringentibus, animadvertente & attestante *Guidone, Anonym. in Analect. Ioh. Rhodii. in L. Septal. l.* 8. alias enim æger in exitum præcipitaretur. Præstat igitur partem

partem fovere cum aqua calente, vel cum aqua & oleo amygd. dulcium, chamæmel. lumbricor. violaceo, vel rosaceo & aliis.

XXXIII.

Oportet igitur ante omnia membrum extendere, teste *Galen. l.* 1. *de fract. comm.* 1. ut ad pristinam longitudinem redigatur, uti idem refert *lib. de constit. Art. c.* 14.

XXXIV.

Extensio autem perficitur nunc solis manibus, qui modus dicitur Palæstricus, sic dictus ab eo quòd in Palæstra usitatus esset: nunc instrumentis, ut laqueis, scalis, vel etiam aliis, ad quæ laquei alligantur, referente *Hippocr. l.* 4. *de artic. l.* 62. qui modus dicitur methodicus: nunc etiam organis & machinis quibusdam singularibus, annotante *Oribas. lib. de machin. c.* 678. qui modus dicitur organicus. Hi duo postremi modi ab aliis sub medico comprehenduntur.

XXXV.

Ut autem ἀντίτασις eò accuratius peragatur, prodest, si membrum aliquandiu luxatum foveatur fomentis ex decocto sem. lini, violar. malv. chamæm. bismalv. & oleis emollientibus & calefacientibus. Leniter verò & blande pars tractanda, ut citra dolorem possit extendi, ad quod juvandum, convenit ol. amygdal. dulc. cum adipe gallin. aliisque similibus. *Spigelius* in publicis lectionibus narravit, ad hunc scopum obtinendum tantum posse balneum aquæ dulcis, ut eo nihil sit præstantius, observante *Sculteto in Armam. Chirurg. p.* 19. *columm.* 1. Utitur etiam *Hippocr. l.* 4. *de artic.* 64. leni motu articuli ad relaxandam juncturam, & antequam reponatur, & postquam repositus ac confirmatus est, ad duritiem molliendam.

XXXVI.

Debent quoque Extensiones luxationum, quæ per tractionem in diversas partes fiunt, quàm rectissimè fieri, in quibus servanda rectitudo, tum ratione ossium, tum ratione ligamentorum & musculorum propter fibras. Hac enim servata rectitudine extensio sine

dolore & difficultate ſuccedet, *Scultet. l.c.* In extenſione probè facta ſuperveniens animi deliquium operationem non impediet, inculcante *Anonym. in Analect. Rhod. ad Septal. Caut. med.*

XXXVII.

Membrum luxatum cùm jam ſatis fuerit extenſum, in ſuum locum iterum reponendum eſt, juxta *Galen. l.3.meth.cap.1.*

XXXVIII.

Conſiſtit verò ἀπένδυσις ἢ κατόρθωσις, ſeu Repoſitio in eo, ut articulus eâdem viâ, quâ exceſſit ad ſuam juncturam revertatur, ſed contrario modo: nam quod in diſceſſu primum fuit, illud jam in reditu poſtremum eſt. Ex. Gr. quod verſus anteriora excidit, verſus poſteriora, quod verſùs poſteriora elapſum eſt, verſùs anteriora impellendum eſt. Obſervare igitur Ἐνέμβολος debet, monente *Galeno*, ubi dislocatio articuli initium ſumpſerit, quo prodierit, ubi conſtiterit.

XXXIX.

Repoſitionem autem blandè & placidè adminiſtrandam eſſe, monet *Ludovic. Mercat. ſup. cit. libr. c.* 12. ne ſcil. nova contuſio vel attritio fiat, inter unius oſſis caput & alterius ſinum, quia hujus ora ſive margo atteri atque frangi ſolet, unaque venæ, arteriæ, nervi, muſculi, atque cutis detrimentum capiunt, unde dolores atque inflammatio aliaque ſymptomata mala excitantur.

XL.

Articulum in ſuum locum repoſitum eſſe cognoſcitur ex ſono, qui ſæpe exauditur, dum articulus reponitur, ſed huic ſoli ſigno non fidendum eſſe refert *Sennertus*. Imò fallax ſignum eſt, cùm ſtrepitus interdum etiam fiat à nimia extenſione, vel dum è mutua oſſium colliſione oſſis ſupercilia rumpuntur.

XLI.

Imprimis vero colligitur articulum repoſitum eſſe ex officio ſeu munere ipſius membri, cùm iiſdem iterum operationibus fungitur, quibus ſolebat dum ſanum adhuc eſſet. Ex ſimilitudine quoque etiam patet ſi ſimilis eſt ſano figurâ & longitudine; unde *Hippocr.*

l.3.

l. 3. *de offic. text.* 24. Et *l.* 1. *de artic.* 34. ex collatione cum ſanis juncturis, voluit tam prolapſos, quàm reconditos articulos deprehendi. Inſeparabile autem ſignum reſtituti articuli eſt doloris remiſſio; ſemper enim dolor ſedatus ſignum eſt reſtituti oſſis, non autem ſequitur reſtitutum eſt os, ergo dolor ceſſat, quia aliquando ob valdè læſos muſculos manet, docente *Sculteto Armam. Chirurg. p.* 19. & *Benedict. Sylvat. conſil. & Reſponſ. cent.* 3. *conſil.* 89.

XLII.

Articulus igitur ubi jam fuerit repoſitus, neceſſe eſt ipſum confirmare ne rurſus elabatur, referente *Galen. l.* 1. *de fract. comm.* 1.

XLIII.

Confirmabitur autem ſi membrum inungatur ol. roſar. myrtino, maſtichino & pannus lineus roſaceo delibutus applicetur, dein ſtuppæ albumine ovorum & pulvere aſtringente admoveantur, διέσει convenienti ligetur & fulciatur faſciis ac fulcris idoneis, docente *Avic. l.* 4. *fen.* 5. *tract.* 1. *c.* 5. *Fallop. tract. de luxat. c.* 5. *Chalmetheo Enchir. Chirurg. l.* 4 *c.* 2. *Tagautio & Guidone.*

XLIV.

Ἐπιδέσματα ſeu faſciæ maximè ad hanc rem idoneæ ſunt, quibus ſolis os coccygis à partu luxatum reſtituit *Adrian. Spigelius* Anno 1624. atteſtante *Johanne Rhodio Cent.* 3. *obſ.* 80. Hæ fiunt ex linteis ſciſſis, referente *Galen. lib. de faſciis in proœm.* tenues, molles, mundæ, monente *Hippoc. l.* 2. *de offic. text.* 19. & 26, *p.* 744. hac enim ratione locum affectum commodè aſtringunt, & non nimis onerant. Ελίξιος κεφαλαὶ σκληραὶ, ὁμαλαὶ, æquales, ut æqualiter conſtringant, mundæ ut humores ex articulo reſudante cognoſcantur, *Hippoc. l. c.*

XLV.

Quoad quantitatem faſciarum, debent eſſe longæ, latæ pro magnitudine partis affectæ, uti refert *Gal. lib. de faſciis in proœm.*

XLVI.

Quantum ad longitudinem fasciarum, plerumque longitudo sufficit quatuor aut quinque cubitorum, teste *Hippoc. l.3. de officin. text.* 7. Latitudo totidem digitorum ejusdem hominis. Crassitudo vero debet esse tanta, quantam efficit linteum triplex, aut quadruplex, juxta *Hippocr. l.3. de officin. text.* 1.

XLVII.

Τὰ ἐρμάσματα, ἢ στηρίγματα, fulcra, si adhibentur, necesse omnino est plures fascias primis, (quas *Hippoc. l.1. de fract. text.* 31. & *Galen. comm.* 32. ὑποδεσμίδας, quod subjiciantur aliis fulcris atque fasciis, nominat) quæ ad continendum adhibitæ fuerunt, superaddere, (quæ ab *Hippocr.* ἐπιδεσμίδες *l.3. de offic. text.* & *Galen. in comm.* quod aliis partibus superdentur, nominantur) quo magis firmentur fulcra, monente *Galen. lib.* 1. *de fract. comm.* 36. Fasciæ vero ita alligandæ sunt, ut aptè inhæreant, opusque perfectè, cujus gratia adhibentur, efficere possint; multum enim interest ad vinculi stabilitatem, qua parte principium fasciæ collocetur. Quapropter etiam Veteres Medici certas sedes statuerunt, unde vinculum inciperet, quod videre est apud *Hippocr. l.* 2. *de Medicat. text.* 16. *&* 17. Et *Gal. lib. de fasciis in proœm.*

XLVIII.

Fascias igitur dum adhibemus, maximè necesse est, ut observemus, ne nimis junctura arctetur, ne dolorem atque inflammationem concitet; cumprimis! ossa puerorum non sunt arctè liganda, quia tenera, inculcante *Holler. instit. chirurg. l.1. c.2.* Neque etiam laxius fascia alligetur, ne firmitate careat, & quod propositum est, non satis efficiat. Moderatione ergo opus est, ut nimirum rectè insideat, non tamen comprimat, quod cognoscitur ex eo, quod homo, cui fasciæ applicantur, primo die dicet se premi, posteriori minus, tertio ferè nihil, uti rectè refert *Hippocr. l.* 1. *de fract. text.* 38. 39. *&* 40.

XLIX.

Νάρθηκας ſeu ferulas, (quæ inſtrumenta à ferula ſumuntur, unde etiam nomen apud Græcos & Latinos traxerunt) ſi opus ſit & membri figura ac ratio patiatur, Hippocrates & *Celſus* adhibent, vel etiam canales è denſa charta, vel corio vel alia convenienti materia, notante *Sennerto l.5. prax. p. 6. c.* 1. *Chalmeteo Enchir. Chirurg. l.c.* & aliis: quò magis firmetur vinculum, & articulus, qui jam reſtitutus eſt, eo melius contineatur, monente *Gal. l.* 4. *de officin. comm.* 11.

L.

Quales autem debeant eſſe ferulæ *Hippoc. l.3. de officin. text.* 11. refert, λεῖοι, ὁμαλοὶ, σιμοὶ κατ᾽ ἄκρα, ſcil. leves, ne onerent, æquales, ne exaſperent, facile etiam flectantur, ne premant, explanante *Gal. in comm.*

LI.

Poſtquam ergo articulus jam fuerit extenſus, repoſitus & deligatus, præſtat ut quieſcat, & immobilis ſervetur, & dicitur Græcis ἀπόδεξις, quæ fiet, ſi rectè collocetur, teſte *Hippocr. l.* 1. *de fract. text.* 51. & 52. Nam *Hippocr. l. c.* κατ᾽ ἰητρεῖον κεῖσθαι χρὴ ἐν σχήματι ἀπόνῳ τῷ κατὰ φύσιν. αὐτὴ γὰρ ἡ δικαιοτάτη φύξις. *Hippocr.* περὶ ἀγμ. *in princip.* Collocandum autem membrum molliter, æqualiter, & in ea figura quam natura & conſuetudo poſtulat, ut quieſcat. Ut verò in continua quiete pars retineatur, Veteres perforârunt lectum & ſtragula, quo ægri per illud foramen alvum urinamque excernerent, ne moveri cogerentur, obſervante *Sculteto in Armam. Chirurg. l.c.*

LII.

Membrum autem luxatum immotum ſervandum uſque ad quartum vel ſeptimum diem, niſi pruritus, dolor, vel aliud ſymptoma accedat. Ubi vero pruritus accidit, leniter ſolvenda ſunt vincula, & pars affecta fovenda cum decocto roſarum modicè calente. Et, ſi ſimul etiam adſit dolor, is mitigandus oleis conveniem

venientibus, ut ol. rosar. mastichino; chamæm. & similibus, monente *Lud. Mercat. instit. de art. luxat. c.* 15.

LIII.

In Luxationis recidiva non urendum circa partes nervosas, quibus ignis est inimicus, *Holler. instit. Chirurg. l.* 1. *c.* 2. & *Heurn. in l.* 6. *aphor.* 60. *Hippocr.* Et *Veget. Renatus de art. Veterin. l.* 1. *c.* 28. ustionem in luxatis planè damnat, cùm perpetua debilitas consequatur. In coxendicis tamen luxatione, ubi acetabulum humoribus repletum, laudat *Hippocr. l.* 6. *aphor.* 60. ustiones, quarum egregios successus verissimè vidit *Guil. Fabric. Hildan. observ. Chirurg. cent.* 6. *obs.* 100. & ante eum *Serapio* 4. *Breviat. c.* 26. & *Albucasis l.* 1. *c.* 43. Intelligit autem Hippocrates ustionem non tam partis affectæ propriam, quàm superiorum aliarum partium, uti constat è *lib. de intern. affect. Hippoc.* inculcante *Marco Aurelio, Severino Pyrotechn. chirurg. l.* 2. *p.* 1. *de Exopyr. c.* 105.

LIV.

Verum enim verò cum & Luxatio aliquando accidat cum fractura aut vulnere, præstat omnino etiam de his aliquid agere. Si igitur luxatio accidit cum fractura, duplex certè malum & propterea etiam duplicem curationem postulat: necesse enim est reponere illud quod elapsum est, teste *Galen. l.* 3. *meth. c.* 1. Et componere quod fractum, eodem teste *l.* 6. *meth. c.* 5.

§. LV.

Uterque verò casus cùm extensionem postulet, valdè dubium est, & non parva inde apud Authores agitatur controversia, an scil. ambo simul effici possint, an verò prius unum efficiendum sit, deinde alterum? quâ de re egit *Oribas. lib. de Machin. c.* 16. Verum multis, uti & Pasicrati, placuit, referente *Oribas. cit. loc.* prius reponendum esse articulum, si fieri potest, quoniam majori vi opus habet. Ne verò repositus articulus iterum repellatur, dum adhibetur compositio fracturæ, præcaveri voluit laqueis sursum attrahentibus, ita ut manente articulo extendi, dirigi & componi fractura possit, eodem teste *loc. cit.* Si autem ante fracturæ curatio-

ratio.

rationem luxatio reſtitui non poteſt, fractura primum curanda dein callo in fractura obfirmato luxatio demum, ſi poſſibile, erit reponenda, notante *Chalmeteo l.c.*

LVI.


Tandem, cum & Luxationi aliquando adjungatur vulnus; præſtat quàm primùm curare vulnus, ſuadente *Gal. l.3. m. m. c.9.* applicatis medicamentis non tantum glutinantibus aut quæ propriè conveniunt recentibus vulneribus, ſed & mitigantibus, propter metum convulſionis. In morbis enim miſtis curatione miſta eſt utendum. *Guido* & *Tagautius* volunt, ut initio, antequam pars luxata cum vulnere inflammetur, leniter reponantur dislocata in ſuum locum. Quòd ſi autem ſine magna violentia repoſitio fieri nequit, & propè articulum vulnus exiſtit, relinquenda eſt luxatio, monitore Hippocrate, quia, dum tentatur articuli validi violenta repoſitio diſtenduntur, nervi, uti *Galen. comm. 1. in lib. de artic. c.29.* docet, maximos dolores in muſculis excitat, qui tandem inflammationes pariunt. Quapropter etiam intermittenda eſt illa repoſitio & acceleranda curatio vulneris, aliàs enim ſi tardetur, donec vulnus incrudeſcat, periculum eſt ne dolor fluxioque humoris & gangræna, quæ ſymptomata ejuſmodi vulneri ſupervenire ſolent, ſuccedant, teſte *Hippocr. l.4. de artic. text.18. & 28.* unde æger manifeſtè in vitæ periculum præcipitaretur. Cùm igitur articuli repoſitio aliquando non poteſt fieri niſi cum magno & periculoſo damno, præſtat omnino, ut membrum ſuis muneribus privetur, quàm ut æger vitæ periculo exponatur.

LVII.

Diæta tenuis obſervetur uſque ad ſeptimum diem, ſi articulus validus eſt reſtitutus, mandante *Hippocr. de artic.* Diſtinguebatur autem olim tenuis diæta, quæ ἁπλῶς talis erat, vel ἀκριβῶς, alia ſimpliciter tenuiſſima, alia extremè tenuiſſima, quæ conſtabat abſtinentia ab omni cibo. Hanc ultimam *Celſus* ſuadet, dum ægrum ab omni cibo abſtinere per triduum, aliquando etiam in quin-

tum

tum usque ad ..., jubet. Ast exquisita talis diæta nostris corporibus inconveniens est. Atque hæc sunt, quæ circa hunc affectum, ex præstantissimis autoribus, *Celso, Lud. Mercat. Sennerto*, aliisque pro ingenii tenuitate annotare potui. Qui pleniorem & exactiorem cognitionem habere desiderat, ipsos fontes uberrimos, *Hippocratem* & *Galenum*, è quibus nonnulla etiam hausimus, adeat, qui quemque sitibundum abunde satis rore suo irrorabunt.



X.

RELATIO CHIRURGICA PARISIENSIUM

DE

MORSU CANIS RABIDI.

Nos infra subscripti Medici & Chirurgi Regii Synedrii Parisiensis hisce referimus, quod ad requisitionem Dn. Judicis de dato 17. Julii *1679*. nos in suburbium N. contulerimus, ut tres ægros, à Consiliario Regio N. nobis commendatos, inspiceremus & vi mandati supradicti de iis relationem nostram impertiremus. Quamprimum igitur ad secundam contignationem domus illius, ubi acus

nautica

nautica dependet delati fuimus, inveniebamus Johannem Hublinium & Catharinam Pescherat, ejus Conjugem binis diversis lectis alligatos, qui utrobique melancholico delirio laborabant, sibi imaginando, quod canes rabidi ob oculos habeant se devoraturos & quandoque horribiliter exclamabant. Omnes qui illos visitabant, truculento vultu inspiciebant, cumprimis, si illis aliquid de cibis liquidis & potulentis porrigebatur, seque ita flectebant & rotabant, ut sufficienter describi non possit.

Ad latera horum in aliâ camera famulus Scriniarii, nomine Robertus du Bois, iisdem symptomatibus afflictus decumbebat. Adstantes, requisiti, modum & occasionem, qua hoc affectu obruti fuerint, referebant, quod se, ante mensem à cane rabido demorsi fuerint, Hublinus sc. in pollice dextro, Conjux in crure sinistro & du Bois in articulatione dextræ manus: addebant, vulnera jam ad cicatricem deducta recruduisse, (quod & ipsi observabamus] quamprimum inceperint se malè habere. Non minus referebant dictum canem adhuc alios canes in vicinia morsu læsisse; qui, ut

primum rabies in illis obſervata, in profluentem abjecti fuerint.

Quamobrem exiſtimamus has 3. Perſonas rabie jamdum correptas morbumque quo ὀφθαλμοφανερῶς detinentur, ad mortem uſque perpeſſuros eſſe. E re autem erit, ut illi, qui in vicinia canes à rabido demorſos alunt, eoſdem removere teneantur, ne plures infortunium hoc experiri cogantur. Dat. Pariſiis, ut ſupra.

ALIA RELATIO
ſimilis argumenti.

Ego ſubſcriptus Chirurgus Juratus Pariſienſis refero hiſce omnibus, quorum intereſt, quòd Dn. Elias Buraze, Commiſſarius, me accerſiverit, ut judicium meum de ſtatu canis, à quo hodie, die 24. Jun. 1690. demorſus fuit, aperirem. Examinando igitur canem, genuina rabiei indicia in eo inveni. Nequicquam enim bibit, licet potus illi præberetur & intra 3. dies nihil cibi aſſumſit, à quibus macer admodum redditus, caudam intra pedes poſteriores recondens, tardè incedens & mox in hoc, mox in alterum latus titubans cernitur.

aures

Adhæc aures illi ſunt pendulæ, os ſpumat, oculi fulgidi ſunt, vox rauca & debilis, neminem agnoſcit & quicquid illi obvium eſt, morſu prehendere attentat.

Cum ergo dictus modò Baraze percontaretur, quibusnam remediis effectum veneni præcavere & eludere poſſit? ſuaſi illi, ut quamprimum poſſibile ſit, ad Oceanum ſe conferret & ſe in eundem immergi pateretur, cum plura exempla proſtent id optimè contuliſſe. Præterea circa vulnus ſcarificationem, ut aliâs fieri ſolet, inſtitui & cepas conquaſſatas cum theriacâ, ad venenum extrahendum, illic applicui. Tandem & convenientem Diætam illi præſcribendo autor ſimul eram, ut frequenter alexipharmacis probatis uteretur. Dat. Lutetiæ Pariſiorum, ut ſupra.

Reliqua ad CURATIONEM pertinentia è ſubjuncta *Diſp. Inaug.* de *Morſibus & Puncturis animalium D. Wizelii* Jun. b. m. addiſci & præſcribi poterunt:

CAPUT PRIMUM.

Inter affectus, qui periculosi & δυσίατοι, morsus & puncturæ animalium, cumprimis venenatorum, postremas neutiquam sibi vendicaut partes; de his cum hoc loco agere sit animus, ne ἀμεθόδως id fiat, & ut omnis error præcaveatur, methodo receptâ procedimus, considerantes ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν, subjectum, causas & differentias, cum signis & curatione.

Nomen igitur quod spectat, quanquam quidam in ea sint sententia, parum in eo situm esse, testimoniumque afferant *Galen. l.* 1. *Meth. med. c.* 7. & *l.* 11. *m. m. c.* 12. cum tamen nomina sint τῶν πραγμάτων symbola, necessariam ducimus illorum enucleationem, non repugnante Galeno, siquidem expresse *l.* 13. *simpl. c.* 12. inquit, perturbatum nominum usum rerum quoque perturbare notitiam, & nominibus confusis, rerum etiam notitiam confusam esse. Onomatologia tria includit, Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam. Etymologiam vocabuli *Morsus* quod attinet, derivatur à mordeo, quod idem est ac dentibus lædo. Synonymiam quod spectat, dicitur quoque morsura, quo vocabulo veteres nonnulli sunt usi, verum apud eos, qui puritati student, vocabulum morsus magis est in usu. Homonymiam seu ambiguitatem vocabuli quod concernit, accipitur variis modis: Primo pro dolore & ægritudine: Hinc *Cic. ad Attic. l.* 13. valdè me momorderunt epistolæ tuæ de Atticâ nostrâ; & Latinus Interpres *aphor. Hipp. s.* 4. *§.* 65. : In febribus circa ventriculum vehemens æstus & stomachi morsus, malum. Secundò sumitur pro detractione, invidiâ, uti ex *Terent. in Eunuch.* apparet: Invidere omnes mihi, mordere clanculum, ego non floccipendo. Tertio pro morsu aliquo seu parvo morsiuncula, ex amore, ubi nulla adest continui solutio, apud *Plaut in Mil.*

Com-

Compressiones arctæ amantium compares
Teneris labellis, molles morsiunculæ.

Nostra autem disputatio de his morsibus non est solicita, uti perspicue ex titulo apparet, sed de his calamitatibus & molestiis, quas animalia tàm venenata quàm veneni expertia inferunt, & morsus & puncturæ nomine veniunt. Puncturarum nomen quod concernit, derivatur vocabulum à pungendo, verbi pungo pungere, quod vocabulum etiam per translationem de animo dicitur: Hinc rursus Cicero: Epistola ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit; & alibi *l. 7. ad Trebat.* pungit me rursus quod scribis esse te istic libenter. Vocatur aliàs quoque ictus, punctio, punctiuncula: Hinc *Seneca de ira l.3.*: Magis ignosco ei qui vulnus inimici, quam qui punctiunculam concupiscit.

CAPUT SECUNDUM.

Morsus & puncturæ quid sint, & quomodo definiantur, diligentiori nunc indagandum scrutinio, quoniam nominalem definitionem realis sequitur. Et quanquam nonnulli sint, qui de morsibus animalium in libris suis egerunt, nemo tamen illorum de exhibenda formali & reali definitione fuit solicitus, excepto unico (quem sciam) *Sante Ardoyno*, qui *lib. 5. c. 1. de morsur. animal.* illam tradidit, quæ etiam palato nostro ita arridet, ut non dubitemus illam nostram facere. Est autem illa talis: *Morsus est solutio continui, ore & præcipue dentibus facta.* Dixit Autor esse solutionem continui, nec immerito: cum enim partes quæ secundum naturam unitæ debebant esse, à se invicem sint solutæ, nemo negabit unionis solutionem. Solutio autem illa continui comprehendit tum contusionem seu attritionem à dentibus, vel iis quæ his respondent, factam, tum verum vulnus ab illis inflictum. Notandum autem quod ἀπόσπασμα in aliis morsibus magis, in aliis minus adsit, imo interdum sensu vix perceptibile: Occurrimus hâc distinctione objectioni, ultro se ingerenti, quod non semper videatur, vel obscurissime saltem videatur, conti-

nuitatis solutio. Porrò diximus esse solutionem continui, ore & præcipue dentibus factam; dantur enim animalia, quæ ore seu gingivis potissimum, quas præduras & scabras habent, partem cui adhærent, sic arcte constringunt & mordent, ut venenum suum in partem, totumque inde corpus, per apprehensæ partis poros transmittant, licet dentibus non sint prædita; exemplum habemus in rubetis seu bufonibus, qui dentibus carent, & tamen ore damnum homini inferunt. Quid sit punctura, *Santes Ardoydn. loc. anteà citatus* quoque refert. Est, inquit, punctura solutio continui à re multum acutâ (ut est aculeus vespæ, vel apis, & scorpionis) qualicunque (addo punctim) facta.

CAPUT TERTIUM.

Corpus humanum auimalium morsibus & puncturis esse obnoxium, non indiget prolixâ argumentorum serie: quæ vero partes in morsibus & puncturis venenatis præ cæteris afficiantur, diligentius inquirendum. Quorundam ea fuit opinio, omne venenum morsu inflictum primo cordi esse inimicum, illudque statim petere: Verum sicut aliàs non omnia animalium venena antipathiam peculiarem primum cum corde habent, & illud statim occupant, sed alia aliis à naturâ perniciale bellum indixerunt partibus, sic in animalium morsibus eadem videtur observari varietas. Certe virus caninum cordi & cerebro cumprimis dicitur inimicum, lepus marinus pulmonibus, Cenchris serpens jecori, intestino jejuno & colo, uti *Dioscorid. l. 2. c. 52.* habet, Cantharides vesicæ, Torpedo manibus &c. Dicimus ergo locum affectum in morsibus cumprimis & puncturis venenatis non esse unicum, sed plures, omnes nimirum partes principes, modo cor, modo cerebrum, modò jecur. Cor enim affectum esse, leipothymia, palpitatio cordis, anxietas, inquietudines, subita & repentina interdum mors, aliaque symptomata, quæ non nisi corde affecto fieri possunt, demonstrant. Cerebrum occupari, quanquam in aliis magis, in aliis minus, furor & insania denotant. Jecur laborare,

obstru-

obstructiones, icterus, quæ non raro demorsis supervenit, ostendunt. Consecutive partes corporis reliquæ, imò universa complexio ac moles humorum in corruptionem trahitur, totumque corpus, quòd symptomata quæ sequuntur satis superque probant. Cor interim vix unquam immune esse, ubi venenum penetravit in corpus, facile intelligit, qui venenorum naturam corporis œconomiam, & quæ hausta venena consequuntur symptomata, sibi revocat in memoriam.

CAPUT QUARTUM.

Morsuum & puncturarum causa est animal mordens vel pungens: Proxima autem & immediata causa morsuum sunt dentes, vel quæ his respondent. Dentes quamvis homini, animali secundum *Galen. l.* 11. *de us. part. c.* 18. politico & mansueto, principaliter ad esculentorum comminutionem & vocis articulationem sint dati, nec ut armorum vice utatur sicut bruta, sæpe tamen contingit, ut noxam homo homini dentibus inferat. Pueri certe ira accensi non raro mordent à quibus fuerunt offensi: Obvios etiam sæpe dentibus impetunt Phrenetici, Maniaci, à cane rabie correpto demorsi. Feris autem præcipue etiam ad invadendum & ad defendendum dati, hanc nocendi vim à natura, ut instrumenta acceperunt. His ergò quandoque quasi cæsim per incisores dictos vulnerant, quandoque frangunt per caninos, quandoque atterunt per molares: quandoque & incisio & attritio & fractura satis est evidens. Dentibus respondent gingivæ prædurae & asperæ: ut supra notatum; item maxilla amissis dentibus & obliteratis alveis in circuitu acutior facta & durior in senibus, item unum os pro superiori ordine dentium æqualiter extensum, quale Prusiæ Regis Bithyniæ filio fuit, teste *Valer. Maximo l.* 1. *c.* 8. Pyrrho Epirotarum Regi, teste *Plutarch.* in vita ejus, aliis, quos notatos vide ap. *Joh. Anton. van der Linden Medic. Physiol. c.* 13. *art.* 3. *Schenck. observ. Medic. c. de dentibus, Thom. Barthol. Anat. reform. l.* 4. *c.* 12. *& histor. anatom.*

Cent.

Cent. 1. *hist.* 35. Nec non rostrum avium, quod sive aduncum sive latum, sive aliter formatum, illæ pro labiis & dentibus à provida rerum natura acceperunt, cum dentes nulli volucrum, præter vespertilionum notante, *Plinio hist. nat. l. XI. c.* 37. Denique acies pinnarum piscium quorundam, ut intrà notabimus. Puncturarum proxima & immediata causa est aculeus, quem in partem mollem adigunt illo armata animalcula. Cum vero malignitatis multum in se habeant plurium animalium morsus & puncturæ, per hos venenum partibus læsis communicari, nobiscum majori parte Medicorum est verosimile, illudque per venas, arterias, nervosque, tum mediante illa Hippocratis ξυρροία ϗ ξυμπνοία in universum corpus diffundi, horrendaque excitare symptomata, quæ a nulla manifesta qualitate possunt deduci. A communicato veneno deducimus illa; 1. quia si excessus qualitatis manifestæ esset causa illorum, quod experientia redarguit: 2. non opus esset medicamentis à tota substantia, ut Medici loquuntur, agentibus, curationem adornare, quorum occultas proprietates & agendi modum nemo mortalium capere potest; v. g. si quis ab hæmorrhoo demorsus ex omnibus corporis meatibus imo poris proruptionem patitur sanguinis; vel si quis à Tarantula demorsus admirando saltandi desiderio tenetur. Horum effectuum causam male dixeris caloris exsuperantiam: cur enim non superveniunt affectibus, in quibus summi caloris indicia, linguæ siccitas, asperitas, nigredo, oris, gulæ, ventriculi ardor, sitis maxima &c. Male quoque frigoris excessum, cur enim nil tale videas in affectibus frigidissimis. Ita nec à siccitate, nec ab humiditate: nulla etiam harum qualitatum opposita affectus similes expugnabit. Agnoscimus E. veneni occultam proprietatem, æquo animo ferentes, quod quidam putent, hac nos ratione ad ignorantiæ asylum confugere: Pridem enim ex Scaligero didicimus; *Nos in tenui rerum luce caligare, in mediocri cæcutire, in majori cæcos esse, in maxima prorsus insanire*: & boni viri esse, quædam æquo animo velle nescire. Qui hodie sedulo & curiose, plene & plane per-

perquisivisse omnia videri volunt, discant vel Scaligero duce, nos übratili intellectu nostro omnia exactissimè clarissimè ac distinctissimè capere posse, velle nobismet ipsis persuadere, esse insignis arrogantiæ; quem fugit, quod Galenus non semel fassus sit sibi hærere aquam, & Hippocratem agnoscere in morbis τὸ θεῖον?

CAPUT QUINTUM.

MOrsus animalium sunt duplices, alii enim sunt venenati, alii verò minimè. Venenati dicuntur, quia à virulentis bestiis inferuntur, cujusmodi sunt Aspis, Dipsas, Natrix, Vipera, Hæmorrhous, Basiliscus, Tarantula, Amphisbæna, Scytale, Cenchris, Dryinus, Draco, Serpentes quidam nostrates, Canis rabidus aliaque animalia rabida & similia. Differunt autem hi morsus venenati multis: Primò ratione subjecti: experientia enim testatur unum idemque animal hunc citius, illum tardius, hunc intra diem, illum intra 4. l. 6. dies morsu jugulare. Sæpe qui uno eodemque tempore morsu animalis ejusdem læsi, diversis tamen temporibus extincti fuerunt, quia ad omnem actionem patientis dispositio requiritur, & actio non recipitur per modum imprimentis, sed per modum recipientis; hinc videas imbecilla corpora citius, firma & robusta tardius veneno necari: hinc senes citius veneni vi succumbunt quam juvenes, quoniam in illis magna jam facta est caloris nativi imminutio, facillimè igitur quod superest à veneno potest extingui, cum contra vegetus ille juvenum calor veneno fortius resistat, nec ita facilè ab illo sese destrui patiatur. Quod de senibus dictum fuit, idem quoque de tenerâ ætate, omnibusque quibus corporis διάθεσις & valetudo minus est firma, intelligi debet. Secundo differunt ratione causæ: non enim in omnibus animalibus idem venenum est, sed non tantum in hoc vehementissimum & periculosissimum, adeo, ut una tantum hora sæpius hominem conficiat, ut in Aspide & Ceraste videmus: in aliis verò minus vehemens, ut in Viperâ: in aliis deinque his longè imbecillius, ut in Scorpione, Cane rabido; sed & in uno eodemque animali a-

lio atque alio tempore venenum majorem minoremve habet activitatem: sicut videmus hyemali anni tempore serpentum venenum tam violentum non esse ac æstate, quo tempore exaltatum quasi videtur. Imò formâ & specie differunt, unde tam varii effectus, & horrenda quandoque phænomena. Inde tertio differunt ratione supervenientium symptomatum: alii enim convulsiones, deliria, saltandique libidinem inducunt, alii mœstitiam timiditatemque pariunt, alii dolores vehementissimos, inflammationes, icterum, febres excitant, alii alia. Cur autem in aliquibus hoc vel illud symptoma magis producatur, in aliis non, ex patientis ratione vel agentis fieri puto, pro ratione scilicet fortitudinis vel imbecillitatis. Quartò ratione locorum: quæ enim feræ arentium, montosorum & sole perustorum locorum indigenæ sunt, promtius interimunt, quam quæ humidorum & palustrium, quod quoque *Aristoteles l. 8. c. 29. de hist. animal.* testatur. Quintò ratione moris, in aliis enim venenum nunc tardius nunc citius sese exerit, & non solum menses, sed & totos interdum annos in corpore nostro latet; exemplum illius quod tardius sese exserit, habemus in cane rabido, cujus venenum rarò ante vigesimum diem sese prodit, interdum post trigesimum, in multis nonnisi post 4. sex aut octo menses, in quibusdam etiam post annum, uti *Fracastor. l. 2. de morb. contag. c. 10.* scribit. Testatur id quoque *Albertus Magnus l. 7. hist. animal. c. 2.* ubi se vidisse hominem scribit demorsum à cane rabido, cui anno septimo post locus cicatricis inflammari incepit, ita ut intra duos dies vitam cum morte commutare fuerit coactus. Contra verò non ita post longum intervallum vim suam ostendunt serpentes, Dipsas, Vipera, Natrix, Aspis. Quamprimum enim hi momorderint, illorum venenum à demorsis miserrimè sentitur, & symptomata statim accidunt gravia.

Porrò non Venenati morsus dicuntur, qui ab animalibus non ita virulentis imprimuntur, cujusmodi sunt canis domesticus, felis, simia, homo (fallitur enim & fallit *Plinius quando l. 11. hist. Nat. c. 37.* scribit hominum dentibus inesse quoddam virus) ursus, asinus,

sues

ſues, tàm domeſticæ quam ſylveſtres, equus, leo & id genus alia. Poſſet autem quis in dubium vocare, an equi, aſini, urſi vel leonis morſus non ſint venenati? Credunt id nonnulli, ob graviſſima quæ pariunt ſymptomata, præcipuè autem quod plerumque in gangrænam & ſphacelum terminentur. Sed dixerim morſus horum animalium per ſe non eſſe venenatos, ſed per accidens tamen fieri poſſe, ſi nimirum rabie corripiantur; venenati enim per ſe ſi eſſent, parva vulnera non minus ac magna periculoſa eſſent, quemadmodum in morſibus ſerpentum, canis rabidi, aliorumque animalium fieri videmus, ubi minimum quidem vulnus, ſi parum neglectum fuerit, mortem inferre potens eſt. Quod autem ſymptomata iis ſuperveniant gravia, exinde fieri puto, quod animalia iſta tanquam robuſtiſſima, vim habeant maximam contundendi & conterendi muſculos, venas, arterias, imò & ipſa interdum oſſa, unde dolor maximus, inflammatio, quæ pediſſequa doloris, & tandem gangræna vel ſphacelus. Poſſumus interim largiri ambabus manibus, eſſe aliquid in omnium ferarum, etiam non venenatarum, morſibus magis dolorificum & cacoëthes, quam in communibus vulneribus ab aliis cauſſis inflictis. *Paræus l. 20. c. 9.* credit, quod aliquid in eorum ſalivà & ſanie inſit naturæ noſtræ inimicum, quod malignam ulceri qualitatem inurit. Cæterum hi morſus non venenati variè quoque differunt; alii enim magni, alii parvi ſunt; in aliis arteria læſa, vel nervus, vel vena, in aliis minimè; his ſymptomata ſuperveniunt gravia, ut gangræna, convulſio, ſphacelus, illis non; alii cum fractura oſſis fiunt, quod robuſtiora illa animalia utplurimum faciunt, aliis minimè; & quæ differentiæ poſſunt eſſe plurimæ: ſufficiant iſtæ.

Puncturarum differentias breviter quoque conſiderabimus. Poſſunt autem illæ quoque duplices dici, nimirum vel venen tæ, vel veneni expertes. Venenatæ ſunt, quas animalia venenat[a] induxerunt, ut ſcorpii, phalangii &c. Non venenata, quas an[a]malia veneni expertia inflixerunt, ut apes, muſcæ &c. Poſſet auite m hic quoque controverſia agitari, ad quamnam ſcilicet claſſem ve-

ſparum punčturæ ſint referendæ, an ad venenatam vel non? Si Hildano viro aliàs fide digno, credere volumus, minimum illud inſeċtum maximum venenum in ſe continere deprehendemus; ſcribit enim *obſ.77. cent. 4.* de Matronâ aliquâ, quæ cum punċtionem circa carpum à veſpâ accepiſſet, non ſolùm in lipothymiam incidit, ſed & die ſequenti epidermidem per totum corpus ſeparatam ſenſit, quod absque veneni præſentiâ accidiſſe nemo dixerit. Quid igitur ſtatuendum? Anne veſpæ vel earum punċturæ pro venenatis habendæ? Dico quod non; venenatæ enim ſi eſſent, talia quoque ſymptomata ſemper producerent, quæ animalia venenata, quod tamen minimè vel raro fieri, experientia quotidiana docet; ſingulis enim diebus ruſtici earum punċtiones patiuntur, qui tamen neque in lipothymiam incidunt, neque epidermidem amittunt, neque alia ſymptomata, quæ punċturas venenatas ſequuntur, ſentiunt. Dicimus igitur aut veſpam illam alicui rei venenatæ inſediſſe, quod talia ſymptomata ſint ſecuta, aut aliquam rem venenatam planè comediſſe, quod interdum fieri, *Plinius l. 11. c. 53.* teſtatur. Reliquæ punċturarum differentiæ in morſuum differentiis videri poſſunt & elici, mittimus igitur B. L. ad illas. Hoc addendum, quod alia animalia noceant aculeo, quem in ore gerunt, ut muſcæ, vel in caudâ ut ſcorpius tereſtris, paſtinaca marina, vel in pinnis, ut piſces quidam, *Foreſtus obſ. 34. l. 6.* ſe hominem vidiſſe aſſerit, qui cum in mari nataret, & piſcis ille acanthius marinus diċtus clam jaceret, ad ejus pinnas venenoſas cum digitum pedis offendiſſet, tanto dolore afficiebatur, ut homo fere inſanus exinde faċtus ſit: vel in aliis corporis partibus, ut ſcorpius marinus, qui teſte *Rondeletio de piſc. l. 6. c. 19.* tot aculeos habet in capite, ut ſine noxa ferè traċtari non poſſit, & in dorſo quoque ſpinam venenatam gerit: ut & ſcorpæna aliique piſces.

CAPUT SEXTUM.

Elegans eſt ſententia *Hipp. lib. de Medico*, ubi ſolus is, inquit, qui ſignorum cognitionem habuerit, ritè curationem adgreditur. Ut

Ut igitur monitum tanti viri observemus, signa morsuum & puncturarum diligenter examinabimus. Signa morsus vel puncturæ interdum satis manifesta, impressa vestigia dentium vel aculei: interdum obscuriora, deficiente etiam relatione ægrotantis, si v. g. ægro somno sopito punctura accidit. Semper autem per signa cognoscendum an morsus vel punctura veneni particeps. Morsum venenatum esse, partim ex ægri relatione, partim ex supervenientibus symptomatis innotescit: Ex ægri relatione, si fatetur à talibus animalibus morsum provenisse, quæ venenata sunt. Ex supervenientibus symptomatis: si ista accedunt symptomata, quæ aliis venenis supervenire solent: v. g. quando pars læsa statim intumescit, inflammatur, dolore gravissimo corripitur, aut ejus color naturalis perit aut mutatur, nigricat scilicet vel livet, laborans gravibus molestiis angitur, lipothymiâ vel contusione corripitur, & alia accedunt symptomata, quæ venenis sumptis supervenire solent. Cum autem neque hoc sufficiat scire morsum vel puncturam esse venenatam, cum quodlibet venenum promptius proprio suo alexipharmaco expugnetur: ideo operæ pretium cujusque ictu vel morsu communicati veneni signa in promptu habere, tradita nobis à *Dioscoride, Paulo, Aetio* aliisque. Ab Aspide igitur ut incipiamus, serpente longè venenatissimo, de quo etiam omnes ferè scriptores primò tractant, sciendum demorsis ab illo supervenire capitis gravitatem, oculorum caliginem, sensuum hebetudinem, stuporem, somnolentiam, faciei pallorem, corporis refrigerationem & id generis alia, quæ apud auctores fusius descripta videri possunt. Hoc autem notandum, quod exiguum infligat vulnus, quod morsu suo dolorem fere nullum excitet, adeò, ut sicut *Galen. de Theriac. ad Pison. c.*8. refert, Cleopatra Ægypti Regina maluerit (periculo prius facto in ancillis, quarum ministerio ad corporis cultum utebatur) se aspide quam alio veneni genere interimere, vid. *Ælianus histor. Animal. l. IX. c.*23. ubi mortem ex aspidis ictu plenam lenitudinis æstimatam notat, quod & confirmat *Galen. loco citato in fin. cap.* addens, se-

ſæpè in magnâ Alexandria ſpectaſſe, cum aliquem condemnatum ſine longa dilatione & cruciatu necare vellent, aſpides pectori admoviſſe. An frigidæ vel calidæ ſit temperiei, valdè controvertitur. Dipſadis morſus cognoſcitur ex eo, quod magna ſiccitas & inflammatio, non internarum tantum ſed externarum quoque partium adſit, unde intolerabilis atque inextinguibilis ſitis, adeò, ut quamvis æger indeſinenter bibat, nullum tamen inde ſentiat levamen, ſed more hydropicorum, *quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ*. Quia tamen omnes meatus & ita urinarii quoque exſiccantur & conſtringuntur, largiſſimus ille potus per urinam exire non poteſt, ſed diſtribuitur per venas in totum corpus, unde illud adeo intumeſcit, ut inguina rumpantur & æger ſitibundus moriatur.

E vulnere à natrice inflicto primo ſanguis purus exit, poſt ſanies multa, cutis fit arida, puſtulæ emergunt lividæ, oculi caligant, bilis vomitu rejicitur, vertigo ingruit, dolor mutat locum. Sortitur ſerpens iſte ſecundum loci qnem inhabitat diverſitatem, diverſa quoque nomina: Hyeme enim quando in ſtagnis & paludibus degit, Hydrus vocatur, æſtate verò & autumno ſiccam terram inhabitans, Cherſydros dicitur, & atrociora infert ſymptomata, quando terræ incola. Signa quibus viperarum morſus cognoſcuntur, ſunt ſequentia, juxta *Paræi lib.20. c. 16.*: Dolor pungens ſtatim oboritur, pars in molem attollitur ampliſſimam, indeque univerſum corpus, niſi occurratur, exſudat è vulnere craſſa & cruenta ſanies, ſurgunt in ambitu veſiculæ, quales ab ambuſtione fieri ſolent, crebrâ ſyncope prehenduntur ægri, cum ſudore frigido, mortis prænuntio. niſi partibus nobilibus, antequam illas venenum invaſerit, remediis opportunis conſultum fuerit.

Porrò ab Hæmorrhoo aliquem demorſum eſſe, parthognomonicum ſignum eſt ſanguinis profluvium, ille enim non ſolum per vulnus inflictum, ſed per omnes quoque corporis partes excernitur, per vias tàm conſuetas, ut hæmorrhoides, nares, uterum,

quàm

quam inconsuetas, ut aures, oculorum angulos, dentium gingivas, unguium radices, per os, vomitum, tussim, alvum, imò per omnes corporis poros atque meatus. Quæ omnia, quoniam *Lucanus l. 9. Pharsal.* elegantissimis versibus expressit, non potuimus committere, quin illos hic insereremus, sunt autem seqq.

Impressit dentes hæmorrhois aspera Tullo,
Magnanimo juveni, miratorique Catonis,
Utque solet pariter, totis se effundere signis
Corycii pressura croci: sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ, quæcunque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor, ora redundant
Et paulula nares: sudor rubet, omnia plenis
Membra fluunt venis, totum est pro vulnere corpus.

Morsûs Basilisci signa sunt hæc: maxima oritur totius corporis inflammatio, pars affecta flavo tingitur colore, pili defluunt, caro liquescit & frustillatim decidit, morsusque brevi temporis spatio vitam finit, uti *Sennert. l. 6. part. viij. c.* 12. testatur. Notandum autem Basilisci nomine duo animalium genera apud autores venire: unum quod è serpentum genere, quod agnovit *Galenus*, *Aetius*, *Avicenna*, aliique Medici, de quo jam diximus, & signa ista intelligenda sunt: alterum avis genus, quod ex ovo galli gallinacei provenire creditur: tale, an in rerum natura existat vel unquam exstiterit, eleganter *Excell. Straussius M.D. & Profess. in alma Ludoviciana celeberrimus, Patronus & Hospes quondam noster perpetua gratitudine prosequendus, in suo tractatu de ovo galli* ostendit.

Tarantulæ morsus ex sequentibus dignoscitur signis: Quidam perpetuo canunt, alii rident, flent, alii clamitant, alii premuntur somno, ut vix excitari possint, alii contrà perpetuis vigiliis distrahuntur, alii vomunt, saltant alii, sunt qui sudent, tremant, obstupescant, alii aliis doloribus cruciantur & delirantibus similes efficiuntur. Quodsi autem hæc symptomata admiran-

randa sint, non minus curandi ratio admirationem quoque merebitur: solâ enim ferè Musica vim habet mutandi hoc malum, uti infrà ostendemus.

Morsui Amphisbænæ & Scytales ea contingunt symptomata, quæ viperæ morsibus. Item morsui Cenchris, quamquam huic graviora, sequuntur enim illum putrefactiones & carnium defluxus, uti *Aetius c.*27.*serm.*13. habet.

A Dryino demorsis illa ferè superveniunt symptomata, quæ morsui natricis supervenire solent.

Morsum Draconis mitiora sequuntur symptomata, imò credunt multi, illos nihil veneni in se continere, alii verò veneno non carere illos asserunt, cumprimis in regionibus calidioribus. Si *Lucano* credere volumus, dracones in illis regionibus erunt venenati, cecinit enim *lib.*9. ita:

Vos quoque qui cunctis innoxia Numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore Dracones,
Pestiferos ardens facit Africa.

Dracones, quoniam plurimis regionibus ignoti, ideo forsan veneni eorum natura non satis explorata. Diversa prorsus signa proponunt *Avicenna & Nicander in theriaca*, ut notat *Ulyss. Aldrovand. Histor. Serp. & Drac. l.*11.*c.*1.

Serpentes in Germaniâ nostra quando mordent, oritur in loco affecto tumor, dolor & calor insignis, sanguis primo purus, post saniosus & graveolens exit, facies flavescit & livida est, reliquaque accidunt symptomata, quæ peregrinis, mitiora tamen & leviora. Signa & symptomata morsus canis rabidi alia propria sunt, alia communia. Propria sunt, quod homo fiat cogitabundus, meticulosus, solitudinem captet, hominum societatem fugiat, lucem odio habeat, canum ritu latret, tandemque aquam expavescat & horreat; unde antiqui missis aliis symptomatibus hunc affectum hydrophobiam appellarunt: verùm non solùm ab aqua abhorrent, sed & ab aliis liquidis, vino, jusculis. Communia signa sunt delirium, motus convulsivi, febris, &c.

Quoni-

Quoniam autem cognoſci debet, num canis, qui vulnus inflixit, rabie correptus fuerit nec ne, canis rabioſi indicia breviter quoque oſtendemus. Illa autem nobis exhibet *Galen. lib. de Theriac. ad Piſon.* his verbis: Si audieris canem, qui aliquem momorderit, gracilem corpore & ſiccum, oculis rubentibus, cauda demiſſa, ſpuma & ore fluente, præterea lingua foras porrecta & tanquam bile coloratâ, obvium quemqnam inſiliiſſe, circa cauſam cucurriſſe, deinde rurſus ſubitò conſiſtentem cum irâ quadam magis furenti non ipſi præviſos momordiſſe, hoc inquam, ſi in eo ſic habere audieris, ſtatim rabioſum canem fuiſſe intelliges. Sed quæret aliquis, an alia quoque animalia præter canem in rabiem agi poſſint? Negat id *Galen. l. 6. de loc. aff. c.* 5. Verùm experientia ipſi reclamat, notiſſimum enim eſt, non ſolum canes, ſed & lupos, equos, feles, ſues, boves &c. rabie corripi. Dicendum igitur, ut Galeni authoritas conſervetur, mentem forſan fuiſſe, canes cæteris animantibus rabie magis eſſe obnoxios, id quod à veritate non alienum. Nonnuli ſi incerti ſunt de rabie & veneno animalis, ſumunt fruſtum panis, imbuunt cruore vulneris, animali ſano illud porrigunt, quod comeſtum, ſi ei ſymptomata quæ ſupervenire ſolent, non intulerit, rabiei & veneni illud expers pronuntiant.

Et hæc ſunt ſigna & ſymptomata morſuum venenatorum præcipuorum.

Non venenati cognoſcuntur, ſi animal quod momordit non venenatum, ſi ex prædictis ſymptomatibus nulla adſint, vel leviora ſaltem, ut inflammatio, dolor, &c. Febres autem his morſibus non rarò ſuperveniunt, item gangræna & ſphacelus, uti dictum.

Puncturarum ſigna & ſymptomata nunc quoque tradenda. Ab animalibus autem venenatis, ut rurſus quoque incipiamus, primas ſcorpioni dabimus. Horum cum ſint varia genera, quæ apud *Grevin. de ven. l. 1. c. 14.* videri poſſunt, accidentia quoque procreant diſſimilia. Plerumque autem ſequentia adſunt ſymptomata:

ta: Acerbissimus non solum in parte affectâ, sed & in toto corpore exoritur dolor, locus referente *Paul. l.* 5. *c.* 8. incipit inflammari, rubet, nunc fervor, nunc frigus vicissim invadit, sudor ipsos comitatur, tremor, extremorum perfrictio, pili rigent, cutis fit discolor, se grandine percussos ægrotantes putant, uti *Galen. l.* 3. *de loc. aff.* habet: præterea ipsos nervorum contractio comitatur, unde subsequitur risus Sardonius vulgò dictus, hoc est coactus, qui fit, quod nervi ad suum principium sese retrahant, & quæ id generis alia, quæ apud scriptores passim reperiuntur.

Phalangii punctura vix conspici potest, inquit *Aëtius c.* 8. *serm.* 12. frigiditas adest circa genua, lumbos ac scapulas, universum corpus intumescit, quibusdam urinæ emittendæ difficultas adest, cum pudendi tentigine & dolore, si verò minxerint, aquosæ ipsorum sunt urinæ, quædam aranearum textis similia in se habentes, uti *Aëtius l. c.* refert. A scorpione marino qui fuerint icti, molestos cruciatus sentiunt, accidunt & interdum convulsiones & lassitudines, referente *Sennert. l.* 6. *p.* 8. *c.* 42.

Pastinacæ marinæ ictum sequitur dolor in parte læsâ vehemens, caro circa plagam nigrescit & stupet, quæ, si digitis comprimatur, saniem emittit atram, crassam, & malè olentem, uti *Sennertus ibidem* testatur.

Ictum apum & muscarum in parte affecta sequitur dolor vehemens, qui tàm diu durare solet, donec aculeus relictus exemptus fuerit: relinquit autem plerumque stimulum apis, non vespa, uti *Mathiol. l.* 6. *c.* 41. scribit. Hos autem quos vespa pupugit, eadem concomitantur, sed intensiora, cumprimis si anteà cadaveribus venenatorum animalium insederit, aut, quod *Plinius l.* 11. *c.* 53. testatur, serpentibus planè victitarit.

CAPUT SEPTIMUM.

Ingenua videtur confessio *Galen. comm.* 3. *in progn. Hipp. text.* 41. Nunquam errare in prædicendo suprà captum hominis est, quàm

quam minimum errare,artificis solius.Hanc nostram facimus, enarraturi prognostica in morsibus & puncturis animalium. Omnes autem morsus qui à venenoso animali sunt inflicti, longè graviores & periculosiores sunt illis, quos animalia non venenosa induxere. Et quamvis morsus venenati interdum sint exigui, mortem tamen afferre possunt, cum alias non venenati, quamvis magni, sanari possint, symptomata enim non ita gravia sunt & contumacia, veluti in morsibus venenatis, ubi optimis remediis adhibitis sæpissime non cedunt. Cæterum quoniam signa Diagnostica perculiaria dedimus, prognostica quoque, quod & alii fecere, trademus, incipientes ab Aspide, quæ quoniam perniciosissimum venenum habet, quam citissime hominem interficit, ut ejus morsus ferè insanabiles habeantur: Est tamen quædam differentia, pro diversitate aspidum, quam designat *Galen. l. de theciac. ad Pison. c. 8. Aëtius serm. 13. c. 20.* tale prognosticum sistit, si scire velis an victurus sit percussus, centaurium cum vino bibendum præbeto, si evomet pharmacum, morietur, si non, vivet. Dipsas licet non tam cito veluti Aspis enecet, morsum tamen periculosum infert, urinam enim ægrotantes excernere nequeunt, quæ in totum corpus diffusa illud intumescere facit, ut sæpius circa inguina rumpatur, ægerque sitibundus moriatur.

Natrix morsu magis nocet, quando terram occupat, quam dum in aquis commoratur, & scribit *Ælianus l. 8. de animal. c. 7.* Chersydri venenum ita perniciosum esse, ut is qui mortuum saltem attigerit, statim intereat. Vipera medium quasi inter ea quæ statim interimunt, & ea quæ tardius interimunt, statuitur. Utrum vero fœmina aut mas venenum lethalius inferat, apud authores disputatur. Nos fidem habemus illis, qui experientia edocti, tradunt maris venenum esse perniciosius: quia ratio non repugnat. Hæmorrhous qualem morsum inferat, facile æstimabit, qui sanguinem cum Galeno pro communi partium corporis nostri alimento & fomento caloris nativi habet, ille enim cum per totum corpus, vias tam consuetas quam inconsuetas, excernatur, procul dubio

mortis causa erit, tantum enim caloris quantum sanguinis, tantum vitæ, quantum caloris. Basilisco serpenti magna in necando est rapiditas, ad solum tamen conspectum ejus, vel si audiatur, uti alii volunt, homines interimi, non facile crediderim: si enim solo oculorum intuitu hominem interficit, non equidem video cum *Cardan. l. 1. de venen. c. 16.* quomodo factum sit, ut ii qui ipsum viderunt, ejusque faciem adnotarunt, vel audiverunt, ex quorum postea relatione hujus feræ historiam descripserunt, incolumes evaserint, præsertim cum tam parvum sit animal, ut non nisi è propinquo loco conspici possint.

Prognosin Tarantulæ quod spectat, malum periculo non vacat, etsi Sennertus ex mille demorsis vix duos interire affirmet, cumprimis autem si morsum æstu anni flagrantissimo intulerit, & homini vel jejuno, vel in senectute constituto. Prognosis Amphisbænæ & Scytalæ convenit cum viperarum: Item quoque serpentis miliaris, qui alias Cenchris dicitur, & Nicandro Leo appellatur, quod æque sit ferox & crudelis. Dryinus tantæ venenositatis serpens dicitur, ut non solum morsu hominem enecet, sed etiam Medici ægrotanti medicamenta applicantis manus excoriet. Imo dicunt eum prave olere, si quis eum interimat, illoque suo fœtore omnium aliorum odorum, quamvis præstantium, sensum auferre.

Draconum morsus non ita periculosi statuuntur, cumprimis in frigidis regionibus. Serpentes Germaniam nostram inhabitantes, licet non tam cito enecent veluti peregrini, morsum tamen lethalem inferunt, ni in tempore ægrotantibus subvenias. De morsu canis quidam tale prognosticum sistunt: si fuerit rabiosus qui momordit, sequenti die demorsi peribunt; si non fuerit, vivent; quod tamen ita simpliciter determinare noluerim: cum experientia confirmet, morsus qui pro deploratis habiti sunt, præter opinionem fuisse sanatos, quosdam vero qui per se lethales non fuere, per accidens tamen tales factos esse, ob Medici scilicet vel Chirurgi & adstantium negligentiam, rerumque necessariarum defe-

defectum. Experientia interim, fidissima rerum magistra, docuit; si medicamenta statim adhibeamus, antequam venenum invalescat, & cerebrum invadat, demorsum servari posse, & praecaveri ne in hydrophobiam incidat; illa autem si accesserit, vix quisquam evadet, sed moriuntur plerumque in furore. Expertus id magno suo malo *Baldus Jurisconsultus* dicitur; fortè enim à catulo quem in deliciis habebat, in labia leviter morsus, cum illum rabie correptum nesciret, & vulnus ob exiguitatem negligeret, paulò post rabiosus interiit, frustra tum adhibitis remediis omnibus. Neque vero à morsu tantum canis rabidi funestum istiusmodi periculum infertur, sed & ab aliis animalibus; quin ipse homo homini lupus quandoque est, quod in proverbio alias dicitur: siquidem rabie correptus, ubi alium momorderit, rabiosum efficit, uti *Galen. l. 6. de loc. aff. c. 5.* ipsaque experientia docet. Neque mirum hoc est, cum & irati hominis morsum mortem non raro secutam *Paulus Ægineta l. 5. c. 26. Cels. l. 5 c. 26.* aliique testentur, cujus etiam nonnulla exempla notatu digna *Zacut. l. 3. prax. admirand. obs. 84.* proponit. Notandum autem, quod hi morsus omnes sint periculosiores, si cordi vel cerebro sint propiores, minus verò, si partes distantes occupaverint: si arteria laesa; tunc enim facili negotio venenum ad cor penetrat; si nervus aliquis laesus, nam non solum dolor ingens excitatur, sed & cerebro venenum promptius communicatur, & gravia symptomata excitantur, si vero vena sit laesa, humores corrumpuntur: Minus periculosum si nullum vas sit laesum. Convulsiones his quoque non raro superveniunt: fiunt autem illae vel à punctura nervorum eorumque dolore ingenti, vel à maligno & venenato vapore partem aliquam nervosam aut cerebri membranas vellicante, ad quem expellendum cum natura insurgit, contractionem istam excitat: quod intelligi potest ex *Hipp. sect. 5. §. 65.* *Quibus sunt cum ulceribus tumores conspicui, ij non admodum convelluntur aut insaniunt: his vero repente evanescentibus, siquidem postica parte factum sit, convulsiones & tetani accidunt.* Et *Galen. art. Medic. c. 92.*

92. : Nervi, inquit, & tendinis punctura, propter sensus vehementiam, & quoniam hæc pars principio (id est cerebro) connectitur, prompta est ad nervorum convulsionem excitandam, ac tum præsertim cum nihil extrorsum exspirat, obcæcato cutis vulnere. Prognosin non venenatorum quod attinet, morsus illi vitæ periculum non minantur, si ritè tractentur, & non magna contusio adsit, vel dilaceratio carnis, nullaque ossis fractio: alias non spernendi sunt, cum gangræna & sphacelus supervenire soleant. *Salmuth. cent. 3. obs. 35.* ex morsu equi in tibia Epilepsiam observavit. Morsum lupi non rabidi, sed solum irati, malignitatem habere conjunctam *Hild. cent. 4. obs.* testatur: confirmat id quoque *Schenckius in obs. l. VII. de venen. animal.* qui similiter luporum, licet non rabientium morsum venenatum probat: sed non satisfacit ratio quam affert, quia scilicet in renibus eorum plerumque nascuntur serpentes. Et hæc prognosis esto morsuum. Puncturarum nunc quoque tradenda: minantur autem summum periculum illæ, si animal quod pupugit, venenosum. Sic ictus scorpionis exitiosus est, cumprimis in æstate, & cum fame premuntur, quod omnibus quidem animalibus venenatis commune est; necant tamen alii aliis magis, nam octo illorum diuersa sunt genera, uti ex Nicandro patet. Dictum quoque id esto de scorpione marino, qui ictu suo misere piscatores sæpe torquet, ut & de scorpæna, quæ piscis est littoralis, scorpione multo minor, & in dorso solum spinam eamque venenatam gestans. Item de pastinaca marina, illa licet (absciso in cauda radio) in cibum veniat, tamen in cauda habet aculeum ita mortiferum, ut brevi temporis spatio homines aliaque animantia ictu perdere possit. Imo sicut *Ælianus l. 8. de animal. c. 26.* si ad maximam arborem summe virentem aculeum admoveas & defigas, non multo post amittet folia. Mellifluæ apes tantum abest ut ferant solum mel, ut iracundiæ quoque prodant fel. Hinc ab apum ictu ortam gangrænam observavit *Zacut. l. 3. prax. adm. obs. 83.* ex punctura vespæ circa carpum dolorem ingentem & lipothymiam *Hildan. cent. IV. obs. 77.* Sicut ex simili

pun-

punctura circa juncturam mandibulæ ulcus insanabile secutum, idem *obs. 78.* & dolorem horrendum aliaque symptomata ex ictu vespæ secuta, theriacalibus externis & internis curata, *River. cent. 3. obs. 88.* Imo quando bestiolæ istæ densiore agmine in hominem involant, illum interficere possunt: sic enim teste experientia non solum homines, sed & equos aliaque animalia robustissima interfecerunt.

CAPUT OCTAVUM.

Dum circa curationem versor, mentem meam subit illud Damasceni: *Quibus medemur, non esse lapides, neque lutum, neq; corium, sed tenuioris pariter & pretiosioris essentiæ opificii Dei, in quo lapsus proclivis quidem, sed admodum periculosus existit, & in plerisq; præsertim subtilioribus naturis, sæpe ad interitum terminatur.* Summa ergo ope nitamur, ne quid vel admittamus, vel omittamus, quod cavere possimus. Est autem curatio morsuum & puncturarum cumprimis ferarum venenatarum, instituenda in tempore, nulla interposita mora, & talis quidem, quæ apta est venenum digerere, ac ne in corpus subeat, impedire: occupatis enim semel principibus partibus, remedia frustra fere adhibentur, malumque raro cedit. Cum autem, ut supra notatum, non unius morsus & puncturæ sint generis, non una etiam omnium potest esse curatio. Morsus non venenati animalium robore dentium pollentium, cujusmodi Leo, Ursus, Equus, Canis, adjunctam habent insignem partium mollium contusionem. Cum autem in hoc, attritis cum carnibus vasculorum extremitatibus, sanguini via pateat, & dolor summus ex continui solutione attrahat sanguinem, ne tanta superveniat inflammatio, quam excipiat gangræna & sphacelus, illico opara danda, ut sanguinis impetus à parte læsa avertatur. Id quod præ cæteris auxiliis prompte præstat Venæsectio Revulsoria. In parte autem affecta locum habent vulgo dicta defensiva, quæ sanguinis in partem affectam influxum prohibent, parata ex bolo, terra sigillata, sanguine Draconis,

conis, nucibus cupressi, gallis, balaust. fl. ros. rubr. rad. consolid. maj. & similibus: in quorum defectu εὐπόριστον Albumen ovi cum aqua ros. conquassatum cum stuppis cannabinis usurpetur. Impetu sanguinis averso, discutientia applicanda, ab initio adstringentibus castigata, ne forsan fiat attractio: deinceps autem sola: ut quicquid P. N. effusum parti inhæret, digestum evanescat. Quod si autem tanta sit contusio, ut spes nulla supersit discussionem satis proficere posse, hærente in profundo sanguine extravasato, quidam, siquidem locus ita ferat, ad extrahendum adhibent cucurbitulas, & quandoque scarificatas. Si nulla speranda resolutio, superest ut in pus materia extravasata convertatur, locus mundificetur, caro in locum amissæ generetur, tandemque cicatrix inducatur. Interim non peccant qui etiam in his morsibus alexipharmaca adhibent, cum ex Cornel. Cels. multorumque sententia, omnis morsus videatur habere quoddem virus. Morsus autem venenati aliam postulant curationem, quam modo adornamus & commendamus, non neglectis singularibus & specificis in singularibus quibusdam animantium venenis, quæ experientia probata subjungemus.

In hac autem curatione ad tres collimamus scopos. Primus est ut venenum in tempore evocetur seu extrahatur. Alter ut impediamus ejus commeatum ad interiora: Tertius ut admissum Alexipharmacis expugnetur. Ad primum scopum faciunt tum medicamenta ἐπισπαστικὰ & ἑλκτικὰ dicta, manifesta qualitate, calore nimirum insigni, efficacia, ut sinapi, pyrethrum, cyclamen, euphorbium, & similia; tum occulta virtute venenum ad se elicientia, ut ol. scorpionum simpl. & compos. magnum Matthiol. ol. Aranearum Mindereri, ipsorum animalculorum, quæ vim intulerunt, substantia contrita imposita. (quod enim de scorpione canit Q. Serenus:

Et cum vulnus atrox incussit scorpius ardens,
Continuò capitur, tunc digna cæde retusus
Vulneribusque aptus, fertur revocare venenum.

Id

Id de majori non sine veneno mordentium & pungentium parte verum est, videatur ea de re *Galen. de Theriac. ad Pison. c. 10.)* Theriaca etiam, Mithridatium, Antidotus Matthioli. Et quamvis nonnulli sint, qui theriacam & similia haud imponendam putent, quod venenum intro compellere credant: eos tamen *Galen.* authoritas convincit: scribit enim *lib. de Theriac.* illam, si morsibus & puncturis venenatis antea imponatur, antequam venena ad partes nobiles pervenerint, magno præsidio esse: convincit quoque & ratio eos; theriacæ enim compositionem serpentum caro subit, quæ substantiæ similitudine allicit, & ut magnes ferrum, aut ambra paleas, evocat. Quidam hirudines apposuerunt, persuasum sibi habentes, illos sanguinem virulentum sugere. Quidam admodum laudant scarificationes & cucurbitulas. Sunt qui volatilium corpora divisa imponunt, recenti cruore calentia: Sunt qui podicem gallinæ viventis admovent: Sunt qui pretio conducti ore sugunt, ex parte veneno infecta, venenum, non jejuni, os subinde vino odorifero colluentes, oleum rosaceum ore detinentes, & quod sugunt subinde exspuentes, ut notat *Avicenna lib. 4. Canon. fen. 6. tract. 3. c. 1.* Qui hoc, quicquid est operæ, olim præstabant, Psylli vocabantur, nomen accipientes à Libyæ populis, qui Psylli dicti à Rege Psyllo, quibus stupenda ab antiquitate tribuebantur, scilicet ingenitum habere virus exitiale Serpentibus, ut cujus odore sopiant eos ap. *Plin. hist. Nat. 7. c. 2. 8. c. 24.* Morsos à bestiis sanare ore venenum exsugentes, ipsasque bestias incantationibus demulcere, ap. *Plutarch. in Vita Caton. min.* Leviora venenata vulnera saliva curare: periculosiora haustu aquæ, qua ipsi os colluerant: periculosissima accubitu seu applicatione proprii corporis ap. *Ælian. histor. anim. 9. c. 38.* Illos eleganter describit *Lucanus l. IX. Pharsaliæ:*

Gens unica terras
Incolit à sævo serpentum innoxia morsu
Marmaridæ Psylli: par lingua potentibus herbis:
Ipse cruor tutus, nullumque admittere virus

Vel cantu cessante, potest : Natura locorum
Jussit ut immunes misti serpentibus essent.

Verum enim verò, an ea quæ præstiterunt olim Psylli, naturalem causam an vero Magicam habuerint, dubium remanet. *Ulysses Aldrovandus (histor. serpent. & Dracon. l. 1. c. 1. §. veneni serpentum medela)* arbitratur, horum præsidiis nullam adhibendam fidem, propterea quod Galenus & ipse attestetur, Marsos populos, qui sua ætate adhuc extabant, contra serpentum virus nullam propriam facultatem possedisse, sed quibusdam dolis & vanis commentis universam plebeculam decepisse: quemadmodum hodie circulatores, qui serpentes & viperas non debito tempore venantur, captisque carnes mordendas objiciunt, ut omni veneno ab ore vacuata, felicius coram populo contrectari possint. Quo minus tamen simpliciter huic sententiæ subscribamus, *Celsi* authoritas facit: Ille enim ita *l. 5. c. 27.* si cucurbitula non est, homo adhibendus est, qui vulnus exsugat. Neque hercle scientiam præcipuam habent hi qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur: ictus ejus occidit: Et si stupente ea (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ejus saliva noxa est. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus, id vulnus exsuxerit, & ipse tutus erit, & tutum hominem præstabit, Illud interea antea debet attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat. Expeditissimum etiam auxilium est ustio ; illa namque, uti *Matth. in Comm. in Diosc. Mercurialis* aliique habent, omnibus venenatis morsibus valde prodest, quod ustio vim veneni domare valeat. Ustione peracta, crusta celerrime removenda : sic enim quam citissime veneno patebit exitus, nam crusta facit ut venenum retineatur, & ad interiora penetret. Sin locus ustioni minus idoneus, aut æger illam formidans ignem recuset, caustica & escharotica adhibenda: qua in re cæteris præstare

dicitur

dicitur argentum sublimatum, unguentis refrigerantibus admistum, quo minus doloris inferat. Imponantur deinde emplastra attrahentia ex galbano, pice nigra, terebinthina, aliisque gummosis & resinosis. Pulvis Mercurii in hoc casu valdè commendatur, quia virulentam saniem evocat, nec vulnus tam cito claudi permittit. Ad alterum scopum facere creduntur ligaturæ arctissimæ in parte superiore, constrictis vasis: amputatio ipsius partis læsæ, siquidem talis sit, quæ sine vitæ periculo truncari possit, ut digitus manus, vel pedis. Exemplum recenset *Sennert. l. 6. prax. part. 5. c. 7.* Ad tertium faciunt alexipharmaca statim propinanda, ut venenum accedens quasi non admittant, sed quasi repellant; continuanda, ut illud quod penetrat extinguant, & pravam dispositionem relictam corrigant. Hæc vel simplicia vel composita sunt: Simplicia *Radices* Vincetoxici, Angelicæ, Imperatoriæ Petasit. Scorzoner. Contrayerv. Gentian. Bardan. Carlin. Succis. Dictamn. alb. Valerian. Allium. *Herb.* Succis. Scabios. Card. bened. Scordium, Ruta, Dictamnus Creticus, Galega, Salvia, Basilicum. *Flores* Tunicæ, Anthos, Calendulæ, Crocus, Rof. Viol. Nymph. Borrag. Bugloss. *Semina* Citri. Card. bened. Levist. Basilic. Napi, Coriandri præp. Acetosæ. *Fructus:* Nux mosch. Baccæ lauri, Juniperi, Caric. Nux juglans, Caryophyll. Cubeb. Cardamom. Pom. Granat. Limon. Aurant. Citri. *Cortices* Citri Aurantior. Limon. Cinnam. Cass. Lign. Costus. *Ligna* Xylo Aloë, Santal. Rhodium. *Lachryma:* Thus, Myrrha, Storax, Benzoin, Camphora. Ex *Animalibus* Cornu Cerv. Unicorn. Os de corde cervi, Ebur, Bezoar orient. & occidental. Moschus, Zibeth, Castoreum, Oculi cancri. *Terræ* sigillatæ, Bolus Arm. *Marina* Corallium, Margaritæ, Succinum, Ambra. *Lapides* pretiosi, Sapphiri, Granati, Smaragdi, Hyacinthi, Sardæ seu Carneoli. *Fossilia:* Sulphur, Nitrum, Vitriolum. *Præparata:* aquæ simplices ex Simplicibus enarratis: Compositæ, Theriacalis Bezoartica, Bardanæ composita, Carbunculi, Cordialis temperata, Antidotalis alexipharmaca Matthioli, Stapediana. Elixir vitæ Matth. Propriet. Paracelf. *Syrupi* simplices ex succis ve-

getabilium: de ſcordio compoſitus. *Conſerva* ex herbis, floribus, pulpa fruct. *Condita* Rad. Scorzoner. Helen. Cortic. Citr. Aurant. Nux moſch. fl. Citr. Aurant. *Tabul.* ex ſucco citri, Berber. Rob. ebuli, ſambuci, juniperi, gelatina corn. cervi, cydonior. *Opiatæ:* Theriaca Andromachi, Mithridat. Damocrat. Antidotus Matth. Theriaca cœleſt. Diaſcordium Fracaſtor. Electuar. d. ovo Maximiliani Imperatoris. Conf. Alkermes, d. Hyacintho. *Extracta* Angelicæ Zedoar. Gentian. Card. bened. Scord. Helen. Croci. *Salia volatilia* Cornu C. Viperarum. *Pulveres:* Ruber Pannonicus, Saxonicus, Bezoarticus officin. Gryſeus Cæſaris contra peſtem. *Species* diamarg. cal. & frig. d. gemm. calid. & frig. lætif. Gal. *Conf.* liberant. hyacinth. *Acet.* roſ. rub. tunic. ſambuc. calend. rut. de rub. id. Theriacale. *Ol.* ſcorp. deſtillata ex vegetab. *Balſama* ex oleis varia pro ſuffitu. Ex deſignatis ſcopis facile intelligitur, quare Doctores in his caſibus canonem eſſe velint, non ſanguinem detrahendum, non catharticum, non clyſterem, non vomitorium, non balneum, neque aliud quidquam ſudoris provocatorium exhibendum, ante triduum à morſu aut punctura exactum. Tum autem iſtis univerſalibus vacuationibus locus erit, quando à veneno in venoſo genere humores labem contraxerunt. Veneno expugnato ad vulneris ſanationem, ut alias, accedendum. Quidam jactant curas magicas, & ſunt multi qui ſchedulas variis vocabulorum barbarorum divaricationibus crucibusque intertextas hominibus vel beſtiis devorandas offerunt, qualis eſt his characteribus ſignata:

† Affra † Schoffara † Affara

† Pax † Max † Miax.

Sigillo equitis Ruperti, ferreo ſtylo inſculpto, multi quoque gloriantur ſe curatos fuiſſe, & refert *Gokelius de venen. animal.* ſe homines vidiſſe curare, qui ad unamquamque inuſtionem ſequentia verba German. recitarunt: Das walt GOTT und unſer lieber Herr St. Ruprecht / GOTT Vater / Sohn und

Heiliger

Heiliger Geist. *Ulysses Aldrovandus de serp. & dracon c. 1.* ex Matthiolo narrat, ad Eremitam quendam, circa Romam morantem, confluxisse magno numero homines nomine vulneratorum ab anguibus; hunc solitum fuisse interrogare nuncium, num vellet pro patiente remedium sumere: annuentem jussisse, ut pedem denudatum solo collocaret, quem gladii acie circumscribebat, indeque amoto pede hæc verba in vestigio inscripsisse: CARO CARUZE SANUM REDUCE REPUTA SANUM EMANUEL PARACLETUS: deinde eodem gladio characteres delevisse, terramque collectam in cyathum aqua plenum infudisse, donec subsideret, aquam postea indusio mundo colatam nuncio propinasse, sicque confestim ægrotum absentem sanatum fuisse. De talibus ut nostram proferamus sententiam, statuimus cum *Ulyss. Aldrovand. l. c.* à talibus, quorum ratio reddi nulla potest, abstinendum, tanto magis, cum experientia doceat, quibusdam proficuas esse ejusmodi artes, alios in longe graviora mala præcipitare. Rem superstitionis plenam esse ultro patet: superstitionem impietatis plenam, Theologi docent. Atque hæc de morsuum & puncturarum venenatarum curatione sufficiant: nuncq; singularia quædam venena exposcunt subjungendum. Ab Aspide igitur ut denuo initium faciamus, in ejus morsu in specie commendatur acetum acerrimum, quod Ægyptii frequenter contra venenum hoc habent in usu; dandum autem est inquit *Aet. serm. 13. c. 20*, quousque ægri aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem percipiant: Hepar enim in demorsis ab Aspide primo ajunt sensu privari. In medicamento sequenti nonnulli talem fiduciam habent, ut non dubitent se mordendos quantumlibet efferæ offerre Aspidi. Capiunt vero folia thapsi barbati, caryophyllatæ, leucoji, rubri pari pondere, quæ in acetô acerrimo & sani hominis urina bulliant, ad partis læsæ fotum. Nonnulli ejus decocti unc. iij. jejuni hauriunt. Dipsadis morsui fere conveniunt quæ reliquorum venenatorum animalium morsibus: præter illa tamen, quia demorsi plurimum bibunt, nec potum per urinas evacuant, diu-

retica exhibentur, alvus clysteribus aquam educentibus evacuatur. Natricis morsui ea auxiliantur remedia, quæ in aliis vulneribus à serpentibus inflictis adhiberi solent. Ad Viperæ morsus *Galen. 2. de antidot. c. 14.* hæc epithemata tradit: R. sagapeni, piperis, liquor. Cyrenaic. Opopan. part. æqual. arida pulverisentur, liquores in aceto solvantur, misceantur. f. Emplastr. Vel R. Centaur. aristoloch. rad. peuced. pond. par. pulverisentur & aceto ac galbano excipiantur. Costum veneni viperini bezoar esse scribit *Santes Ardoyn. de venen. l. 6. c. 1.* exhibitum à ℨß. ad ℨj. cum vino absinthite. Coagulum leporis exhibet in hoc morsu *Dioscor. l. 6. c. 47.* Ab hæmorrhoo demorsi etsi raro perveniant ad pristinam sanitatem, & salutis spes in angusto sit, tentandum tamen aliquid, & primo quidem statim membrum læsum, si fieri potest, abscindendum, deinde utendum etiam communibus remediis supra relatis: Tunc medicamenta exhibenda, quæ vim habent sanguinis fluxum sistendi, qualia esse possunt tormentill. burs. pastor. bol. armen. terra sigill. lap. hæmatit. &c. quibus tamen semper aliquid theriacæ adjiciendum, nec alexipharmaca negligenda: nam licet vim sanguinem fundendi habere videantur, quia tamen sanguinis illud profluvium ab Hæmorrhoi veneno proficiscitur, veneno per alexipharmaca victo, etiam sanguinis effusio cessabit. Adversus Basilisci morsum, plurimi nulla præscribunt remedia, quod tam subito hominem enecet. *Aëtius serm. 13. c. 13.* vanum & superfluum duxit auxilia contra eum referre. Erasistratus tamen monente Sennerto Castorei ℨj. cum vino vel papaveris liquore exhibendam monet, cui quoque suffragatur Dioscorides. Tarantulæ cura, posteaquam usitata remedia, quæ in aliorum animalium venenatorum morsu supra nominata sunt, fuerunt adhibita, præcipue existit in Musica, ut omnes etiam Doctores testantur. Non autem omnibus idem sonus competit; nam alii ad hanc, alii ad illam harmoniam saltare incipiunt, idque tam diu continuant, donec amplius nequeant. Neque etiam omnes ab uno instrumento quoque excitantur, sed alii fidibus opus habent, alii instrumentis magno strepitu aërem quatien-


tientibus, cujusmodi ſunt tympana, tubæ &c. Alii, quod tamen rarum, non niſi bombardarum exploſione aguntur in ſaltus. Curatio Amphisbænæ & Scytales eadem eſt, quæ Viperarum, uti *Dioſc. l. 6. c. 48.* aſſerit: petatur igitur ex ſupradictis. Eadem quoque Dryini morſus curatio; in ſpecie tamen commendatur origanum, trifolium & marrubium, vel eorum ſuccus, radix item ariſtolochiæ, nec non glandes cujuscunque quercus conciſæ & cum vino generoſo ſumptæ. Morſus Cenchris, Draconis, & ſerpentum in Germania noſtra habitantium quomodo ſint curandi, ſatis ex iis quæ hactenus dicta ſunt patebit. Demorſis denique *à cane rabido* modo ſequenti ſubveniendum: Venenum his, quæ ſupra in univerſali curatione enarrata ſunt, evocandum, & quidem cito quantum fieri poteſt: fruſtra enim adhibentur remedia, quæ tarde in hoc caſu adhibentur. Vulnus diu aperte ſervandum, & non ſolum determinate usque ad diem 40. ſed usque ad tertium l. 4. menſem, imo per integrum interdum annum: obſervationes enim Doctorum teſtantur, quosdam ab illis demorſos poſt annum demum & longius tempus in hydrophobiam incidiſſe. Oxalis trita & impoſita ejusdemque decoctum magnarum in hoc caſu dicitur virium. Pili item canis rabidi vulneribus impoſiti. Cinerem cancrorum fluviatilium mirifice contra illorum morſus prodeſſe, *Galen. l. 11. ſimpl. medic.* ſcribit; exhibet vero ejus duo cochlearia, cum pulveris radicis Gentianæ cochleari uno, in vino generoſo. Similes vires Veteres alyſſo aſſignabant: verum cum difficile ſit decernere, quænam hodie planta alyſſon veteribus dicta fuerit, nihil certi ſtatuere poſſumus. Demerſio in mare non eſt certum contra rabiem remedium; permulti, inquit *Paræus l. 20. c. 8.* ſe in mare demerſere, nec tamen inde adverſum rabiem quidpiam adjumenti ſenſere. Præſentaneum & à multis ſeculis probatiſſimum eſt in hoc caſu cauterium actuale: Uſtionem enim ſuperficialem nequaquam ſufficere, exempla teſtantur *Hild. obſ. 86. cent. 1.* A purgatione & venæſectione Authores abſtinent, niſi forte malum nobiles præcipuasque partes corporis occupaverit; tunc corpus ſatis large

&

& abunde purgant, balneis & iis omnibus, quibus pori aperiri possunt, utuntur. Potio Lüchtenbergica à multis viris doctis valdè celebratur: verum an intra novem dies, uti affirmant, venenum hocce tam exitiosum extirpare potens sit, valdè dubitat *Hildanus*, qui empiricum istum processum periculosum affirmat: cui quidem *Daniel Danielis in epist.* ita respondet: Illam *Hildane* toties & tam felici successu comprobatam potionem, cujus ocularem testem me offero, illæsam nec maculatam volo: plurimi namque adhuc supersunt, qui ex usu illius potionis jam multis elapsis annis nunc belle vivunt &c. Scorpius qui læsit contritus & super locum impositus, ipse sibi remedio est, tanquam injuriæ vindex & perniciem quam intulit corpore suo luens, ut supra ex Poëta notavimus. Ejus oleum quoque auxilio est, unde incolæ Italiæ illud diu noctuque ad manus habent, eoque plagam illinunt. *Aetius serm. 13. c. 19.* medicamentum sequens mirabile pharmacum nominat: Rutæ sylvestr. drach. j. terit in aceto, ceræ unc. j. & resin. pini quadrant. liquefacit & affuso oleo quasi unit & imponit; scribit & ibidem cochleam hortulanam præcipue cum testa tritam & plagæ impositam confestim dolorem sedare. Lac ficulneum in vulnus instillatum præsenti auxilio percussis adesse *Diosc. l. 6. c. 44.* refert. Interne alexipharmaca & quæ veneno adversantur adhibenda. Quæ jam dicta sunt de curatione puncturæ scorp. terrestris, locum quoque habent in curatione ictus marini scorpionis, item in ictu pastinacæ marinæ, & scorpænæ, nisi quod adhuc *Plinius l. 28. c. 11.* contra pastinacam coaguli leporis vel hædi vel agni ʒj. prodesse scribat: & *Aetius serm. 13. c. 37.* furfures aceto coctos & pro cataplasmate impositos. Contra puncturas vero vesparum & apum remedio est è vestigio ictum suxisse vehementius, suctuque infixos aculeos revulsisse, quod si sic revelli nequeant, locus, si nihil impediat, incidendus est. Nonnulli partem læsam in calentem aquam demergunt & per integram horam fovent. Nasturtium tritum & impositum dolorem sedare dicitur. Idem præstabit impositus. Sunt qui animalia trita, quæ pupugerunt, imponunt, veluti in

punctura

punctura scorpii. Ultimo, cum tutius sit morbum præcavere, quam eundem curare, nonnulli Medici docere conantur, qua ratione quis possit prohibere, ne animalia morsibus nocere possint, de qua re vid. *Sant. Ardoynus, Haly abbas* aliique. Hoc verum, quod, qui corpus suum succo malvæ cum oleo mixto obliniverint, à puncturis vesparum & apum immunes sint.



XI.

RELATIO CHIRURGICA

DE

LUE PESTIFERA INFECTIS.

Nos infra subscripti Doctores Facultatis Medicæ Mompelgardiensis, Chirurgique jurati ejusdem loci testamur hisce, quod vi Mandati, die 21. Maii 1666. à Parlamento publicati, nobisque die 30. ejusdem insinuati, ut sc. omnes illi, qui in nosocomiis æque ac alibi in civitate febribus ardentibus & pestilentialibus decumbunt, inspiciamus & de iis æque ac de cadaveribus, quæ à peste infecta & denata esse feruntur, relationem nostram impertiamus, præstito prius juramento solenni tres

integros dies, ſc. 1. 2. & 3. Junii tam in viſitatione ægrorum, quam inſpectione cadaverum demortuorum impenderimus, & in ſingulis ægris ſequentia ſymptomata, majori vel minori vehementia infeſtantia, offenderimus; ſc.

1. Inopinatam virium debilitatem, cum inſigni corporis gravitate, & alternantibus artuum, qſ. concuſſorum, doloribus.

2. Horrorem inordinatum, cum pulſu parvo, celeri, debili & inæquali.

3. Dolorem punctorium circa orificium ſtomachi ſiniſtrum, nauſeam ciborum eorumque vomitum, ſingultum crebriorem motusque convulſivos, in muſculorum ligamentis circa pulſum ſenſibilem, cum ſiti, ariditate & nigritie linguæ.

4. Agrypniam continuam, deliria, maniam & phrenitidem.

5. Cephalalgiam continuam & vehementem doloresque ſcapulæ, dorſi & laterum.

6. Urinam craſſam & turbidam, cum ſedimento rubicundo, craſſo & divulſo.

7. Lumbricos per alvum rejectos, quos diarrhoea bilioſa inſecuta fuit.

8. Ocu-

8. Oculos rubros & fulgentes, cum maculis diversi coloris, vel magis, vel minus copiosis, cumprimis in collo, pectore & lumbis.

9. Pustulas in facie, aphthas in ore, parotides retro aures, carbunculos & alios tumores.

Tandem numerus ex hoc morbo pereuntium longe excedit numerum evadentium.

Corpora demortuorum quod concernit, sub inspectione illorum in xx. fœtorem intolerabilem & dispositionem maximam, ut intra paucos dies corrumpi possint, invenimus. In genere cutis nigredinem insolitam præ se ferebat, non minus ac nares, aures & ungues. Observabantur quoque adhuc maculæ rubicundæ, striæ, parotides, carbunculi & bubones.

Omnia hæc signa, in ægris æque ac corporibus demortuorum occurrentia, perfectam pestem innuunt.

Quapropter è re esse judicamus, ut summa, quæ excogitari poterit, præcautio adhibeatur, ne morbus hic contagiosus ulterius eundo serpat, pluresque inficiat. *Signatum N. die 3: Jun. Anno 1669.*

Interim ſedulo eſt cavendum, ne intempeſtive & morbo nondum præſente ſive regioni, ſive civitati alicui terrorem incutiamus, ſicque phantaſiæ triſtem peſtis ideam imprimamus, quæ ipſa peſtilentia (juxta commune proverbium: Einbildung iſt ärger denn Peſtilentz) pejor eſt: eaque de cauſa non tantum Medici & Phyſici ſibi in publicandis præter neceſſitatem contra peſtem arcanis temperare debent, ſed & Magiſtratus omnem lapidem movere debet, ut, ſi falſus forte rumor de peſte ſive imminente ſive præſente hinc inde ſpargatur, is tempeſtive ſupprimatur, in prima, quod dicitur, herba ſuffocetur & Civibus potius animus addatur, exemplo Sereniſſimi Haſſorum Principis, qui, cum circa finem anni ſuperioris terror ejusmodi Panicus, ob demortuos duos Medicos, ſub & poſt inſpectionem Militum Landavienſium incautius mercantes, oriretur, ſequens Reſcriptum Principale Academiæ Giſſenæ gratioſiſſime transmittere acquieſcebat:

ERNESTUS LUDOVICUS, Dei Gratia, *Landgravius Haſſiæ, Princeps Hersfeldiæ, Comes in Cattimeliboco, Decia, Zigenheina, Nidda, Schaumburgo, Iſenburgo & Budinga, &c.*

Digniſſimi, Eruditiſſimi reſp. Conſiliarii & Dilecti Fidique. *Vobis dubio procul innotuerit, qua ratione partem Chiliadis noſtratis Circularis, è Captivitate Gallica reducis, in Civitatem & Municipium noſtrum receperimus. Quum verò Gregarii ejusdem inſignes, ut facile judicare eſt, labores & ærumnas ſub obſidione Landavii ſuſtinuerint, imò & ſub itinere longinquo in- & è Gallia frigore aque ac fame inſigni preſſi fuerint, eaque de cauſa morbi, quidam inter illos ſe trudant, qui in ſe & ſua natura quidem minus contagioſi ſunt, attamen terrorem alicui metumque infectionis incutere poſſent, adeo quidem, ut, juxta famam ad Nos delatam, Studioſi*

diosi Gissæ literis operam navantes scrupulum sibi movere & abitum meditari non dubitent: hoc autem Academiæ Nostræ non tantum summe damnosum, sed & optimam nostram Urbem Gissam, si unus aut alter Studiosus se subduceret, facilimè in rumorem & diffamationem immeritam, non sine præjudicio ejus, præcipitare posset: eaque de causa jusserimus, ut omnes, qui de Chiliade circulari è Captivitate Gallica eo devenerunt, quam citissime rursus inde emigrare debeant;

Hinc Clementissimè hisce jubemus, ut data occasione Studiosos illos, qui abitum maturare intendunt, admoneatis, ne vanum & inanem terrorem concipiendo iter suum intempestivè præcipitent, aut literis aliorsum missis rumorem malè fundatum excitent, cum militum horum ægritudines, à meris laboribus & ærumnis exhaustis oriundæ, nihil maligni aut contagiosi foveant, aut incommodi quid inferre valeant. Quibus Gratiosissimè Vobis addicti favemus. Darmstadii die 6. Decembr. 1713.

ERNEST. LUDOVICUS HL.

Ad vanum ejusmodi terrorem & timorem excutiendum forte quid contribuere posset, si hominibus persuadeamus sæpiuscule expedire mori peste: quod problema in utramque partem, ante quinquennium circiter, in Academia Rostochiensi, sub præsidio *DN. D. Dethardingii*, ventilavit *Balthasar Ludovicus Schirac*, in seq. Disputatione, quam ob argumenti raritatem hic subjungere placuit:



MEMBRUM I.
QUOD NON EXPEDIAT PESTE MORI.

§. I.

Ea solet esse rerum in hoc mundo conditio, ut si quid in illis sit molestum, vel naturæ humanæ videatur inimicum, illud quotidianus soleat illarum aspectus, si non tollere, reddere tamen tolerabilius, Ast quid de morte dicamus? Tantum abest, ut ejus dicere possimus terribilitatem per tot funera quotidiana mitigari & familiarem illam nobis reddi, quin crescat cum die ejus nausea; Et si quondam Ethnicis mors fuerit terribilissimum, nunc appellitetur terribilissimorum maximum. Nec est, ut animæ ipsi nostræ male inde possimus dicere. Ipsa enim per tot annos ex mandato, quod ipsi Creator dedit, per tot pericula (ex quibus, quæ externè ruinam minitata sunt, fortean minora, si comparentur cum perpetua pernicie quam ipsa corporis compages singulis momentis minatur) non modo sartum servavit & tectum hoc sui ergastulum, sed, si quæ illi labes aliunde accessit, omni studio & cura indefessa pro sibi concessa scientia illam corrigere sedula fuit & felix. Quid mirum, quando superare videt suas vires, & conatus suos reddi irritos, quos ad corpus conservandum adhibet, quocunque etiam illud tempore fiat, si doleat, langueat, contristetur, angatur & contremiscat?

§. 2.

Ast, quod si homini gravissimum est mori, aut rectius, animam privari suavi illo commercio, quod ipsi cum corpore fuit: magis adhuc anxiam illam habeat necesse est, tali modo amicitiam hanc dissolvi, quem speciatim vindicta divina sibi quasi reservavit

ad

ad demonstrandum, quis ipsi sit Zelus in puniendis immorigeris. Nec enim negari potest, Pestem morbum esse ab ipsis jamdum Ethnicis pro divino habitum, nec a Medicis Christianis aliter habendum, quamdiu vera, quæ hujus affectus sit natura, quæ causa, quæ cura, quæ præservatio? etiam Medicos doctissimos audacissimosque, peste jam dum sublata, latet & quoties de novo ingruit adhucdum ignoratur. Pia satis est definitio pestis, quam *Franciscus Joel*, Medicus in Academia Gryphisw: quondam satis meritus, affert; *Pestilentiam* dicens, *esse pœnam divinam, ulciscentem enormia scelera hominum, per venenata seminaria pestis, in aërem à Deo sparsa ac deinde per contagionem in multos propagata.* Longior quidem, nec tamen alia, quam *Schœnerus* affert, itidem Medicus Gryphisw: *Esse*, enim inquit, *pestem morbum occultum, seu totius substantiæ, epidemium, contagiosum, peracutum & perhiciosum, qui spirituali sua malignitate ac veneno Cor & calidum nativum primum infestat, vires totius corporis subito prosternit & deleteria sua violentia sævissima inducit symptomata, sicque hominem repente atque miserrime jugulat.* Queis verba addimus *Cratonis*, (quem rara manet gloria, quod trium Imperatorum, ordine nunquam intermisso, Consiliarius & Archiater primarius fuerit) qui in *Consiliis* suis *Medicis*, *diversitatem veneni pestilentialis & verum specificum remedium solius Dei Majestati reservatum & cognitum, nobis vero incognitum esse*, lubentissime fatetur. Et quid aliud volunt diversi tituli, quibus Medici Pestem nunc manum Dei funestissimam, nunc Dei digitum merito venerandum, nunc calamitatem, qua & hodie Jehova genus humanum propter scelerum nefandorum multitudinem coërcet & castigat, appellant ac statuunt? Equidem placuit recentioribus veneni appellatione, quod pesti insit, clariorem non modo dare pestilentiæ notitiam & simul causam ejus facere naturalem; Et affirmandum omnino est, pestem homines veneni ad instar etiam robustissimos aggredi, prosternere & cito interimere: Item peste laborantibus adesse simptomata quædam, quæ illos corripiunt, queis lethifera pocula

data

data sunt; ast, priusquam veneni positivam illi dederint definitionem claram ac destinctam, & in quo forma veneni pestilentialis consistat explicuerint, non male habebunt, si quando quis dixerit, se obscurum explicare per æque obscurum, aut rectius, se cum antiquis adhuc ignorare naturales causas furibundi hujus morbi. Tale quoque judicium experiuntur illi Medicorum, qui per febrim essentiam pestis declarare contendunt, quandoquidem & illi Medici, qui ægrotorum curam tempore pestis in se susceperunt, dicere adhuc hæsitant, an revera febris adfuerit, & quantumvis adfuerit, evictum hodie est, male febrim inter morbos reponi, quæ ad noxia è corpore eliminanda â natura in subsidium vocatur. Ut ergo maneat vera pestis causa ut soli Deo nota, ita quoque justissima pœna puniendi malos. An ex Ps. CXI. v. 7. evinci possit, nullum justum peste perire, videant Theologi. Nobis sufficiat citasse è sacro codice Exod. IX. 15. Lev. XXVI. 27. Num. XVI. v. 46. ceu textus ad literam docentes morbum pestilentem esse â Deo & plagam ad hominum perniciem in terram emissam. Nec ergo doleat anima sibi plaga ista suavissimum corpus subduci?

§. 3.

Consolari solet Amicos, quando discedere coguntur, si tempus aliquod permittatur sese exosculandi ultimumque sibi dicendi vale. Quid vero in peste? Amicos esse Animam & Corpus quis dubitabit? Qui in se ipso quovis momento experiri potest quam sollicite Anima ad omnia illa attendat, quæ corporis sunt, nec quicquam per sensus sibi afferri patiatur, quin eodem momento secum meditetur, an ex objecto tali corpori suo salus aut noxa immineat? quam iterum promte corpus animæ nutus suscipiat, exequatur & quanta celeritate suis mandatis assurgat? Haud vero in peste ulla mora conceditur de discessu serio meditandi. Peracutissimum hunc morbum vocant Medici, quia vocabulum Latio deest, brevissimum hujus Luis, quando hominem aggreditur, spatium arctius significandi. Raro ad quartum diem morbum dictum protrahi posse cum rubore fatentur Medici. Per triduum 70. millia homi-

hominum ex illa Lue occubuisse habent sacræ paginæ. Ast quantillum spatii de re tam seria statuendi? Sunt majora hæc mala, quando ingruunt, ipsis lacrymis, & ante divortium animæ & corporis vix serio de illo cogitari poterit.

§. 4.

An fallimur, si nullum dicamus illud spatium, quod peste morientibus conceditur? Numne enim illud dixeris spatium deliberandi & de re maxima statuendi, quod tot anxii Nuncii, tot tristes casus occupant & in quo Animus per tot angustias à tot rerum discriminibus huc illuc rapitur? Imo quod tempus, quamvis brevissimum, Medici sibi volunt, propinando farraginem Medicamentorum Alexiteriorum, Bezoardicorum, Specificorum, Alexipharmacorum, Antidotorum, Antipestilentialium, Diaphoreticorum &c. Valent enim tunc vel maxime apud Ægros & Medicos verba *Celsi: Quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda sunt.* Funera insuper densantur funeribus. Rapitur in conspectu Parens. Tolluntur charissima pignora, Liberi. Invito aufertur Marita & tamen tempus emigrandi citatissimo cursu advolat. Animus ergo ferreus quamvis sit, & Stoica Philosophia loricatus, non potest non, quin in rebus istis dubiis moveatur, titubet, hallucinetur, stentque ipsi comæ.

§. 5.

Solamen, quod Miseris esse solet, si quando plures mali cujusdam socii sint, crudelitatis nomen hic obtinet & majoris afflictionis. Quo pluribus in peste male, eo morientibus pessime. Mori grave est, mori misere gravius, mori à consortio hominum exclusus, gravissimum. Στοργὴν nunquam dixeris Ciconiis maxime propriam, quandoquidem longius his videtur in oras dissitissimas pestis tempore aufugisse. Videas vero, si quando pestis domum occupaverit, parvulos deseri à Majoribus, Filios à Parentibus, Uxores à Maritis, ut omnes quasi Megæræ hujus inexorabi-

lem tyrannidem remis velisque omnibus fugiant, quos vero jamdum occupavit liberrimo illius arbitrio, exuto omni amore, relinquant. Quodsi amicus, ex mille fortean unus, amicum in angustiis illis convenire velit, ponuntur, quando pestis Te martyrizat, repagula, clauduntur valvæ, obserantur fores, ne aditus illi ullo modo pateat. Et quis vel tantæ foret audaciæ, si vel maxime pateat aditus, qui intraret, quando videt plura vestigia introeuntium, nulla redeuntium? Quod Poeta quondam de prima Nauta cecinit:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Nothi,
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum &
Infames scopulos Acroceraunia?

Meliore jure in illum quadrant, qui peste decumbentem visitare non reformidat, quando

Non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genere: fratrum quoque gratia rara est.

§. 6.

Ex Mortis annunciatione semel facta nonnullos homines una nocte incanuisse, exemplis notum est. Mille advolant Mortis nuncii, quando Pestis sceptra capit, sive quod in domo, qua vivis, pestis hunc illum jamdum occupaverit, mox Libitinæ tradendum: sive, quod homo peste correptus obviam nobis in via fiat & ante pedes nostros corruat: sive, quod funus, peste extinctum, oculos percellat: sive, quod adspectus ædium infectarum animum terreat. Imo Medici, Gratiosissimi cæteroquin dicti & pro talibus habi-

habiti, nunc devestiti, mortis sunt obviam venientibus præcones. Quosdam ex solo Curr' adspectu, quo peste extincti ad sepulturam vehuntur, & quod magis, ex strepitu ejus homines à peste non modo correptos esse, sed occubuisse, Annales Medicæ annotarunt. Imo, ac si miseriarum inde non esset satis, Campanarum funera cantantium boatu Mentes satis jamdum timidæ, magis adhuc anguntur, percelluntur ac rigidæ fiunt. Dantur, qui probare contendunt Campanas illas magnas & mole graves per Sacrificulos & Monachos este templis illatas & sine quod vel animæ l. corpori l. famæ demortui inde quicquam accedat, in Avaritiæ usus excogitatas. Qui mitius de illis sentiunt, Campanas in hunc esse finem in cuspidibus Templorum suspensas volunt, ut resonent quantum possunt, quoties beneficia singularia a Deo hominibus concessa, undiquaque per ipsum quoque aëra sint annuncianda: ut resonent, quantum valent, quoties corda mortalium ad piam in psallendo æmulationem sunt provocanda: ut resonent, quantum in illis est, quoties gloria divina jubet, ut omnia quæ ad manus sunt canant gloriam & misericordiam divinam. Quodsi hæc ita sese habent, an pestis tempore vel ex sententia Priorum in avaritiam usurpanda sunt canora hæc Instrumenta? Aut tunc ad psallendum læta campanarum conquassatione Animi hominum excitandi, quando ipse Deus justissimas de peccatis mortalium pœnas sumit, ac unusquisque hanc manum extimescit & in magno silentio tonantem Creatorem veretur? Ita tamen est, &, quod mirum, pretio & prece redimendi sunt strepitus illi, millies quamvis inde vulnus recrudescat in Agnatorum pectoribus & corda Civium magis pulsent & agantur quam ipsæ Campanæ.

§. 7.

Minima hæc omnia dixeris, quamvis maxima sint, ad Animos fortissimorum quoque dejiciendos, si comparentur cum metu, quem tempore pestis jure Homines alunt, ne vivi scilicet sepeliantur. Panicum cave ne hunc dixeris, siquidem & nolentibus illud credere persuadebunt perquam facile tot Experientiæ tempore pestis an-

annotatæ. *Lycoſtenes* duos, peſte mortuos habitos, & queis exequiæ jamdum paratæ fuerint, revivixiſſe memorat. Hominis ſibi notiſſimi meminit *Hildanus*, qui ante 40. tunc annos, quando hiſtoriam hanc libro ſuo inſeruit, peſte regnante ceu mortuus linteamini, ut moris iſtis in locis eſt, involutus, loculo imponi debuit jam humandus, ſed quem Presbyteri ejus loci ab Orco liberavit Pietas. *Petrum Parvum*, in peſte Noviomagenſi, amiculo ferali indutum & ſuper ſtramina depoſitum, hæredibus ſpolia auferentibus, à vivi ſepultura liberavit ciſtæ feralis tardior apparatus, ut inde exequiæ usque in tertium diem neceſſario fuerint differendæ: qui ergo per 52. horas ceu mortuus jacuerat ſeſe erigere iterum & convaleſcere cœpit. Quod ipſe calamus in recenſione harum hiſtoriarum titubat, alienis verbis fata Fœminæ cujusdam Gallicæ recenſeamus, quæ *Joannes Jacobus Crafftius*, apud Neocomenſes Medicinæ Doctor celeberrimus, obſervavit: *Agitur annus 50. vel circiter, quod peſtis ſæviſſime graſſabatur per totam Burgundiam, præſertim Diviodunì, ita, ut veſpillones in ſepeliendis mortuis tam occupati fuerint, ut cuilibet peculiare ſepulchrum facere nequiverint, verum foveam quandam communem, ſicuti communiter ſolet fieri in ejusmodi luis ſævitie, fodere coacti, in quam aliquot corpora conjicere poſſent. Id quod accidit cuidam Mulieri, nomine* Dame Nicole Lenlilliet, *quæ tum temporis peſte quoque per aliquot dies laborans, ſubito ecſtaſin ſ. potius, ut perſæpe in hac lue contingit, in Syncopen incidit, qua aliquandiu detenta, mortuam eſſe judicabant, ideo ſub veſperam à veſpillonibus in foſſam communem cum aliis ſepeliebatur: Ejusmodi enim corpora mortua non diu retinentur, quia citiſſime putreſcunt, ut ſic alios inficere poſſent, niſi quamprimum terræ commendarentur, ut plerumque in talis luis furore ubique fieri ſolet. Quæ ubi per totam noctem jacens, ſub auroram ad ſeſe rediit, animumque collegit, neſciens tamen quonam in loco eſſet, neque egredi potens propter debilitatem & pondus aliorum corporum mortuorum & terræ, clamare incepit: ſed quoniam longe ab hominibus diſtabat iſte locus, neque ullis propter fœtorem & timorem illuc appropinquabat, exaudiri*

diri non potuit, quæ tamen interim maxime esurit, siquidem spatio 4. dierum neque cibum neque potum assumserat. Ad compescendam aliquo modo famem portionem pepli sui, quo facies ejus tecta erat, rodit atque comedit. Tandem post 24. horas & alia corpora à libitinariis inhumanda eundem in locum afferuntur, qui dum strepitum quendam suscitabant, illa istum percipit & tamdiu vociferatur, donec ab aliis exaudiebatur: Qui maxime obstupefacti, intentius auscultant & vocem humanam esse percipiunt; Ideo illico ipsam effodiunt & reviviscere videntes, domam suam adportant, ubi mox convaluit & adhuc per aliquot annos Diviodunt degit. Postmodum propter ortam religionis dissensionem, Lausannam se contulit & illic adhuc diu cum suo Marito vixit, ac tantummodo ante 4. aanos placide in Domino obdormivit. Quid truculentius jam cogitari potest? Quid magis formidolosum? Quid magis naturæ adversum, quam vivus sepeliri? Nec est, quod à metu hoc justissimo incolas Magistratus, quamvis vigilantissimi, liberari possit sollicitudo: quandoquidem publica, quæ tunc ex citiori & citatissima cadaverum sepultura quæritur salus, longe privatorum anteponitur lacrymis, querelis, monitis.

NON ERGO EXPEDIT PESTE MORI!



MEMBRUM II.
QUOD EXPEDIAT PESTE MORI.

§. I.

Nec enim non homini, quisquis tandem & qualis ille sit, si moriendum illi, illud quod sibi competere nemo abnegabit, gratum & acceptissimum esse potest, mori, haud tamen à multis doloribus macerari. Quodsi per omnem Symptomatum caterUuu uu 3 vam,

vam, quibus illa mortalium cervicibus impendens morborum Lerna solet esse stipata, oculos circumferamus, ac quæ ut cuncta in hominis conspirant perniciem, sic hujus interitum maxime procurant, nullum frequentius, nullum acerbius comitari morbum existimandum est, quam dolores. Felices, imo fortunati dicendi, queis dolores parcunt, ut magna subtilitate philosophari possint: an dolor soluta continui unitas aut solutio continui? an fibræ sensiles in omni dolore aut distendantur, aut distrahantur, aut lacerentur, aut in cincinnos resiliant? an dolor ad morbum vel causam morbi sit referendus? an ad Symptomata actionis auctæ spectet? an corpus sentiat vel doleat nec ne? Minima quippe digiti combustio facile omnem hanc Philosophiam turbare est, ut de dolore quiritentur, & spreta omni illa ἀκριβείᾳ, revera doleant. Novit insuper *Salmuthus* quosdam, qui præ assidua dolorum vehementia pene exanimati, imo alios, qui ad insaniam fere redacti fuerint. Solam experire dentium afflictionem & verum esse comperies assertum Celeberrimi cujusdam JCti, qui Magistratum carere posse judicat omnibus instrumentis, quæ hodie adhibet, eliciendi atque eruendi veritatem per cruciatus corporis, modo in Ejus esset arbitrio, de doloribus dentium disponere. Quid dicamus de tormentis, quæ sustinent Arthritide afflicti? Podagræ, Chiragræ, Gonagræ, Mentagræ non Candidati, sed summum in sustinendis his cruciatibus gradum adepti, se mori malle confitebuntur, quam spolia amplius esse & prædas diræ hujus furiæ. Quid vero in peste? Quotquot historias compilarunt peste decumbentium, vix quandam doloris mentionem faciunt, nisi fortean Capitis, quem ipsa anxietas circa præcordia, nubecula cito transiens, causari solet; & quantumvis pro individuorum ratione obrepat quandoque dolor, nec lancinans adeo est, nec fremebundus. Accedit, prouti ipsi pesti est solemne & frequentissimum, cito de vita aut morte hominis statuere, quod nec ipse dolor, si quis est, ultra paucos dies vel horas potius sese extendere possit.

§. 2. So-

§. 2.

Solum attamen illud bonum aut unicum non est,ex quo pestis meretur, ut plurimis aliis morbis ante feratur: quandoquidem laudari in isto morbo debet, quamvis communi mortalium hoste, quod nobilissimam corporis partem, Mentis puta sedem, intactam relinquat & tantummodo cor sibi vindicet. Maxima sane est miseria, hominem morbo detentum humanos omnino exuere mores, atque ad brutorum non tantum ratione carentium, sed & immanium subinde ferrarum conditionem sese abjicere plenum illud rationis & consilii Animal. Multis equidem lacrymis, ardentibus precibus, adstantes, & quorum interest, de ejusmodi ægrotis contendunt, ut sapiant: Multum moliuntur Medici, qui in subsidium vocantur, ut mentem restituant, nec tamen adeo facile obtinent, quin Illi sine ratione ratiocinentur, consilia sibi admodum necessaria spernant & in faciem quandoque Consulentium involent. Aliter in peste, de qua vix Poëtæ quidem pronunciare ausi sunt, quicquid de ejus furore, rabie, tyrannide fabulentur, quod tali modo illos, quos occupat, exerceat. Libera menti in peste manet facultas de rebus suis, prout ratio permittit, disponendi, nec à morbo hoc ullæ ipsi struuntur insidiæ, modo aliunde absint, quæ in furorem mentem agere possint.

§. 3.

De Alexandro M. referunt, quod felicissimum sese judicaverit, quia Aristotelis, magni illius Philosophi, informatione fuerit usus. Homo hic erat magna scientia instructus & ad erudiendum Alexandrum habilis satis, nec tamen, quod mirum, veræ Philosophiæ ipsi inculcare potuit fundamentum, *ut se mortalem credidisset.* Major Philosophus ipso Pestis est. Nec ergo adeo infelices, qui tali Præceptori concreduntur. Hic enim tacite, quando illi imperium, non in unum alterumve, sed singulos instruit, ut in singulis actionibus illud tempus, quod unicuique finis est vitæ futurum, adeo suis cogitationibus familiare faciant ac si præsens esset. Non aridum quoddam Sceleton in medium affert, ceu quondam Ægyptii

ptii in convivia inferre solebant exsiccata hominis atque inter se compacta ossa hortarique convivas, ut meminerint, se non ita multo post tales fore; Sed quot funera instruit, tot regulas dat magnæ artis & diu cæteroquin discendæ, æquo scilicet animo abire, quando adventat hora. Hinc approperat, fores pulsat, cervicali assidet, à latere, à tergo, ante est, intus est, & ubivis ita Doctorem agit, ut haud contemnendum, sic fidelissimum, imo felicissimum.

§. 4.

Pestem Præceptorem diximus esse felicissimum, nec sine ratione; quandoquidem vix unquam mentes hominum magis animum applicant ad mortis meditationes, ac quando huic morbo licentia datur peragrandi urbem. Quod de bello ajunt, dulce esse inexpertis, & raro inde homines resipiscere, nisi illius degustaverint amaritiem: longe aliter de peste pronunciandum, quæ etiam memorata tantum nec unquam visa, tanta tamen auctoritate floret, ut vix quicquam aliter hominum ingenia cogitent, quam hunc Magistrum, &, quam inculcat, mortem, quovis momento sibi imminere metuant. Similis esse solet hominum natura gallinis, in eodem sterquilinio ultro citroque cursitantibus: necet ex earum numero Materfamilias nunc hanc, nunc illam, ante pedes suas projectam & palpitantem cernant vivæ, subsiliunt interim & cantillant, quasi nunquam simile fatum essent experturæ. Aliter longe in peste, ubi omnes ad ictum excipiendum cervicem quasi sponte porrigunt & ex maximo funebrium tunicarum ac capularum feralium apparatu satis concludi potest, illud *exeundum, exeundum* unicuique cordi esse.

§. 5.

Si quid in morte asperum & vel ipso dictu apparet horridum, est avelli Filios à Parentibus & suavissimi thori rumpi vincula. De hac ægritudine securiores esse possunt, qui pestis tempore decumbunt: quandoquidem non adeo divellit pestis quos amor junxerat, sed magis sibi hos sociat. Animas simul abire hoc mortis genus

con-

concedit & corpora sibi invicem ut apponantur, cito curat. Dignam *Scharlotta Margaretha Monmorantia* virtutem fuisse vult Scriptor Gallus (Grammondus sub A. 1616. pag. 141.) quam posteritas sciat, quod captivum Maritum in vincula sit secuta &, ut ejus verba referamus: *Prævaluit libertati amor in virum, dat se sociam carceri, quæ consors erat vitæ. Aulam abdicat, subitque in carcere arcta custodia pœnam amoris rea conjugalis; quo facto supra fragilitatem posito dici haud injuria posset, inventam ea ætate fortem mulierem quam negat Sapientia in sacris paginis, ipsa atri carceris horrorem patitur, rata solitudinem quascunque, viro procul, urbes.* Istæ laudes non in uno amoris conjugalis exemplo terminantur, quando communis hic morbus pestilentialis sarcinas colligere imperat, & fœmina hæc, quam gloriosum ejus etiam sit facinus, facile superatur à tot conjugibus, non carcerem quendam squalidum subeuntibus, sed ipsam mortem una obeuntibus. Quam necessarium tum quidem sese ad commune iter adeundum mutua adhortatione firmare? Quam jucundum, sese in itinere omnium molestiarum, quod fatendum est, haud vacuo, certatim ad pergendum excitare? Quam suave, sibi vix dicere vale, quando illud ave jamdum resonat? Fit vero hoc frequentissime in peste.

§. 6.

Nec opportunius quicquam pestis tempore fieri potest, ac dum è Magistratus provida cura publice tum temporis haberi jubentur preces & conventiones sacræ frequentes; utpote quibus non modo animi illorum, queis mori dulce, in suo desiderio & si quid belli infert innatus vitæ amor, in sustinendo hoc prælio eriguntur ac roborantur, sed & audacissimorum & nequissimorum, ad quævis facinora antea promtissimorum, corda emolliuntur, subiguntur, ac corriguntur. *Diocles*, quando Epicurum, in templo Jovis in genua provolutum, conspexit, exclamasse fertur? O magnum festum! nunquam Jovis major unquam fuit gloria, quam dum hunc videt adorantem. Plures Epicuri de grege videas, peste regnante, non modo templa frequentare, sed & illos, quod nec reverentia

erga Deum, nec mandata Superiorum, nec exempla virtuosorum, eo potuerunt adducere, ut aliquem cultum Deo redderent, nunc flexis manibus, compliciti in genua, maxima vocis & cordis submissione venerantur manum Percutientis. Discunt tunc quidem ex aliis, quid sibi ex usu sit futurum, & quando vestigia Parentum orantium sequuntur liberi, Dominorum servi, ad Magistratus quoque exemplum facile Plebs componitur.

§. 7.


Qui malè volunt pesti, eam Medusam solent appellare, in opprobrium scilicet & ut ægre illi faciant. Fallimur, aut nullo alio modo elegantius cum Medusa Pestis erit comparanda, quam, sicut illam exclusio tot venenatorum capitum, si quando aliquod fuerit rescissum, infamem fecit, ita pestem extollat numerus copiosissimus maximorum commodorum, quæ in mente illius gignuntur, qui tantum unum alterumve emolumentum, quod illa adfert, meditari possumus, ut, non sine quadam animo nostro inferenda vi, abrumpere cogamur. Haud tamen possumus, quin, ceu coronidis loco, adferamus magnum illud oblectamentum, quod homines ex Peste qui occumbunt, sentiunt, dum cito moriuntur. Laudatur Julius Cæsar, quod, cum inter cœnandum discursus fieret, quale genus mortis optimum? sine cunctatione responderit, *inopinatum*. Idem de Plinio referunt, quod mortem repentinam in maxima felicitatis humanæ parte reposuerit. Annumerari illis potest Victorinus *Strigelius*, qui cum viveret, pro expedita morte (quam dicere solitus est: Einen Reuter Todt) preces frequentissime fudit: cui insuper, si vult, jungi poterit Theologus, in Ecclesia Lutherana non incelebris, qui Deum precibus quotidie fatigat, ut subitanea morte, utpote Apoplexia, rebus mundanis tandem subtrahatur. Annon vero hoc mortis genus præstat omnibus modo allatis pereundi modis, utpote quod equidem sat cito, sed quoque sat bene mortales avocat & ad εὐθανασίαν suaviter adducit?

§. 8. Nec

§. 8.

Nec ergo ut miracula illi erunt Mortales habendi, qui neque ad Pestis strepitum adeo contremiscunt, neque, quando ingruit, haud statim exanimantur. Gloriosum est & animum afficit, quod de civibus suis refert *Bartholinus*, Danus, quando pestilentia Anno 1634. ultra 9000. funera Hafniæ patravit, quod erumpentibus exanthematibus s. pustulis, certissimæ tunc mortis nunciis, sedatus fuerit omnis dolor ad extremum usque spiritum, & illorum non pauci fuerint, qui & promte ambulaverint & ipsos se ferali arcæ incluserint. Nec nisi dedecori esse viris meliora edoctis & omnes veræ religioni addictos in ruborem dare potest exemplum in Peste Noviomagensi Defuncti, quod *Diemerbrockius* in Observationum L. IV. Hist. LXIV. his verbis adfert: *Pater Tiburtius, Sacerdos, Ordinis Franciscanorum Monachus Missionarius, Vir eruditione, humanitate, & vitæ probitate excellens. peste cum bubone in inguine correptus, varia alexipharmaca assumsit, & inter alia his illi exhibui lapidis bezoardici orientalis electissimi pulverisati integram drachmam & tertia vice scrupulos quatuor: A cujus lapidis usu levis quidem sudor sequebatur, sed omnino nihil levaminis sensit inde Æger. Alia alexipharmaca, ex theriaca, salibus, aqua theriacali, aliisque similibus confecta, quamvis morbum non sanarent, copiosos tamen sudores cum aliquo levamine movebant. Interim omnibus remediis frustra adhibitis, cum febrem ingravescere, aliaque mala symptomata augeri perciperem, prædixi mortem procul dubio morbum finituram. Quod nuncium æger cum maximo & incredibili gaudio excipiens, intra paucas horas tanquam ad nuptias iturus, lætus obiit.*

ERGO EXPEDIT PESTE MORI!



XII.

RELATIO CHIRURGICA
DE
INSPECTIONE LEPROSORUM.

Nos infra subscripti Doctor, Medicinæ Facultatis Parisiensis & Chirurgi jurati illius loci testamur hisce, quod die 5. Oct. A. 1677. sententia Parlamenti die 8. nobis insinuata fuerit, qua requirimur, ut Dn. Joachim. Corbonem de Vorteville inspiceremus & relatione quadam judicium nostrum aperiremus, an is lepra laboret? Vi hujus ad hospitium sub Insigni Urbis Romæ, in platea Augustinorum Veterum, nos contulimus & dictum Dn. de Vorteville, qui ejus jam certior redditus & huic sancito se libentissime subjecturus erat, convenimus.

Inspecto igitur corpore ejus â capite ad calcem, universam cutim rugosam, inæqualem, asperam, diffissam & scabie quadam arida obductam, plurimasque squamas, ad levem etiam affrictum, demittentem invenimus; & quum ægrum interrogaremus,

mus, quamdiu hoc affectu laboraverit & quænam medicamenta illi opposuerit? Respondebat, se affectu hoc ultra 2. jamdum annos correptum varia quidem remedia adhibuisse, sed omnia ab illorum usu exasperata fuisse. Adhæc observabamus in eo colorem flavescentem & qs. plumbeum, halitum fœtidum & gingivas tuberculis malignis obsessas. Quæ signa & symptomata satis ostendunt eundem ea lepræ specie, quam Græci *Psoram* vocant, laborare, quæ facile alios inficit & curatu difficilis est. *Sign. Parisiis, die 10. Oct. 1677.*

ALIA
DE
ELEPHANTIASI
ex Ambros. Paræo.

Nos Chirurgi jurati Parisienses die 28. Aug. 1585. ad Regium Procuratorem Synedrii requisiti fuimus, ut referamus, an G. P. sit leprosus? Quapropter eundem seq. in modum examinavimus: Primò quidem faciem ejus gutta rosacea deturpatam, pallide flavescentem & qs. Sapphiris interstinctam invenimus. Pilos è capite, barba & ciliis evellentes radicibus carnis fustula adhærere deprehendimus. In superciliis & retro aures exiguos habebat tumores, frontem caperatam, oculos fulgidos, rubi-

rubicundo immobiles, & fixos: Nares patulos & qſ. inflatos, intus autem anguſtos, tuberculis exiguis & qſ. ſcabie obſtructos. Lingua tumida & nigricans, & tam ſupra, quam infra parvulis granulis obſita & ſuillarum granoſarum linguarum inſtar conſpicienda erat. Gingivarum caro exeſa, dentes denudati, halitus fœtidus, vox rauca & qſ. per nares ducta obſervabantur. In corpore ejus denudato cutim diffiſſam & inæqualem, inſtar anſeris manu depilati, & in diverſis locis gutta qſ. roſacea deturpatam vidimus. Acum in ligamenta tali profunde immittendo vix illam ſentiebat. His indiciis jam confirmamus, ægrum lepra profundè radicata laborare. Quapropter è rè erit, ut à ſacris ſeparetur, cum morbus hic per contagium eundo ſerpat. Majoris fidei ergo hæc ſigillis noſtris confirmamus. *Sign. Pariſ. die 6. Maji, 1583.*

His obſervatis facilime detegi poſſunt malefici lepram ſimulantes, quorum XVII. haud procul à Düſſeldorpio prope Winckelhauſen, Rautingam, Pulhemium, Gerreshemium &c. à Celeberrimo *D. Joh. Conrado Brunnero* primum inſpecti & detecti, ac abhinc die 22. & 23. Februarii 1712. contumelioſis admodum ſuppliciis Düſſeldorpii affecti fuerunt, ut è *Proceſſu Criminali*, è Protocollis Inquiſitionalibus, Relationibus & Sententiis collecto & ibidem typis expreſſo videre licet.

CURATIO.

è ſeq. *Diſp. Inaugurali* D. *de Spina* de Elephantiaſi, Lugduni Batavorum habita, eluceſcet:

THE-

THESIS I.

Ut ordinem, fidissimum in rebus pertractandis ducem, observemus, ab ipsa statim morbi appellatione auspicari placet, utpote qua perspecta facilius deinde in rei ipsius cognitionem pervenire licet. Vocatur affectus noster *Elephantia* Celso, Græcis ἐλεφαντίασις, quæ vox descendit ab ἐλεφας elephas, quod nobis statim insinuat similitudinem aliquam inter animal hoc & morbum nostrum, quam in pluribus consistere observamus: nimirum in corio crasso & duro, maculis lividis & tuberibus multis, pedibus prætumidis & quasi varicosis, collo perbrevi, pilisque raris, quæ omnia Elephantici cum Elephantibus communia habent. Sunt alii, qui malunt huic morbo nomen hoc impositum esse à magnitudine & vehementia, quam Græci majorum animantium nominibus exprimere solebant, ut bovis, equi: sic etiam elephantis, qui animalium terrestrium maximum habetur, & pro morborum facile maximo designando usurpatur, juxta illud Nepetæ:

Est Lepræ species, Elephantiasisque vocatur,
Quæ cunctis morbis sic major esse videtur,
Ut major cunctis elephas animantibus exstat.

Aliquorum verò opinione *Elephantiasis* potius dicitur ab ἐλεφαντίας, quod Serpentis genus est, quo qui demorsus fuerit, Elephantiasi corripiatur, quæ res si experientia constat, facile etiam hæc derivatio calculum meum merebitur. Aliis tandem ob id dicitur, quod sicut elephas est animal longævum, ita & morbus, cui nomen dedit, sit valde chronicus & diuturnus. Dicitur autem *Elephantiasis Græcorum*, ut distinguatur ab Elephantiasi Arabum, qui hoc nomine morbum multo mitiorem, tumorem nempe pedum cum varicibus appellarunt.

II.

Varia insuper sortitus est hic affectus nomina: Arabibus enim dicitur *Lepra*, & hodie etiam Medicis communiter *Lepra Arabum*, ad

ad differentiam Lepræ Græcorum, quæ ſcabiem profundam, admodum pruriginoſam & furfuraceam ſignificat; ad differentiam etiam Lepræ Judæorum, cujus deſcriptio habetur Leviticor. 13. & Num. 5. quæque hodie nuſquam amplius comparet, & nullam plane cum Elephantiaſi noſtra, majorem verò cum Leuce, convenientiam habet. Noſtra quibusdam adhuc nuncupatur σατυρίασις, à naſo ſimo & adunco, labris craſſis & tumentibus, mento dilatato, auribus extenuatis & flexuoſis, colore livido, nigricante, & inde terribili & horrendo aſpectu, quo Satyros veterum Elephantici referunt; quo accedit imprimis maxima illa Elephanticorum in Venerem propenſio, qua etiam Satyri Poëtarum adeo decantantur: unde illud Ovidii:

Panes & in Venerem Satyrorum prona juventus.

Hinc quibusdam τραγοντίασις, à ſalacitate & fœtore hirci: nonnullis λεοντίασις dicitur, à Leone, cum quo Elephantici noſtri frontem rugoſam & vultum trucem ac formidabilem communem habent. Alii rurſus in nominum impoſitione ingenioſi ὀφίασιν appellant, quod qui ab eo ſanantur, exuvias in modum Serpentum deponant: item ἀλωπεκίαν, à defluvio capillorum, quod ægri vulpium inſtar patiantur. Vocatur quibusdam *cancer univerſalis*, quia univerſum corpus conſumit & depaſcitur: *Malum* Ἡράκλειον ſive *Herculeum*, pro quo, tanquam monſtro quodam immani domando & profligando, viribus indigemus Herculeis. Itali *Lazaro*, vel quod Lazarum eo affectum fuiſſe credant, vel quod eum pro Patrono Leproſorum agnoſcant: Gallis *Lepre*, *Ladrerie* dicitur: Belgis Lazerie, malaetſcheyt, noſtro vero idiomate Maltzey vel Auſſatz appellamus; hinc illo affectos Auſſätzige, quaſi dicas ſegregatos, eo quod hoc morbo contagioſo infecti à reliquorum hominum conſortio removeantur.

III.

Poſt nominalem deſcriptionem hanc realem damus: *Elephantiaſis eſt defœdatio totius corporis contagioſa, maligna, cum cruſtis &*

tuber-

tuberculis duris, maculis lividis & ulceribus, à sale quodam fixo, acri & acido, humori lento & terrestri immerso, & per fermentationem præternaturalem sanguinis in cutem propulso, originem trahens.

IV.

Genus proximum in hac definitione constituit defœdatio totius corporis contagiosa & maligna, quam cum Lue Venerea, Scorbuto, Lepra Græcorum &c. communem habet affectus noster, ab iis verò per essentiæ illius propriæ, subjecti & causæ expressionem distinguitur. Contagiosam autem dixi, quod per contagium sive contactum corporibus vicinis communicetur, quod etsi nunc per immediatam corporis Leprosi cum corpore alio conjunctionem, nunc verò per effluvia morbosa ex corpore leproso migrantia mediante aëre contingat, quod contactus virtualis dicitur, uterque tamen modus contactus verè realis & corporalis est. Malignitatem præterea adesse, colligitur ex caterva illa symptomatum gravissimorum, quam secum habet, & præsertim ex pravitate & acrimonia illa materiæ, quæ quaquaversum serpens, tumoribus & ulceribus fœdis omnia complet, & ne ossibus quidem, ædificii nostri columnis, parcit.

V.

Ut adeò *subjectum adæquatum* meritò constituamus totum corpus, & potissimum sanguinem, qui, cum perenni suo fluxu & refluxu minima corporis continuò alluat & pervadat, non potest non labem suam ipsis affricare, & partem fæculentiarum suarum in ipsis deponere, non aliter ac in tubulis ac canalibus artificialibus, liquoris, quem vehunt, recrementa quædam lateribus se adponunt; ut jam, prout pars quævis corporis vasis pluribus & angustioribus, aut alias majori aliquâ, ad impuritates has sanguinis remorandas, pororum dispositione prædita est, ita & iisdem suscipiendis & hospitandis aptior existat. Potissimam verò sedem hic morbus fixit in partibus corporis extimis, & à foco caloris maximè dissitis, in cute scilicet, ejus-

que glandulis, quas partes etiam pro *subjecto primario* habemus; quippe quamvis partes interiores longè prius affectæ esse possint, quàm vitium exterius se prodat, quia tamen tunc demum de morbo hoc solidè judicari potest, ubi cutem jam occupat, hanc etiam pro principali morbi sede agnoscere oportet. Jam verò non extra oleas me vagari arbitror, si hîc brevem aliquam cutis, uti naturaliter se habet, descriptionem dem, ut, quæ de statu ejus morboso postea dicenda habeo, evidentiora & clariora fiant.

VI.

Cutis nihil aliud est, quàm contextus quidam retiformis, qui construitur ex innumeris filamentis vasorum sanguineorum, nervorum, tendinumque, mira arte invicem implicatis, per quorum spatia vacua ordine parallelo emergunt ductus quidam excretorii, Stenoni primùm observati, à glandulis subjacentibus prodeuntes, & papillæ quædam pyramidales, à nervis exortæ, quæ à molli lympha, ex ductibus illis exsudante, perpetim rigantur, & in cuticulam, tutelæ ergo superjacentem, per tenues fibras protenduntur; has cum Cl. Malpighio, illarum inventore, pro immediato tactûs organo agnoscimus, glandulas verò illas cum ductibus suis, secretioni & exclusioni halituum & seri inutilis, quod per arteriolas suas accipiunt, destinatas credimus. Tenendum est adhuc, quod præter jam dicta in cute, ope microscopii detegantur pori duplicis generis, majores alii, qui plerique pilos sibi insertos sustinent, & minores, spatia ab illis relicta occupantes. Plura de his qui desiderat, ipsum, unde hausimus fontem, adeat, oculatissimum Anatomicum M. Malpighium de tactus organo; nobis n. hæc sufficiunt ad rationem reddendam phænomenon, quæ morbum nostrum in cute comitantur, & ad explicandum modum, quo à causis suis hic morbus in cute efficitur, quod nunc aggredimur.

VII.

Melioris verò ordinis ergò eas dispescimus in tres: *Procatarcticam*, *Antecedentem* & *Proximam*. *Causa proxima* est materia terrestris & viscida, tartaro sive sale quodam fixo & acri de natura acidorum prægnans. Viscidicatem & terrestreitatem peccare præter testimonium oculorum & manuum, quod eam in sanguine demonstrat, etiam evincit pertinacitas illa morbi, quæ omnia penè remedia eludit; tuberculorum & tumorum durities & tenacitas, eorumque ut & ulcerum, & quandoque totius cutis insensibilitas. Sed sal quoddam de prosapia acidorum præterea adesse probatur 1. à corrosione partium carnosarum & ipsorum ossium, quæ ab alia causa vix procedere potest. 2. à colore obscuro & nigricante totius corporis Leprosorum, & præsertim illorum sanguinis, qui similis est illi, quem spiritus acidi minerales in venas canis vivi per siphonem injecti, producunt, cum è contrario salia alcalia, volatilia & fixa, ut spiritus salis armoniaci, oleum tartari p. d. sanguini infusa, colorem ejus exaltent. 3. à coagulatione illa sanguinis Elephanticorum per venæsectionem educti, cujus notabile admodum exemplum ex Marcello Donato Schenck. obs. Med. pag. 891. adducit, sanguinis ex vena secta in aquam emissi, qui ipsam etiam aquam congelavit, cum rursus alcalia sanguini inspersa effectum planè contrarium habeant, sanguinemque fluidiorem & mobiliorem faciant. 4. ab affinitate, quam hic morbus cum Lue Venerea, Scorbuto, Cancro &c, quæ acido, ex plerorumque consensu, ortum suum debent, habet, unde non raro hi morbi in nostrum, & hic vicissim in illos, commutantur; sed acidum hoc ab humore terreno & viscido, ipsum stipante aliquantum infringitur, unde non nisi lentè rodit, & mediante viscriditate illa, corporibus aliis tenacius adhærente, per contagium se propagat.

VIII.

Jam verò tum humor ille lentus & terrestris, tum sal acidum, ubi in sanguine nimis abundant, & cæteros, cum componen-

tes humores, proportione excedunt, non possunt non æquabilem illius mixtionem pervertere, & motum ejus turbare, docente Hipp. *Lib. de Vet. Med. text.* 24,25. ubi dicit: *Inest in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, & alia infinita, omnigenas facultates habentia, copiamque ac robur: Atque hæc quidem juxta ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neque hominem lædunt: ubi vero quid horum secretum fuerit, atque ipsum in ipso fuerit, tunc & conspicuum est, & hominem lædit.* Cui rei lucem aliquam fœnerari potest observatio Curiosorum quorundam virorum de sanguine, quem tubulis subtilissimis exceptum per microscopia optima conspexerunt, præter liquorem crystallinum in certa proportione continere tum globulos quosdam subtilissimos, tum corpuscula quadrangularia, quorum illi sanguini motum, hæc verò justam consistentiam conciliare videntur, atque illi ne nimis crassus, hæc vero ne nimis fluidus sit, impediunt. Hoc, si ad rem nostram adplicare volumus, credere licebit in sanguine Elephanticorum nostrorum partes ad motum ineptiores, quadratas (alii malunt ramosas & rigidas) nimium abundare, ac instar palorum inter reliquas, ad motum promptiores, ubique infixas, illarum motum impedire; imò particulæ salinæ acidæ, cum reliquis concrescendo, illas præcipitant & coagulant instar lactis, cujus cum sanguine similitudinem maximam demonstratam videre est apud Willisium de Febb. cap. 1. hoc tamen non impedit, quo minus, motu sanguinis naturali ita turbato & impedito, præternaturalis ejusdem fermentatio adesse possit, cui etiam tribuendum est, quod humor malignus, qui in profundioribus & magis abditis corporis nostri latebris, velut in domo Plutonis hactenus delitescebat, jam internorum victor, superficiem corporis invadat, ibique trophæa sua erigat, variis ac crudelissimis symptomatis conspicua, quod, quemadmodum contingat, operæ pretium erit hoc loco diligentius inquirere.

IX.

IX.

Positâ scilicet tali sanguinis à partibus crassis & alienis discrasiâ, necesse est perpetuam esse luctam & agitationem inter principia ejus activa & passiva, quæ se invicem ubique contingunt & impellunt. Principia activa & spirituosa, ubi vias pro cursibus suis solitis faciendis obstructas reperiunt à partibus crassis & heterogeneis, illas occursu suo inde dimovere nituntur, & pro more duorum corporum invicem occurrentium in gyrum agunt, cumque secundùm leges motûs, quas Cartesius princip. part. 2. recenset, corpora, quæ in circulum moventur, quàm maximè à centro circuli, quem describunt, recedere conentur, fit ut eodem ferè modo, quo tartarus & fæculentiæ in musto fermentante ad latera dolii, excrementa illa crassa & salia coagulata ad latera vasorum & peripheriam corporis pellantur, ubi serositate adhuc excepta & diluta, vel minutissima etiam vasa capillaria subire possunt, quâ ratione cutem & glandulas, lympham filtrantes, replent, ibique à lympha, per poros, vel aliorsum evadente, derelicta, nec propter crassitiem per poros excerni, nec minuta venarum oscilla cum sanguine reliquo subingredi possunt, hærent itaque in angustiis illis, & ab aliis, simili modo subsequentibus, pressa, & invicem aggesta, cutem in fœdos tumores attollunt, ibique magis magisque exsiccata, majorem acquirunt malignitatem & acrimoniam, & erosione ulcera producunt insanabilia.

X

Sed ascendamus paulò altiùs, & videamus, ubinam humor iste malignus prima sua rudimenta posuerit, & quamnam in corpore *causam Antecedentem* agnoscat. Primo autem hic suppono, plerosque morbos chronicos in ventriculo fundari, quatenus seu primæ alimenrorum receptioni & præparationi destinatus, quemadmodum ubi benè habet, partes omnes benigno suo influxu reficere solet, sic ubi à statu suo dejectus est, vitium suum etiam illis cum chylo inspirat: quo sanè sensu dominium illi in par-

partes reliquas omnes non gravatè cum Helmontio deferimus; eumque vitæ necisque arbitrum facimus, à quo appellare non liceat, juxta canonem illum, *quod vitia primæ coctionis non corrigantur in reliquis.* Atque ab hac ipsa ventriculi & partium ei subservientium functione, chylificatione nimirum læsâ, etiam morbi nostri primordia deducere nulli dubitamus. Inter plurimas autem ventriculi læsiones huc imprimis pertinet, quando fermentum ejus, menstruum illud universale, quod naturaliter acido-volatile est, à statu hoc degenerans, iners ac effœtum, vel nimis acidum aut fixum evasit, aut quando ventriculi superficies interna, & pori glandularum stomachalium, ex quibus aliâs liquor volatilis, Athletæ instar ad pugnandum, prosilire solebat, pituitâ multâ obliti & infarcti sunt, unde ex defectu, vel vitio tali fermenti, alimenta non satis dissoluta & fermentata, non nisi in magma viscidum & acidum abeunt. Huc pertinet etiam defectus spirituum animalium in fibris carneis ventriculi, quæ id præstant in opere chylificationis, quod manus Pistoris in subigenda & cum fermento ac liquore intimè miscenda farina, quæ sine hoc adminiculo nunquam sufficienter levabitur, ita nec ex alimentis sine legitimo ventriculi, adde & musculorum abdominis, & diaphragmatis, respirationis antagonistarum motu, chylus laudabilis, sed loco ejus pasta quædam cruda & indigesta obtineri potest. Quòdsi jam chylum, quando per modo dictas ventriculi fibras motrices fluidior factus, ex eo exprimitur, in intestinum duodenum prosequamur, occurrunt ibi statim duo liquores, qualitatibus diversis præditi, amaricans alter, alter insipidus aut acidiusculus, qui levem cum chylo effervescentiam ineunt, eo institutam, ut chylus & & fluidior fiat, & partes ejus excrementitiæ cum utilibus adhuc intimiùs junctæ, ab illis segregentur, & præcipitentur, & fortè etiam ut acor, quem chylus in ventriculo contraxit, ab alcali bilis corrigatur & edulcoretur. Quodsi vero alteruter horum humorum aut planè non, aut minùs quàm par est, influat, aut naturam mutet, chylus

lus crassior & impurior, & à succo pancreatico justo acidiore, bile autem segniore, acrior etiam in sanguinem traducitur, ibique pabulum morbo nostro evadit longe aptissimum.

XI.

Sed pergendum est ad *causas Procatarcticas*, quæ Antecedentem efficere, suscitare & in actum deducere solent, ac sub triplici *rerum naturalium*, *nonnaturalium* ac *præternaturalium* classe comprehendi possunt. Ex *naturalibus* primo sese offert *Temperamentum*, quod huic morbo generando & fovendo aptissimum esse deprehenditur, si partes viscidas, terrestres salinasque fixas prædominantes habeat, quale vulgo *Pituitoso-melancholicum* audit; quanquam de cætero, qui temperamento *Sanguineo-bilioso* gaudent, utpote poros corporis apertiores habentes, morbos omnes contagiosos promptissime suscipiant. Quantum ad *sexum*, *Fœminæ* viris minus hoc morbo tentantur, tum, quod calorem ob vitam sedentariam, quam agunt, moderatiorem, sanguinemque blandiorem & magis serosum, adeoque exustioni & acrimoniæ tantæ minus capacem habeant, tum ob beneficium fluxus menstrui, quo illæ ab impuritatibus suis commodissimè defæcantur. Simili privilegio *Eunuchi* præ viris etiam gaudent, in quibus pars spirituosa & balsamica sanguinis, quæ viris in seminis præparationem impenditur, sanguini permista manet, ejusque acrimoniam infringere potest; unde legimus quosdam èo dementiæ processisse, ut testiculos sibi exsecari curaverint, ne hujus morbi labe unquam conspurcarentur. Inter *Ætates*, nec *Pueri* aut *Adolescentes*, nec *Senes* Elephantiasi facile corripiuntur: illi quidem, quod vis balsamica & oleosa sanguinis illorum acrimoniam salium facile enervet, nec ætas hæc eum fermentationis p. n. gradum patiatur, ut miasmata elephantica, quamvis à nativitate jam inhærentia, è latebris suis educi, & in peripheriam corporis propelli possint. Senes vero, quod calor illorum jam penè deferbuerit, serositate vero multa, acrimoniam diluente, abundent.

XII,

XII.

Ex *rebus nonnaturalibus* dignitate & necessitate eminet *Aër*, quo, simulac ex utero exclusi sumus, ne ad momentum quidem carere possumus, & qui duplici modo, manifestiori altero per os, & minus manifesto per poros cutis, instar dolii Danaidum pertusæ, corpus nostrum subit. Symbolam suam autem huc contribuit vel *calidior & siccior*, adeoque humoribus corporis assandis habilis; quæ causa esse videtur, quod Ægypto, teste etiam Galeno, endemius & in Asia, Africa & Hispania frequens sit, & crebrius etiam occurrat in Gallia Narbonensi & Aquitania, Germania item superiori, quàm iu frigidioribus Galliæ Provinciis, & Germania inferiori: vel *frigidior*, qui humores justo nimis incrassat, & insensilem excrementorum transpirationem impedit: vel etiam *acrior*, & particulis salinis ex terra, vel aliunde susceptis plus justo impraegnatus, qui non absimili modo Elephantiasin producit, ac meo tempore, in Nosocomio Generali, Monspelii noviter exstructo, â parietibus calce recens incrustatis, aër miasmatibus nitrosis refertus Scorbutum, Regioni illi oppido rarum morbum, in plus quam 30. pueris induxit: vel denique *putris* & *fœtidus*, præsertim si corpore calido hauriatur, qua de re legi meretur Cl. Jacob. Sylvius, qui in comm. in lib. pr. de diff. feb. C. 16. affirmat se audivisse, robustum quendam, dum à parva sphæra exercita calens in peristerotrophio, quod in summis ædibus erat, obdormiisset, tracto per poros apertiores largo aëre putri, non multum post Elephanticum evasisse: atque tali etiam aëris, ob effluvia Nili inquinati vitio potius, quam calori saltem climatis, quidam Ægyptiorum Elephantiasin endemiam attribuunt. Huc pertinent denique *solennes aëris*, secundum anni tempora, *mutationes*, & ea præsertim quæ *vere* accidit, quando omnes humores corporis validius agitantur, & si quid vitii in corpore lateat, in ejus superficiem prodruditur, unde Hippocrati etiam morbus noster vernalibus annumeratur Aph. XX. Sect. III.

XIII.

Fœcundæ dein segetis instar est 2. : *mala victus ratio*, quæ non injuria Medicorum nutricula appellatur & vel *quantitatem* assumtorum, vel *qualitatem* respicit. Quantitas si nimia fit, fermentum stomachale obruitur, & per consequens alimenta non satis resolvuntur & fermentantur, nec portiones activæ ex amplexu crassiorum educuntur & exaltantur, quin chylus crassus & crudus, talem mox sanguinem suppeditaturus, relinquitur; nec alio censu habenda sunt alimenta difficilioris digestionis, crassa & cruda, quin & nimis salita & acria; acore suo chylum & sanguinem inficientia, aut alias impense calefacientia & exsiccantia, quæ, absumptis partibus subtilioribus, crassiores relinquunt. Sub has classes referuntur: caro bubula vetustior, suilla, caprina, asinina, cervina, leporina; quæ olim male audiebant, quod succum melancholicum generent, hodie vero chylum crassum & terrenum suppeditare creduntur; carnes & pisces fumo indurati, aut sale conditi, pisces butyro frixi, teste Willisio, quamvis dicere nolim; cum Casparo Hoffmanno, à butyro oriri dispositionem ad Lepram; pisces crustati, cochleæ, ostreæ, lardum rancidum, fungi, bulbi, caseus, farina tosta, panis furfuraceus, aut non fermentatus, quem ad Lepram Judæorum non parum contribuisse aliqui existimant: legumina item, ut lentes & fabæ, ut & omnia aromatum genera, allium, cæpe, porrum & similia: vinum generosum & potens, aut tartaro crasso abundans, aut sulphure & calce adulteratum, cerevisia crassa & non rite defæcata, usus nimius spiritus vini & aliorum spirituum sulphureorum, à quibus virum quendam elephanticum factum ipse novi; aquæ denique insalubriores, & proprietate quadam calculum generantes, quales sunt fontes lapidifici, descripti à Borello lib. de Antiq. Castrens. 3°. *Somnus & Vigiliæ* nisi sese debito modo excipiant: vigiliæ enim nimiæ corpus exsiccant, & humores acriores reddunt, vires prosternunt, & spiritus animales plus nimis absumunt, quorum jacturam dum functiones omnes natura-

turales luunt, nec chyli præparatio, nec ejus distributio, aut, in sanguinem laudabilem conversio, probe fieri potest: somnus vero diuturnior spirituum vigorem obtundit, & humorum crudorum acervum ac proventum auget; quo nomine etiam huc pertinent: 4°. *motus & quies*, si modum excedant nam præter jam dicta de vigiliis, motus nimius, si mox à pastu fiat, chylum crudum & cum impuritatibus adhuc permistum, in sanguinem abripit, quies vero immodica calorem suffocat, & fuliginum exclusionem retardat, quod experiuntur Sartores & vitam sedentariam agentes, qui propterea scabiem sibi familiarem habent, quæ primus fere gradus est ad morbum nostrum. 5°. *Excreta & retenta* quæ præter naturæ ordinem fiunt, cujusmodi sunt excretiones immoderatæ sanguinis subtilioris per nares, quibus natura à statu suo dejicitur, & ad quidvis patiendum disponitur: nimiæ profusiones seminis, per quas sanguis partibus suis balsamicis, quæ acrimoniam salium refrænare, & siccitatem partium impedire debebant, defraudatur; ex adverso fæces alvinæ cohibitæ, menses & hæmorrhoides in assuetis suppressi, lochia puerperarum retenta, & ulcera chronica intempestive consolidata, quatenus impuritates acres, per has vias eliminari solitæ, in sanguinem redundant, eumque acrimonia sua inficiunt. 6°. denique *Animi Pathemata* fortiora, quæ, ceu fulmina, sanguinem percutiunt; & inter ea potissimum quæ spiritus figunt, debitam eorum ex cerebro in partes subjectas emanationem, sanguinisque in corde expansionem & rarefactionem impediunt, & per consequens humoribus crassis & acidis, plus justo augendis, ansam præbent, cujusmodi sunt tristitia & mœror, curæ immodicæ, odium. &c.

XIV.

Causæ denique *præternaturales* sicco pede transeundæ non sunt, morbi scilicet nostro affines, qui facile posita priori larva in illum transeunt. Quis enim dubitat cum omnes Lepræ species tam arcto cognationis vinculo sibi sint conjunctæ, *Lepram Græcorum*, quæ proximus gradus habetur ad nostram, in illam etiam facile

facile mutari, si majorem malignitatem & terrestreitatem acquirat? quemadmodum & *Scrophulæ* ac *Strumæ*, utpote ortæ à materia quadam limosa & tenaci, sale quodam acri imprægnata: quo fit ut in Hispania, ubi uterque hic morbus endemius esse videtur, quotidianis experimentis alter alteri succedere observetur. Imprimis vero hic memoranda venit *Lues Venerea*, quæ per decocta sudorifera, aut alias malè tractata, sæpè in Elephantiasin abit: quam in rem memini accepisse ab amico quodam, in itineribus multis, & rerum curiosarum notitia Celebri, se observasse in India Orientali multos Leprosos tales evadere, quod decocto quodam, partes volatiles saltem auferente, relictis crassioribus, improvidè utantur; qui idem mihi affirmavit, Elephantiasin in Ægypto & Palæstina frequentiorem fuisse, priusquam verus Verolicos tractandi modus innotuisset. Ex qua utriusque hujus morbi affinitate maxima factum etiam videtur, ut aliqui, inter quos est Hutterus de Guajaco, Luis Venereæ natales ad Elephantiasin retulerint. *Scorbutus* etiam inveteratus non raro ad morbum nostrum via quædam est, cùm non secus ac ille, à materia terrestri, sale acido & fixo, sed tamen volatiliori adhuc & serositate magis diluto, oriatur. Magnam insuper *Cancer* & *Carbunculus* cum Elephantiasi, quoad formalem rationem & causam, judicante etiam Galeno, propinquitatem habent; unde ratio patet, cur Gallia Narbonensis, cui Carbunculus endemius est, Elephantiasin etiam crebriùs patiatur. *Febres* præterea *Quartanæ* pertinaces & periodicæ, quæ partibus oleosis & balsamicis sanguinis & lymphæ depressis, salinas acidas & austeras, cum terrestribus, exaltatas habent, non difficulter Luem hanc suscipiunt. Denique *obstructiones viscerum diuturnæ & rebelles, suppurationes internæ* &c. Item *Variolarum* & *Morbillorum* repercussio, ac *Diarrhœarum Malignarum* subita & intempestiva suppressio, aliis concurrentibus causis externis, Elephantiasi quandoque occasionem præbent.

XV.

Atque hæ sunt causæ, per quarum invicem succedentium

ſeriem hic morbus ſæpe producitur. Omnium vero frequentiſſima cauſa, & quæ cauſarum modo receptarum adminiculo non indiget, eſt *Contagium*, quod vel ab ortu, vel poſt nativitatem communicatur, unde Elephantiaſis *Hæreditaria*, vel *Aſcititia* appellatur. Primo igitur hæreditate, ad invitos etiam tranſeunte, hoc malum poſſidetur, alterutro parentum, vel utroque etiam, ſeminia morboſa ſuppeditante: *Patris* enim ſemen, cum nihil aliud ſit, quàm Extractum quoddam, vel Q. E. ſanguinis & ſpirituum, illorum diatheſes morboſas facilè recipere & conſervare poteſt; nec obſtat, ſi cum Harvæo ſpiritum ſaltem genitalem, ex reliqua ſeminis ſubſtantia evolutum, ad ovum pertingere, illudque fœcundare credamus, cum facilè concipere liceat, ſpiritum illum in univerſali hac totius corporis corruptione, à principiorum ſuorum, ſanguinis & ſpirituum labe, planè immunem eſſe non poſſe; ſed miaſmatibus quibuſdam peregrinis, characterem morbi continentibus, neceſſario inquinatum exiſtere debere, quæ, cum inſtar fermenti venenati ſe habeant, teneras ovuli partes facilè in naturam ſuam deflectere poſſunt: *Mater* vero, quæ in opere generationis non omnino paſſivè ſe habet, ſuum huc contribuit, dum præter ovum, ceu primam fœtûs materiam, nutrimentum etiam illi in utero ſuppeditat, ſuccum nempe chyloſum, neutiquam autem ſanguinem menſtruatim alias excerni ſolitum, de quo, ut & de modo & tempore invadendi hujus morbi, egregiè fabulantur Arabes, cum quibus hodiè adhuc plures ſanguinem menſtruum hîc, ſed immeritò accuſant, ita ut ſint, qui credant, ob hanc ipſam rationem Moyſen Judæis contactum mulierum, inſtantibus menſibus prohibuiſſe. Sed quandoque fit, ut labes illa hæreditaria, ex Avo in Nepotem traducatur, filio illæſo, quatenus in hoc ob alterius parentis diſpoſitionem, aut congruam diætam, vitium illud congenitum ſupprimi, & ne exterius ſe prodat, impediri, neutiquam vero in totum eradicari poteſt, unde poſt in Nepote rurſus ſe explicandi occaſionem nactum, morbum manifeſtat.

XVI.

XVI.

Post Nativitatem deinde absque prævia etiam subjecti dispositione, quæ contagii hujus vis est, suscipitur, non tantum per Leprosorum, aut rerum, quibus usi sunt, contactum, sed & per halitus, tum ex toto eorum corpore, tum præsertim ex ulceribus sordidis in aërem sparsos, & cum eo corpus subeuntes, in quo Luis Venereæ contagium, quod non nisi per contactum realem, eumque humidum se communicat, activitate superat, & magis in sicco habitare convincitur; unde est, quod per solam etiam diuturniorem cum Leprosis vitæ consuetudinem quandoque acquiratur. Crebrius tamen contactu intercedente, cujus frequentiores modi sunt: per *coïtum*, in quo vir mulieri, & vicissim, labem illam facilè affricare potest; dum enim in illo libidinis actu fervidè desudant, per poros, tunc maximè patulos, nullo negotio maligna illa effluvia ex uno in alterum transmigrant, & ob eosdem poros in *lecto* apertiores aliàs etiam qui socii lecti sunt, mali etiam consortes facilè evadunt: per *oscula* & *mammas*, partibus spongiosis oris & mammarum, venenum cum saliva præsertim propinatum, avidè haurientibus: per *utensilia*, malignitate illa imbuta, uti sunt *lintea*, *vestes*, *pocula* &c. Atque his & aliis modis subtilior aliqua veneni Elephantici pars, per fermentationem præternaturalem superius explicatam, abrasa, & leni alicui viscositati involuta, poris cutis se insinuat, & secundum ductum vasculorum illius excretoriorum in glandulas, & hinc mediante lymphâ in sanguinem defertur, quem paulatim vi fermentativâ in naturam suam convertit, & degenerare facit. Nec obstat, fermentum tale quantitate plerumque admodum exiguum esse, quippe maxima illius activitas quantitatem compensat, quemadmodum ab unico peste infecto tota aliqua regio infici potest.

XVII.

Quantum ad *differentias*, quas Veteres tam solicitè, sed inani studio ac diligentiâ quæsiverunt, ab aliis tres, ab aliis verò operosioribus, (ingeniosioribus volebam dicere) quatuor species constituuntur, secundum quatuor illos famosos humores, Sanguinem

guinem scilicet, Pituitam, Bilem, & Melancholiam, prout quamque ab uno vel altero horum humorum magis participare crediderunt; hinc quæ à Sanguine, Alopeciam: quæ à Pituita, Tyriam: quæ à Bile, Leoninam: & quæ à Melancholia, majorem reliquis, Elephantiasin propriè vocarunt, quorum nominum explicatio videatur Thesi prima. Ego distinctionibus hisce, quæ ruinoso quatuor supradictorum humorum fundamento nituntur, diutius non immoror, ne & Lectori & mihi majorem nauseam excitem. Interim tamen, ut breviter mentem meam circa hanc materiam explicem, dico Elephantiasin omnem nonnisi gradu differre, & unam alia maligniorem & vehementiorem, aliam mitiorem & benigniorem esse, pro acrimoniæ & exustionis gradu, à quo colorum illorum diversitas etiam petenda est, qua nunc Vulpis, nunc Serpentis, nunc Leonis &c. epitheton meretur. Alia differentia adhuc desumitur à modo generationis, de quo in Thesi præced. actum fuit, & ad quam Medicus probè attendere debet, cum magni momenti sit in Prognosi facienda, & ipsa etiam Praxi.

XVIII.

Perspecta differentia ad *Signa* devolvimur *Diagnostica*, in quibus eò diligentius & accuratius versari nos decet, quo magis interest rectum judicium ferre de suspectis in hominum consortio aut tolerandis, aut inde excludendis. Plurima autem & varia signa ab authoribus recensentur, quæ tamen non cuncta in singulis morbi individuis, sed alia in aliis, & pro ratione magnitudinis & temporis morbi plura aut pauciora deprehenduntur. Quapropter ut meliori ordine hæc proponantur, secundum tria morbi tempora illa dispescemus, sc. in signa morbi 1. *Incipientis*. 2. *Ingravescentis* & 3. *in vigore* constituti, ex quibus deinde *signa* aliqua certa & παθογνωμονικὰ eruere conabimur, quoniam in iis potissimum nervus rei consistit. Cum autem pagellarum ratio habenda sit, non inconvenienter me facturum puto, si, dum signa hæc recenseo, breves illis rationes subdam, ne post in symptomati-

bu

bus, quæ ipsa morbi signa sunt, particulatim recensendis & explicandis, idem rursus labor sumendus sit. *Incipientis* autem hujus mali *signa* in principio sunt valdè obscura, & aliis morbis communia, cum labes interiora nondum excesserit, sed veluti anguis sub herba lateat, nihilominus tamen aliquatenus illam produnt: *Lassitudo & segnities spontanea* totius corporis, fibris nempe muscularibus materia aliqua crassa obsitis, aut alias non sufficienti spirituum animalium copia inflatis, cum ex sanguine Elephanticorum crasso & fæculento, spiritus animales non magis elici possint, quàm ex musto spiritus vini destillari: *mentis ignavia* ac *stupiditas, cum summa in somnum propensione*, ejus tamen *frequente interruptione*, quod paucitas & crassities spirituum Animæ & sensuum functionibus insufficiens sit, & fibras cerebri facilè collabi sinat, quæ tamen à spiritibus acrimoniam sanguinis participantibus, identidem irritatæ, quietem non diu indulgent: *insomnia metus & tristitiæ plena*, & frequens *Incubus*, quatenus spiritus illi, ceu crassiores & impuriores liberè in partes spiritales fluere prohibiti, inordinatè in cerebro vagantur, & ideas tristes forte fortuna oblatas animæ constanter exhibent, junctas cum sensu suffocationis imminentis, quam sua absentia inducunt, accedentibus præsertim flatibus in prima regione, qui diaphragmatis motum deorsum impediunt: *facilis à frigore læsio*, quod fibrillæ nerveæ cutis, à spiritibus paucioribus influentibus, & sanguine crassiore minus moveantur, quàm ut motus illarum superet quietem particularum aëris, tantillum frigidi: *impetu in Venerem intensior, & extraordinarius*, ab acredine sanguinis & lymphæ stimulante, præcipuè in sequiori sexu, in quarum vaginam ex glandulis copiosis continuo stillat lympha aliqua acris, quæ aculeis suis vellicat membranam nerveam valde sensilem vaginæ, in viris autem potius à flatibus, fistulosam penis substantiam inflantibus, hincque eum continuo erectum tenentibus, unde *Priapismus* tandem & *Satyriasis*, minimè vero ab abundantia seminis, quod quidam volunt: *respiratio difficilis & tarda*, quæ præter ea, quæ supra

anno-

annotavimus de Incubo, originem suam debet pustulis & tuberculis fœdis, pulmones non minus, quàm cæteras corporis nostri partes internas gravantibus & distendentibus; hinc non mirum, quod *exspiratio gravis & fœtida* fit, particulis putridis & acribus, organum odoratûs graviter ferientibus, inde cum aëre prodeuntibus: *pulsus parvus, tardus debilis & inæqualis*, à sæpius culpata spirituum inopia, sanguinis crassitie, & inæquali mixtione; *sitis intensa*, à liquore salivali, quem fontes obstructi minus largiter fundunt, eumque acrimonia aliena imbutum: *appetitus debito minor*, à partibus activis liquoris stomachalis, jugum passivarum & terrestrium ex parte jam passis, quæ hinc ad sollicitandos cerebri excubitores spiritus, minus aptæ existunt: *flatuum & ructuum copia* à vitiosa digestione, alimenta in substantiam viscidam & tenacem mutante, quæ ope caloris resoluta, dum amplius spatium requirit, nec per poros obstructos exitum habet, qua data porta per superiorem, vel inferiorem gutturem erumpit: *alvus* supra modum *adstricta*, ab his ipsis flatibus, tubulum intestinalem nimis distendentibus, atque adeò motum peristalticum fibrarum intestinorum muscularium impedientibus, quamvis excrementa ipsa, nimis viscida & tenacia, alvum segniorem reddere queant: *urinæ*, (quæ fallax admodum & incertum signum censeri debent,) *jumentorum lotiis simillimæ, albæ, crassæ & turbidæ*, aliquando tamen *tenues & pellucidæ*, crassæ, quatenus sanguis excrementorum terrestrium partem in illis deposuit, tenues verò à carunculis papillaribus renum ita obstructis, ut nihil nisi serum valdè tenue filtrent & transmittant: *cutis* jam paulatim *crassior*, *durior* & *asperior* fit, dum se mucagine crassiore, quæ paulatim induratur, refercit, à qua sanguinis aliàs etiam crassioris & acidi, itu & reditu ad cor impedito, dum in partibus illis stagnat, necessario *color* faciei & totius corporis *lividus* exoritur. Sunt adhuc alia signa, quæ ab authoribus inter signa morbi incipientis recensentur: quidam enim dicunt *cutem* Elephanticorum esse *asperam* & *scabram*, *instar anseris deplumati*, & ob permixta excrementa quædam fuliginosa, aquâ

asper-

asperſam,pinguedinis aut olei quandam ſpeciem oſtendere;ſed de incipientis ſignis plus ſatis:nunquam enim egiſſem, ſi omnia etiam minutiſſima ſigna vellem enarrare.

XIX.

Increſcentis morbi & ex latebris ſuis prodeuntis ſigna, multo jam manifeſtiora & quaſi parta victoriæ vexilla, in facie primum, ceu cute tenuiſſima donata, & aëri frigido, poros conſtringenti & fuliginum excluſionem impedienti, maxime expoſita, apparent, quam, utpote in omnium conſpectum incurrentem, DEUS ſingulari conſilio, pro immenſa ſua φιλανθρωπία, fœdi & contagioſi hujus morbi notas & τεκμήρια omnium primam geſtare voluit, ut reliqui homines, horrendo illo aſpectu, & immani oris fœtore moniti, ſibi caverent. Oritur autem ſecundum quosdam in partibus interioribus, mollibus & ſpongioſis *narium prima lenticula*, cui poſtea aliæ accedunt, quæ creſcendo in tumorem inſignem nares attollunt, unde *pinnæ narium dilatatæ, patulæ, ſimæ* & *ſalebroſæ* redduntur: parte vero ſuperiori & anguſtiori ab his ipſis tumoribus coarctatus naſus, reſpirationi obeſt, & dyſpnœam cauſatur; ſimilia deinde tubercula ex rubro ſublivida, indolentia, & quæ loco moveri poſſunt, in *facie* etiam, *fronte* præſertim & *genis* exſurgunt, parteſque omnes faciei fœde intumeſcunt,cum *maculis* crebris *livido nigricantibus* interſperſis, quæ à ſanguine, ob tuberum illorum præſentiam in motu ſuo impedito,& ſtagnante oriuntur: *frons craſſeſcit & corrugatur*, *ſupercilia* præ tuberoſitate *deorſum pendent*, *palpebræ tumidæ*, *& inverſæ* apparent,*mala craſſeſcunt & intumeſcunt*,*labia prætumida* prominent & invertuntur, *mentum craſſeſcit* & dilatatur,*aurium pinnæ* in ambitu *rotundiores & contractiores* apparent,*auricula* vero *tumidior*, & *parotides* etiam circum jacentes *ad inſignem tumorem elatæ*, quod ob copioſa & magna vaſa,quæ habent,copioſe etiam cum ſanguine humorem vitioſum recipiant; *palpebræ inverſæ*,& *oculi ex flavo rubent*, vaſis illorum capillaribus ſubtiliſſimis, quæ alias viſum ſubterfugiunt, ſanguine craſſo & acido

ſtagnante repletis & diſtentis, *oculi* etiam *rotundiores* aliquo modo apparent, propter tumorem palpebrarum, partes angulis contiguas tegentem, vel propter lympham viſcidam ac glutinoſam, humoribus p. naturam admixtam, quæ etiam non raro in ſubſtantiam membranaceam & duram concreta, *pellicula ſive ungue*, ab oculi cantho majori, adnatam, & quandoque ipſam corneam, & pupillam obducit, viſumque tollit: *aſpectus torvus* eſt *& fixus*, ſpiritus craſſioribus & fixioribus oculus in eo ſitu, in quo ſunt, diu retinentibus: *oculi* etiam ſæpe *in orbem agi* obſervantur, dum muſculi illorum ſucceſſive, & præſertim trochleator, motibus convulſivis ab atomis alienis acidis ſpiritibus permixtis, agitantur: *capilli* & reliquarum partium *pili* defluunt, radicibus illorum à lympha acri eroſis vel ob nutrimenti commodi defectum, à quo non minus ac folia arborum, ſucco deſtituta, ad levem venti flatum decidunt: *tubercula* præterea *granuloſa flaveſcentia, vel ſub livida in lingua* depreſſa, præcipue circa illius baſin, quæ glandulis plurimis donata eſt, item in *palato* & *faucibus* plerumque ſpectantur, quales grandines non raro cernere licet in porcis, (in den Finnechten Schweinen,) faucibus à quibuſdam ad id deputatis laniis diductis; linguæ enim & partium vicinarum ſubſtantia mollis, laxa, ſpongioſa & perenni humore irrigua, ad imbibendos quoſvis humores malignos aptiſſima eſt: à quibus puſtulis etiam, fauces & œſophagi principium occupantibus, provenit illis *deglutitio impedita*; quamvis defectus ſalivæ, cujus rorido humore via illa cibaria continuo debet rigari, ſuum etiam huc contribuat: & ab iiſdem tuberculis, linguam, fauces, & forte etiam uvulam ac laryngem ſtipantibus, arceſſere oportet *vocem* illorum *raucam*, quæ ab obſtaculis & inæqualitatibus rumpitur & intercipitur, ſimili modo ac in organo aliquo majori muſico unicum granum arenæ ſonum turbare & pervertere poteſt; huc accedunt forte halitus acres, lævem aſperæ arteriæ internam faciem exaſperantes; *venæ raninæ* linguæ, *venæ* item *temporum, &* in progreſſu morbi, *aliarum* etiam *partium*, inferiorum præſertim, ob

ac-

acclivem & difficiliorem sanguinis crassi & acidi per illas motum, *tumentes, nigricantes & varicosæ*, sanguine illo propria crassitie & aciditate admistâ stagnante, conspiciuntur; nec jam *tubercula* sæpius nominata facie & ore circumscribuntur, sed per totam *capitis pilosam sedem*, per *collum, artus*, & *totum corpus* reliquum disseminantur, & in brachiis cubitum, manuumque summitatem, in pedibus verò femora, & genua potissimum occupant, idque propè articulos, qui copiosis glandulis gaudent, ex quibus, per motum articuli pressis, liquor quidam, ceu ex spongia erumpit, motûs facilitandi ergò, qui depravatus ac coagulatus tubercula hæc, & tantos quandoque tumores producit, ut *digiti* sub illis *condantur*: cui liquori etiam deficienti, vel incrassato, debetur, quòd *motus* illis quandoque planè *pereat*; adest insuper *fœda cutis*, in artubus præsertim extremis, & capite piloso, *scabrities* & inæqualitas, *crustis* quibusdam, & *squamis albis*, quandoque *sublividis*, inde aliquando depluentibus; & *cutis* etiam in plantis & digitis pedum, ac quandoque alibi, ab humore crasso nimis distenta, & exsiccata, *dehiscit*; succedit jam etiam *partium corporis* mollium à nutrimenti apti defectu *consumptio*, unde *ossa* carne minus tecta, *scapulæ* præsertim, *alarum instar prominent*; nescio vero quid aliæ partes, præ aliis, hac in re privilegii habeant, & cur auctores plerique musculos pollicis manûs, tenar & hypotenar, præ reliquis tabescere asserant, cum ratio sana, & aliorum virorum Cll. observatio, contrarium adstruat.

XX.

Atque hoc modo, carnibus ad ossa depressis, æger noster, vera jam mortis imago, non procul est à *vigore* morbi, cujus hæc præterea signa sunt: *tubercula* superius descripta, quin & *tota cutis*, magis *nigrescunt*, destituta nempe partibus suis volatilioribus & spirituosis, quæ per incipientem gangrænam & dissolutionem partis in auras abeuntes, foveas multas, & parvas rimas relinquunt, radios luminis absorbentes; unde Vesalius de human. corp. fabric. l. v. cap. ix. adnotavit Elephanticos nigricantem

ſplenis humani colorem & ſuperficiem ita exquiſitè referre, ac ſi quis ex ſplene eos confinxiſſet: *tumores omnium partium*, theſi præcedenti enumeratarum, præcipuè in manuum pedumque digitorum interſtitiis, plantis pedum, deinde juxta articulos, præſertim in acutiori cubiti ſede, à ſalibus acribus & rigidis humoris maligni intus contenti, & fœtûs viperini inſtar, (ſi fabulæ fides eſt,) exitum quærentis, pertunduntur, eroduntur, & *in ſordida & fœda excavantur ulcera, quæ cutem profundè penetrant, lata ſunt ac ſerpentia, labiiſque calloſis & prætumidis prædita, & ſanguinem, ſi contrectentur, facilè profundentia*; *nullum* tamen *ſenſum*, quod mirandum eſt, hæc *ulcera habent*, *non minus ac tubercula* illa, etiamſi acus ad magnam profunditatem adigatur, aut aqua fervens ipſis ſuperfundatur, quod indicium eſt gangrænæ illa occupantis, aut fibrarum nervearum partis pituitâ viſcida adeò infarctarum, & ab acido & maligno humore ita arroſarum, ut ſpiritibus animalibus, ſenſûs primariis authoribus, nullum amplius cum partibus illis ſit commercium: quod & in *tota cute* quandoque obtinet, quam plerique *ſenſum omnem amittere* produnt; quamvis Platerus, & quidam alii contrarium defendant; ulceribus præterea ſupradictis *vermiculi* aliquando, non ſecus ac in gangræna, *innaſcuntur*, reliquam carnem abſumentes, quæ ſi fricetur, oſſibus defluit, ita, ut non rarò integra membra à graviſſima hac putredine corrupta, ut *manuum, pedum digiti*, *imò manus & pedes integri*, *naſus*, *genitalia*, *aliaque*, mortem hominis aliquamdiu prævenientia, *decidant*; neque enim abominanda hæc lues priùs hominem ab his calamitatibus ſæviſque cruciatibus liberat, quàm inſtar lupi voracis omnia membra dilaceraverit ac devoraverit; hinc beſtiam illam inſatiabilem videmus etiam *ſævire in* ipſa *oſſa* & partes ſolidiores, quæ ob rigiditatem fibrarum cedere, & ictus humoris acris evitare nequeunt, cujuſmodi imprimis ſunt *oſſa narium ſpongioſa*, quæ cum pariete naſi cartilagineo exeſa, faciunt, ut naſus turpiter collabatur; quemadmodum etiam *radices unguium* digitorum *arroduntur*, *finduntur*, & radicitus *dilacerantur*; unde jam non mi-

rum

rum esse debet, si tot ulceribus putridis & fœdis obsiti, *odorem tetrum & cadaverosum spirant*, qui ad aliquot passus quandoque, cum summa molestia percipitur. Cum his malis omnibus credile est *in partibus* etiam *internis ulcera adesse*, à quibus *febris hectica oritur*, quæ hominem tot malis obrutum, à turpi miseraque vita liberat, eumque internecioni facile dat.

XXI.

Perlustratis ac pensitatis hactenus præcipuis & plurimis his signis, restat ut ex illis certa & *pathognomonica* eruamus, quibus nixus firmum aliquid & infallibile Medicus, Judex infectorum, pronuntiare possit; sed si rem recta animi lance perpendo, ex ingenti hoc numero vix aliqua pauca sunt, quibus omnino fidendum sit, nisi plurima alia signa concurrant, & ego nulla hujus luis certiora signa reputo, quam quatuor sequentia: 1. *Nodosas, granulosas, tuberosas* & *sublividas* jam dictas *protuberantias, in facie linguæ, artubus*, & quandoque *reliquis etiam partibus, mobiles & indolentes.* 2. *Ulcera illa profunda, callosa, & putrida*, jam satis descripta. 3. *Horrendam, & terribilem illam faciei deformitatem*: & *tandem* 4. *Quod omnem curam, quamvis methodicam*, generosam, & efficacem *repudiet.* Quibus nescio an addere audeam experimentum, quod Virum quendam Celebrem novi pro certo habere, nimirum veros *Elephanticos noctu toto corporis habitu splendere*: cui rei, si certo constaret, lucem aliquam Phosphorus ille famosus fœnerari posset. Experimenta vero illa à Barbitonsoribus & aliis circa *urinam* vel *sanguinem*, quibus *acetum* affundunt, aut *sal* vel *cineres aspergunt*, institui solita, it. quod *sal ex sudore* Leprosorum confectum *in aqua non dissolvatur*, incerta & inania esse, ac fundamentis stramineis niti, non difficilè esset ostendere quamvis non negaverim, ex sanguine grandinoso, nigro, crasso, ac fœtido, collatis aliis signis, aliquid concludi posse.

XXII.

Accedimus jam ad illam partem, quæ Medicos Diis similes reddit, sc. ad *Prognosin*, circa quam, ordine hactenus servato,

 paucis

paucis expediendam, dicimus luem hanc incipientem, tanquam monstrum, in incunabulis non difficulter suffocari & extingui posse, sed ubi multum increverit, & furori vires junxerit, vestigiis violentiæ suæ cuti impressis, rem multò jam difficiliorem & periculosiorem esse, quamvis spem omnem curationis necdum abjicere debeamus; sed quando ad summum malignitatis fastigium ascenderit, incurabilem planè esse, uti etiam quæ ab infausta hæreditate inest, quæ, licet principium non sit prætergressa, in totum tamen eradicari non potest, cum ejus principia, primis jam fœtus staminibus combinata, arctè nimis partibus adhærent; unde hos & confirmatos Elephanticos spem curationis abjicere jubemus, eosque, quemadmodum olim veteres mortuos suos, Diis subterraneis consecrandos judicamus.

XXIII.

Ergo in tempore monstrum hoc horrendum ingens aggredi curæ sit, armis ex triplici, *Chirurgico* scil. *Pharmaceutico*, & *Diætetico*, armamentario petitis, quorum primum nobis suppeditat venæsectionem, cucurbitulas scarificatas, sanguisugas seu hirudines, vesicatoria, setacea, cauteria, tum actualia, tum potentialia, castrationem, & similia dolorosa nocumenta potius, quam generosa medicamenta; nam cucurbitulæ & hirudines sanguinis partem tenuiorem saltem eliciendo, vesicatoria vero, setacea & cauteria, lympham fluidiorem absumendo, & humores inde magis incrassando, plus obsunt quam prosunt, ut adeo nesciam, cur authores aliqui his tormentorum generibus adeo in hoc casu delectentur, nisi forte, quod, majores dolores excitando, faciunt, ne minores sentiantur; qua in re primas tenet castratio, ad cujus mentionem animus exhorrescit, & quam insaniam plures vita luunt; nec tamen apparet ullum salutarem effectum inde sperari posse, cum causam morbi tollere nequeat, nisi quis illam in testiculis collocare velit, quod neminem tamen hactenus fecisse credo. Phlebotomiam igitur solam, generosum illud remedium, laudamus & approbamus, tum ut sanguis mole imminutus liberius circuletur, &

faci-

facilius effervescat, tum ut portione aliqua corrupti & crassioris humoris hoc modo decisa, quod restat, medicamentis melius regi possit; illam autem per intervalla celebrandam censemus, non in brachio tantum, sed vel præcipue in pedibus, eò, quod sanguinis crassior pondere suo semper deorsum tendat; quapropter etiam venam aliquam majorem & turgidiorem, cui magnum vulnus obliquo-transversum infligatur, eligendam, & sanguinem, pro ratione virium & vasorum plenitudine, emittendum suaderem.

XXIV.

Deinde cum intestina saburra excrementorum plerumque onusta & flatibus distenta sint, clysmate aliquo emolliente & carminativo commode eluuntur, quod, quamvis aliqui ante V. S. absolutè fieri velint, nos tamen nihil mali inde metuimus, si post illam in usum vocetur, cum ex intestinis crassis nihil in vasa sanguinea depleta vitiosi humoris redundare possit; quod si verò æger clysterem stolide sibi applicari recuset, succedaneum illius esse poterit lene aliquod catharcticum, commodissimè exhibendum in forma liquida, tum quia alvus durior liquidis melius auscultat, tum quia ægri, propter tubercula in œsophago & inopiam salivæ, cum difficultate sicca possunt deglutire, unde, cum alias totum corpus siccitate nimia laboret, semper liquida siccis in hujus morbi curatione præferrem; studio autem vulgatiores formulas hic, quemadmodum etiam alibi, omitto, ne dissertatio hæc, quæ jam præter opinionem in majorem molem excrevit, vanis istis formulis adhuc superbiat.

XXV.

Via hoc modo ad interiora strata, consequens est, ut monstrum in latebris suis limosis adoriamur, illudque inde eruere conemur, medicamentis potenter incidentibus, attenuantibus, viscididatem resolventibus, & siccitatem diluentibus, quæ humorem virulentum partibus etiam remotissimis firmissimè impactum, & quasi incuneatum, è sede sua dimovere, & totali ex corpore exclu-

exclusioni aptum reddere valeant, quod sperare licet à medicamentis, quæ ea quantitate assumi possunt, ut totum corpus illis perlui & perfundi queat: cujusmodi sunt decocta liberali haustu ingesta; frustra verò erimus, si hoc medicamentis, utut generosis, sed parca dosi exhibitis, efficere credimus, quippe quæ in auras abeunt prius, quam partes remotiores attingant. Talis igitur vel similis Decocti formula, indicationibus supradictis respondens, non erit inefficax, nolumus enim B. L. multorum simplicium recensione fagitare: ℞. Lign. Guajac. sassafr. ana ℥ß. rad. sarsaparill. chin. polypod. q. ana ℥iß. cortic. rad. capp. tamarisc. ana ʒiij herb. fumar. scabios. ana M. ij. summit. lupul. mß. flor. borrag. bugloss. ana p. j. sem. seseli Massiliot. fœnic. ana ʒij. antim. crud. crassiuscul. trit. & in petia ligat. ʒij. (vel cinnab. antimon.) croc. mart. aperit. tart. crud. alb. ana ʒß. incidantur & contund. F. infus. calid. per noctem in s. q. aq. font. vel chalyb. aut seri caprill. postea decoq. addendo colat. ℔. iv. oxymell. scyllit. ℥ij. spirit. sal. armoniac. ʒij. syrup. de fumar. ℥ij. M. F. Apozema, de quo capiat ter vel quater in die, vacuo ventriculo ℥iij. vel iv. continuando ejus usum per 6. vel 8. dies.

XXVI.

Humores vitiosos ope hujus decocti ad exclusionem paratos, & fluidiores aliquando redditos, cathartico quamprimum educere summe proderit; sed ut duro nodo durus respondeat cuneus, purgantia fortiora imprimis eligenda sunt, ex elleb. nigr. elat. colocynt. &c. præcipue vero ex mineralibus & metallicis, quorum particulæ rigidiores, & graviores validius agunt, ut sunt arcan. corall. mercur. d. qui potenter etiam humores viscidos incidit, & acrimoniæ acidæ resistit. ℞. v. g. Extract. elleb. nigr. Quercet. gr. ex mercur. d. gr. xv. ol. anisi gr. iij. M. F. pillul. num. xiij. vel ℞. Diagrid. sulph. gr. vii. arcan. corallin. gr. iv. ol. menth. gt. j. M. F. pill. num. vij. Purgationem rursus excipere debet decocti digestivi usus, & hisce medicamentis per aliquod tempus strenue pugnandum, interposito bis vel ter, per septimanam, si vires ægri id permit-

permittant, purgante, aut ipso decocto, insertione aliquorum purgantium, purgante simul reddito; imò quandoque non sine fructu emetico catharcticum exhibetur, ut quò natura vergit, juvetur, pilulis sup. saltem addendo gr. unum vel alterum mercur. vit. vel sulph. aurat. antimon. vel ad imitationem Cl. Gregor. Horstii ℞. Laxativ. mineral. simpl. gr. vij. diagrid. correct. ℈ß. aut Panac. aureæ ℈iß. Vel (si pituitæ copiosioris, ventriculum gravantis suspicio sit), & æger ad vomitum inclinare videatur, exhibeatur tart. emetic. ad gr. iv. l. v. aut croc. metall. vel vitr. antimon. per se ad gr. iij. l. iv. cum conserv. rosar. vel convenienti vehiculo; vel illa infundantur in vino, aut croci metall. infusio cum musto in sapam, vel aliàs in syrupum redacta, detur, vel ℥ij. vini, quod per noctem in poculo regulino stetit. Subinde etiam conveniet diureticum aliquod in forma liquida exhibere, potissimum ex alcalibus volatilibus & fixis, quæ tum acidum alienum, quod sanguini justô crassiorem consistentiam conciliat, & seri ac excrementorum per renes secessum impedit, absorbendo, tum rigiditate particularum suarum tubulos renales deobstruendo, effectum suum præstant, quibus addi possunt quæ lubricitate partium suarum vias laxant: formula haud inconcinna sequens erit: ℞. Aq. petrosel. ononid. ana. ℥ij. spirit. vin. juniper. ʒj. milleped. ppt. lapid. ocul. cancr. ana. ℈ß. sal. volatil. succin. gr. vj. olei ceræ gr. ij. syrup. acetositat. citr. ℥ß. M. F. haustus, pro una vice sumendus; si excipias pulveres dictos cum s. q. terebint. Venet. coct. habebis pilulas. Hoc adhuc in specie moneo, præstans remedium in hoc casu esse millepedes ppt. qui aliàs specifici loco in hoc affectu habentur.

XXVII.

Hunc medicamentorum circulum, ubi æger pro necessitate, & Medici prudentis judicio, aliquoties percurrit, & crassior humoris vitiosi pars subducta videbitur, tempestivum erit ad sudorifera accedere, quæ reliquias humoris, poros & glandulas cutis obstruentis, convellant, & cum serositate, quam eo confluere faciunt, ex corpore exigant; sedulo autem cavendum, ne hæc

in usum vocentur prius, quam sanguis à maxima parte crassorum & vitiosorum humorum liberatus sit, ne cum illis nimium effervescendo, exitu per poros cutis impedito, calore præternaturali corpus incendant, morbumque exacerbent: hunc in finem dentur in principio mitiora & humidiora, quæ humiditate sua salia diluant, & in sinu suo educant, ex herb. & radd. copioso præditis sale volat. quod cum acido vitioso sanguinis ebulliat, & illius cum partibus terrestribus concretiones dissolvat, addendo in progressu salia volat. ut sal. C. C. succin. ammon. viperar. spirit. theriac. simpl. quæ tandem armari possunt medicamentis majori rigiditate præditis, & acidum potentius domantibus, ut antimon. diaph. bezoard. min. merc. diaphor. tinctur. antimon. corall. ppt. hunc in modum ℞. Aquá card. b. fumar. an. ℥ij. tinctur, antim. ℈ß. sal volat. viper. bezoard. mineral. an. gr. viij. manus Christ. perlat. ʒij. syrup. meliss. ℥j. Misce. Egregiæ etiam efficaciæ erit pulvis ille famosus Poterii, cum nitro, ant. & Jov. confectus, quem si commisceas cum resina guajac. præstantissimum habebis sudoriferum, multaque experientia probatissimum.

XXVIII.

Sed accedamus tandem ad medicamenta quæ specifica virtute in hoc morbo ab authoribus decantantur, quorum agmen ducunt viperæ, Galeno etiam multis exemplis & experientiis comprobatæ, *Isagog. cap. XII. de subfiguratione & lib.* II. *de simpl. medicament. facultatibus*; & in quibus plerique Practici anchoram sanitatis constituunt, quamvis alii, ob minus rectum forte illarum usum, illas declament; optime autem exhibetur illarum sal volat. axungia &c. sed caro ipsa minus proficua est, quod ob glutinositatem, quam habet, efficacia salis volatilis obtunditur; de aliis præparationibus quas viperæ subeunt, ut & de ferculis ex iis paratis, non est quod hic multum sollicitus sim, quia de his fusi sunt authores; eadem etiam cum viperis virtute, sed debilius, pollent serpentes nostrates, it. millepedes ex quibus egregiam tincturam sive Q. E. conficit Cl. M. Charas *dans la pharma-*

copoe

copoe Royalle Chymique lib.2.cap.5. nec lumbricis terrestribus aliisque talibus insectis eandem virtutem denegarem; omnia enim hæc multo gaudent sale volatili, cujus ratione crassitiem & tenacitatem humorum incidendo & resolvendo, acidum obtundendo, & ex corpore educendo, & hinc sanguini & humoribus justam consistentiam mixtionemve restituendo, effectum suum sortiuntur; sed quod de sudoriferis annotavimus, illa non nisi corpore bene præparato exhibenda esse, idem huc etiam applicandum est: nihil enim aliud obtineremus, si volatilia hæc mox ab initio exhiberemus, quam ut illuviem illam humorum crassorum & malignorum in cutem educeremus, illiusque obstructiones aggravaremus. Hæc autem ubi incassum adhibentur, recurritur ad medicamenta ex antimon. & mercur. parata, vera hujus morbi specifica, & remedia in parca dosi potentissima, & plane divina: Panaceam & balsam. sulphur. Antimon. Tinctur. Antimon. Q. E. Antimon. Regul. Antimon. sine Marte. ol. mercur. diaphoret. mercur. percipitat. rub. Calcinatum magnum mercurial: Paracels. & Panaceam mineral. quam, si combines cum purgante, purgabit, cum sudorifero, sudorem movebit. Hydrargyrum autem non aliter huc spectat, quam si à Lue Venerea ortum habeat morbus, ubi supremum est remedium alias irrito successu adhibetur, testante cum Willis. multorum hodieque Practicorum experientia. Jam vero cum morbi hujus pertinacissimi curatio non nisi longo tempore absolvi possit, & ægri vires interim à continuo medicamentorum usu fatiscant, præter halcyonia, quæ ægro interdum concedenda sunt, confortans aliquod medicamentum quandoque interponendum est, & mixtura tali familiariter poterit uti: ℞. Aq. borrag. bugloss. ana ℥iij. aq. cinnamom. ʒx. confect. de hyacinth. ʒj. sal. volat. viper. lapid. ocul. canc. ana. gr. xij. corall. rub. ppt. ℈i, syrup. cortic. citr. ℥iß. F. Mixtura cochleatim exhibenda, quæ pro lubitu, ut ægris gratificemur, in opiatam mutari potest, modò loco aquarum cum conserv. flor. tunicæ, ros. rubr. borrag. &c. reliqua excipias, quibus, si lautioris fortunæ æger

 fuerit

fuerit in gratiam Pharmacopœorum addi potest, os de corde C. bezoar. Orient. margarit. & similia pretiosa.

XXIX.

Postquam hactenus per medicamenta interna, & quasi clanculum, cum morbo nostro decertavimus, illum jam aperto Marte per medicamenta externa etiam adoriamur. Primò igitur duritiem & siccitatem cutis emollire, ac emendare, humoresque acres intus contentos allicere, illisque exitum procurare conemur, per balnea aq. dulcis tepidæ, quæ optimum salium menstruum esse solet, præsertim si & ipsa sale aliquo adjecto acutior reddita fuerit, uti est marina, aut alias salsa; quæ si minus præstent, utendum est thermis bituminosis & sulphureis, quales sunt in agro Juliacensi Aquisgranenses Cornelianæ, quæ simul malignam salium acrium vim infringere possunt; vel sulphureis, cujusmodi sunt Carolinæ; Badenses, Wisbadienses, Bollenses, Attenholzenses &c. quæ si alumen etiam, quod hic non conducit, vehant, illud corrigitur per sulphur & nitrum. Defectu autem Thermarum balnea artificialia, ad imitationem thermarum, commodissimè parari possunt, ex scoriis Reguli antimon. cum nitr. & tart. facti, vel ex concreto illo salino, quod antimon. sali communi & tart. igne potentissimo fusis, supernatat. it. ex pice liquida, cum cineribus, aut alio alcali fix. aquæ incoct. Quodsi autem intentio saltem fuerit crustas & squamas emolliendi, balneum vel semicupium concinnari potest ex sequentibus: ℞. Herb. malv. cum toto, branc. ursin. violar. ana. Miij. Mercurial. parietar. betæ ana. Mij. rad. alth. lil. alb. ana ℥iij. sem. lin. fœnugr. ana. ℥iß. coq. in aq. pluvial.: Abstersorium autem tale esse potest: ℞. Rad. oxylapath. bryon. ari. serpent. ana. ℔. asphodel. gentian. enul. ana. ℥j. herb. struth. absinth. scabios. fumar. ana. Mj. lupinor. fabar. & lent. conquassat. ana. ℔ß. coq. in s.q. aq. ad semicupium; quibus addi potest, ad augendam horum vim, sal. comm. ammoniac. nitr. sulph. addi etiam purgantia aliqua, ut rad. cyclam. helleb. utriusque, quæ validiùs penetrant, & in sanguinem suscepta majorem in illo motum, adeoque expulsionem & separationem impuri

puri

puri fortiter promovent. In ingressu balnei jusculum ex carne viperina exhiberi potest, non sine successu, quem nobis hoc modo ex balneis supradictis majorem promittimus, quàm Ægyptiorum Reges eum experti fuerunt, qui hoc morbo correpti balneis ex sanguine humano paratis utebantur, vel illi, qui balneo primogeniti aut alio, in quo cadaver putrefactum fuit, utentur, aut locum morphæatum secundinâ fortiter fricuerint. Fotus tandem emollientes & rarefacientes balneorum vices ad partes particulares affectas gerere possunt, ex similibus ferè ingredientibus, ac balnea sacculis inditis, & in aq. & vin. Neccarini ana maceratis & impositis; item cataplasmata ad emolliendos tumores partium externarum, in quorum descriptione, utpote omnibus nota, non ero prolixus.


XXX.

A Balneo linteolis teneris & mundis detersus sequenti linimento utatur. ℞. Succ. fumar. lapath. veronic. scabios. ana ℥ij. aristoloch. rotund. vitriol. Rom. ana ʒiiß. nitri ʒij. lythargyr. argent. ʒiij. ol. laurin. ℥ij. pingued. urs. ℥j. axung. vip. ℥ß. olea & axung. coq. cum succ. ad humiditatis consumpt. reliqua misceantur ad formam linimenti, cui addi potest, ad majorem efficaciam, Mercur. præcipitat. rub. fulig. splend. sulphur. &c. Emplastra autem in hoc casu minus conveniunt, quòd ob tenacitatem poros cutis magis obstruant. His omnibus si obtineri non potest ut tumores evanescant, ferrum arripe, & exerce illud Hipp. ure, seca; satius quidem erit cathæretico, vel causticis potentialibus primum uti, qualia sunt: cryståll. Lunæ, lap. infernal. merc. sublimat, butyr. arsenical. correct. butyr. antimon. cujus maximus usus est in carie ossium; ulcera verò aq. Mercurial. Ruland. lavari possunt, aut forti Guajaci decocto elui, & mundificari, vel pulvis egregius poterit confici, ex arsenic. correct. rad. ari & fulig. qui inspersus ulceribus illa mundificat, ut postea sarcotica admittant, & ad cicatrizationem deduci queant Emplastro opodeldoch, & sticico Paracelsi,

quæ omnium loco esse possunt. Ubi autem gangræna jam partes prehendit, abstinendum est ab omnibus linimentis, unguentis, & emplastris, & tandem, si sphacelus accedat, ferro membra sunt exstirpanda, ne pars sincera trahatur.

XXXI.

Multum autem momenti ad felicem curationem situm est in congrua *Diæta*, quæ id quandoque præstat, quod medicamenta nequeunt. Aërem hauriat purum, salubrem, & lucidum, Euro perflabilem. Alimenta quantitate sint mediocria, sed boni ſucci, & facilis digestionis, carnes animalium juniorum, avicularum, vel vervecinæ, hœdinæ, vitulinæ, jusculisque incoquantur herbæ humectantes, & refrigerantes, endivia, acetosa, asparagus &c. Panis hordeaceus conducit, ut & hordeata, ac avenata; pro potu utatur Decocto, vel Julapio, cum aqua fontana salubriori, vel pomaceo tenui & pellucido, ex pomis maturis dulcibus, quale Normandiæ vineta copiosè producunt. Motus sit modicus, & deambulationes, præsertim post pastum: somnus vero tantùm nocturnus. Alvus respondeat, vel artis beneficio ad officium redigatur. Veneri omnino valedicat. Passiones omnes cane pejùs & angue vitet, & animum, aliâs mœrori & tristitiæ deditum, certâ curationis spe soletur ac demulceat.



INDEX

INDEX RERUM & VERBORUM.

A.

Anima-

Bubo

C.

Cordis

D.

E.

F.

Chiro-

I.

L.

N.

O.

P.

R.

S.

Tra-

V.

FINIS



VOTA



VOTA FILIORUM PHILIATRORUM.

Cereus ut cunctis lucens absumitur ipse,
Atque chalybs teritur pulsibus usque suis,
Sic homo dum reliquis servit consumitur ipse,
Nec stabilis quicquam totus hic Orbis habet.
Fallimur aut GENITOR mentem corpusque fatigans,
Se perdit simili per *sua scripta* modo.
Dum servire studet cunctis, ut fecerat ante,
Omnibus exhaustus viribus ipse cadet.
Quæsumus ergo Tuæ, PATER OPTUME, parcito vitæ,
Nec mutos vivis præfer, amabo! Tuis.
Strenuus officio functus discrimina rerum
Relliqua nunc aliis perficienda sinas.
Quod caret alterna requie durabile non est,
Ut fere mellifluo sæpius ore doces.

Est obstricta Tibi semperque obstricta manebit
Posteritas ævo grata futura suo.
Jam nostrum est grates in tantum solvere dignas,
Æquivalens nunquam quippe dedisse licet.
Vivere dum vitam simul & bene vivere dando
& Pater & Doctor noster in Arte cluis.
Provehat alma TRIAS lapsuros, quæsumus, annos,
Adjiciat reliquis semper & illa novos!
Donec depositis terrenis vivat in astris
Enthea mens Superis associata Sacris!

C. B. V. C. M. V.

